

16-346


16-346

A

16-346



17
16
A
16
366



128



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

540 EAST 57TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-4331

WWW.CHICAGO.EDU

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

540 EAST 57TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-4331

WWW.CHICAGO.EDU



UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

540 EAST 57TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-4331

WWW.CHICAGO.EDU

i 1184 3263

del. Coll. de la Comp. de J. de Granada. B^o

IACOBI SADOLE-
TI, EPISCOPI CARPENTO-
RACTI, S. R. E. CARDI-
NALIS
EPISTOLARVM LI-
BRI SEXDECIM.

B-7197

*Nunc multò quàm antehac vnquàm diligentius
recogniti, atq; in lucem aditi.*

EIVSDEM AD PAVLVM SADO-
letum Epistolarum liber vnus.

His in super adiectus Commentarius Antonij Flo-
rebelli vitam autoris eleganter declarans.



COLONIAE AGRIPPINAE

Excudebat Petrus Horst.

Anno 1572.



1917-51
ALEXANDRO FAR-
NESIO S. R. E. CARDINALI
PAVLVS SADOLETVS EPI-
SCOPVS CARPENTO.

raçti, S. P. D.



Vm Sadoleti patruī mei obitus,
ampliſſime Farnesi, eum mihi lu-
ctum ac mœrorem attuliſſet,
quem paterna eius in me benefi-
cia, meaq; perpetua erga eum
pietas poſtulabat: nullum dolo-
ris mei expertus ſum melius aptiuſq; ſolatiū, quàm
quòd extremo illius mādato, & meo vnà officio, conor
Deo infirmitatem meam adiuuante, ſatiſfacere. Nam
cū is & ſepe aliàs, & cū iam penè animā exhalaret,
hanc mihi Carpentoraçtenſem eccleſiam, quā ipſe præ-
ſen, quoad ei licitum fuit, ſumma cura & diligentia
rexerat, pro ſua paterna in eam charitate, diligentiffi-
mè commendaſſet, meq; vt ab eius cuſtodia nulla re vn-
quam auellerer, vehementiſſimè hortatus eſſet: nullam
moram poſt eius mortem interpoſui, quin ad parendū
tam ſalutaribus præceptis, & ad obeunda tã ſancti &
præclari muneris officia, me conferrem: cuius mei conſi-
lij maiorem indies fructū capio. Sed cū officij mei ra-
tio, & illa, quam ſanctiſſima patruī memoria debeo,
pietas, hoc prætere a me poſtulare videretur, vt illius
ſcripta, et lucubrationes, quæ penes me eſſent, ederem:
ad eas me legendas, & accuratè conſiderandas (ſocio
hac

EPISTOLA

hac in re, & adiutore vsus Antonio Florebel. (dedi: cū
 is vt summè gratus, officiosusq; est, vnam ob causam
 hanc, quò homini de se optimè meritò, cuiq; iure & cha-
 rissimus, et probatissimus fuit, mecum vna fidem suam
 officiumq; præstaret, accersitu meo se ad me in Galliam
 contulisset. Atq; eam quidem eius scriptorum partem,
 quibus locos ad religionem & sacras literas pertinen-
 tes tractat: quanquā multa ab eo in hoc genere egregiè
 ac præclarè insituta comperimus: tamen edenda mini-
 mè putauimus. Non quin eadem in illis, qua in reliquis
 eius libris, qui eo viuo exierunt, & pietas extet, & sa-
 crarum rerum scientia: qua & nos magnopere delecta-
 rent, & cæteris item iucunda ad legendum fore non du-
 bitaremus. Sed cum ea qua aliquot hisce annis insti-
 tuerat, propter crebras (quod tute scis) summi Pontifi-
 cis interpellationes, multasq; & magnas in vrbe occu-
 pationes, absolueratq; expolire minimè potuerit: sa-
 tius esse duximus, non qua nos de illius scriptis probare-
 mus, sed qua ipse probaturus fuisset attendere. Cū ve-
 rò orationes quasdam, & magnum præterea epistola-
 rum aceruum inuenissemus, eas potius edendas esse iudē
 cauimus: non omnes quidem, sed eas tantū, qua accur-
 tius nobis scripta esse videbantur. Atq; orationes qui-
 dem aliàs. Hoc aut tempore epistolas in decē et septem
 volumina digestas, emisimus: quas vtinam etiā ipsas pa-
 truuus meus anteq̃ diē suum obijset corrigere ipse atq;
 emendare potuisset. Sed etsi non dubito, quin illius cor-
 rectio, et (vt ita dicā) expolitio multum illis additura
 fuerit venustatis atq; elegātiæ: nō propterea tamē sum-

PAVLI SADOLETI.

ab edendo deterritus, cum sperare mihi videar, studio-
 sis eloquentiæ hominibus earum lectionem, neq; iniu-
 cundam, neq; infructuosam fore. Eas autem idcirco ad
 te Farnesi amplissime, mittendas putavi, quod mea sin-
 gularis in te obseruantia, & grata animi voluntatis
 pro tuis erga me et patruum meum meritis, quæ et mul-
 ta sanè & insignia fuerunt, & abs te nuper præstanti-
 tua erga me & fratrem meum liberalitate cumulata
 atq; aucta sunt, signum ac testimonium aliquod exta-
 re volui: præsertim cum ad eas, quæ in te elucet virtu-
 tes, hanc quoq; laudem accedere intelligerem: quod tu
 etsi maximis & grauisimis occupationib. & curis, quas
 tecum auus tuus Pontifex Maximus, idemq; princeps
 sapientissimus partitur, nunquam ferè non distringe-
 ris: quod tamen interdum otij tibi & vacui temporis
 datur, id in optimarum artium studijs libentissimè con-
 sumis. Quippe ex quibus præterquam quod maxima
 cum animi voluptate recrearis, ad magnas res agendas
 & tractandas vehementius instruere. Te autem cogno-
 uisse videor, huius generis scriptorum patrui mei dele-
 ctari præcipuè esse solitum: quod etiam libentius feci, vt
 non eas modo epistolas, quæ ad te scriptæ ab eo fuissent,
 in tuo nomine ederem: sed vniuersas etiam, quæ ad ce-
 teros, ad te mitterem. Equidem maiora tibi præstare
 pro tuis in me meritis & cupio, & debeo. Sed tamen
 quando maioribus officijs non possum, hoc saltem
 munusculo meum summum erga amplitu-
 dinem tuam studium declarandum esse
 existimaui. Vale. Carpent. 1549.

ANTONII FLOREBELLI
DE VITA IACOBI SADOLE-

TI S. R. E. PRESBYTERI
CARDINALIS COM-
mentarius.



IACOBVS SADOLETVS
Mutinæ natus est, loco honesto,
& vrbe Cisalpinæ Galliæ impri-
mis nobili. Parens ei Ioannes Sa-
doletus fuit: homo ea vitæ ac mo-
rum integritate, eaq; iuris ciuilibis
ac Pontificij scientia, vt iudicari
haud facîle posset, vtrum melior
esset, an prudentior. Is cùm Ferrariæ, vbi apud Hercu-
lem, eius ciuitatis Ducem, autoritate & gratia multum
valuit, ius ciuile magnis præmijs, maiore nominis sui
celebritate & laude publicè doceret, filium suū ijs disci-
plinis ac literis, quibus puerilis imbui ætas sol et, diligen-
ter instituendum curauit. Erāt tum in ea vrbe omnium
liberalium artium magistri ac doctores egregij. In his
Nicolaus Leonicens, qui non scientia solū medicæ
artis excelluit, sed philosophiam etiā magna cū laude
professus est. Eum Iacobus penè etiam puer Aristotelis
libros de moribus publicè interpretantem audiit. Tan-
tum enim iam propter admirabilem ingenij vim profe-
cerat, vt qua ætate cæteri laborare in linguis discendis
solent, ea Græcas ipse & Latinas literas egregiè callens,
nobilissimi omnium philosophi præcepta cognosceret.
Hunc tali ingenio præditum, atq; ita institutum, pater
amplecti iuris ciuilibis studium voluisset (plerunq; enim
hoc fit, vt parentes quibus ipsi artibus & studijs dediti
fuerint, eisdem liberos suos operam dare cupiant) sed ta-
men naturæ eum, & studijs suis obsequi passus est. Ete-

IAC. SADO. CARD. VITA.

nim egregius adolescens maiorum iam & grauiorū ar-
 tium studio tenebatur: eloquētiæ enim & philosophiæ
 amore exarserat. Itaq; Ciceronem sibi, & Aristotelem
 penitus cognoscendos proposuerat: quorum ex altero
 philosophorum omnium principe, rerum cognitionē,
 ex altero Latinæ eloquentiæ parente, orationis elegan-
 tiam & copiam hauriret. Nec verò non poetices etiam
 studiosus fuit: in qua quidē quantū excellere potuerit,
 si ei se studio penitus dedere voluisset, cōplura quæ ab
 eo adolefcēte facta sunt poemata declarant: Itaq; illud
 in primis, quod CVRTIVS inscribitur: ex quo intelli-
 gi licet, graue eum, & grandiloquum (vt ita dicam) poe-
 tam euasurum fuisse. Is cū ætate iam aliquantum pro-
 cessisset, & ipsam ætatem virtute ac doctrina longē an-
 teiret, patris voluntate Romam se contulit, Alexandro
 sexto Pontifice maximo. Amplissimi tum Romanæ ec-
 clesiæ ordinis virtute atq; existimatiōe princeps & erat,
 & omnium iudicio habebatur, Oliuerius Carafa Nea-
 politanus: ab eo cupidissimè statim in fidē & contubern-
 nium receptus est: atq; hoc primum prudentiæ specimē
 ea in vrbe dedit, quòd ad eum se potissimū contulit, nō
 qui opibus & diuitijs maximè præstaret, (multi enim
 Romæ tum ditiores opulentioresq; eius ordinis viri e-
 rant, quorum illi omnium dom⁹ patuissent) sed qui in-
 tēgritate, qui prudentia, qui religione cæteris antecel-
 leret. In eius castissima domo multos annos ita vixit, vt
 & ad optimarum artium studia assiduè incumberet, &
 cū reliquis omnibus, tū illi grauissimo viro probatis-
 mus esset: à quo etiā honesto in vrbe Roma sacerdotio
 ornatus est. Erat autem in eo iuvene præter excellens in-
 genium, incredibilis quidam pudor, ac singularis mo-
 destia: quæ nō modò in eius sermone extabat, sed in vul-
 tu etiam ipso, & oculis eminebat. Cōmendabat eū præ-
 terea omnibus ijs, qui illum nossent, grauitas quædam,
 maior, q̄ quæ ab illa ætate postulanda esset, eximia hu-
 manitate temperata. Referta tum ea Vrbs erat erudi-
 tissi-

IAC. SADO. CARD. VITA.

tissimis, & in omni doctrinæ ac literarum genere præstantissimis hominib. eos ille omnes celeriter amicitia & consuetudine cōprehenderat. ex quo celebre iā eius nomen, & principib. quoq; viris, ijs præsertim, qui eisdem studijs delectabantur, notū erat: quorum breui tempore omnium gratiam sibi & benevolentiam conciliauit: in primis autē Federico Fregosio Salernitano Pontifici familiaris fuit, viro cū genere ac nobilitate, tū virtute doctrinaq; præstanti: cuius etiam contubernio aliquandiu post Oliuerij Carasæ obitum, vna cum Petro Bembo optimo & doctissimo viro vsus est. Horum inter se amicitia Romæ postea maximè illustris fuit. Etenim iam inde ab eorum adolescentia instituta, per omnes ætatis atque honorum gradus, vsq; ad summam senectutem sanctissimè conseruata est: erat enim virtute, & studiorum similitudine, firmissimis animorū vinculis, iuncta & constituta. Iam quantopere Sadoletus eo tempore virtutis & eloquentiæ gloria floreret, ex eo facile iudicari potest, quod Leo Decimus, acerrimo ingenio, & grauiissimo iudicio princeps, simul ac creatus est Pontifex maximus, eum statim, & Petrum Bembo ex omni doctorū hominum copia delegit, quorum in conscribendis epistolis opera & ingenio vteretur: quod apud Romanos Pontifices munus longè honestissimum est. Is autem eo ita munere functus est, vt non ingenio modò, & scribendi facultate, qua nemo ætate nostra ad illam antiquorum scriptorum laudem propius accedere existimatus est: sed industria etiam, & fide principi illi maximè satisfaceret. Itaque apud eum auctoritate & gratia multum valuit: & ea re facillimè auge re honestatem & facultates suas potuit. Verū vsque eò ab hac cupiditate remotus atque abhorrens fuit, vt (quod vix credibile visum iri puto, his præsertim temporibus & moribus) nullum sibi vnquam sacerdotium a liberalissimo, & sui amantissimo Pontifice petierit: cū tamen amicis suis probis idoneisq; hominibus, &

IAC. SADO. CARD. VITA.

alienioribus etiam, permulta & peteret & impetraret. Tanta idem abstinentia fuit, ut cum pro loci eius quem apud principem tenebat autoritate, munera ei multa & ampla mitti solerent, ea semper repudiavit. Hac ille continentia ita delectabatur, ut plerique pecunia, aut elegante veste ac suppellectile delectari solent. Sua porro commoda negligentem, aliorum utilitati inservire, cum autoritatis & gratiae fructum esse putabat maximum. Cum profectus esset, voti & religionis causa, ad Laurentianae virginis templum, Carpentoractensis ecclesiae Pontificatus in Gallia vacavit: cum delatum ultro sibi absenti à Pontifice Maximo aliquandiu recusavit: cum interea eundem Leo flagitantibus alijs denegasset. Ut redijt, diutius illi cum recusare non licuit. Itaque ut illud magni animi fuerat, tam honestum sacerdotium ultro à Pontifice Maximo delatum, à se rejicere: ita hoc modo rati & Christiani, vocanti ad eiusmodi munus Deo obtemperare. Hoc ille sacerdotium adeptus, primo quanta maxima potuit absens diligentia, commissam sibi ecclesiam per idoneos homines rexit. Post cum ex hac vita Leo excessisset, statim rebus Romanis relictis, Carpentoracte migravit eo consilio, ut populis fidei suae creditis boni & diligentis Episcopi officium praestaret: neque principibus amplius, sed Deo uni, & rectissimis suis studijs inserviret. Exceptus est adventus eius maxima laetitia & gratulatione illorum hominum: tantam illis iam absens de se opinionem, expectationem commoverat: cui tamen expectationi postea egregie satisfecit. Nam & rebus divinis procurandis, & vitae innocentia, & admirabili in primis quadam in eos homines charitate, optimi & religiosissimi Episcopi munus obijt. Vixit in ea vitae quiete ac tranquillitate quoad Hadrianus Pontifex Maximus, qui Leoni successerat, vixit. Creato enim post Hadriani mortem Clemente Septimo Pontifice Max. ab ipso statim evocatus, accessit usque est: quem cum eximie diligeret, multisque & magnis eius officijs

obstri.

IAC. SADO. CARD. VITA.

obstrictus esset: quin ei pareret, tam amanter & tam acriter euocanti, facere non potuit: neq; ad eò rectum, neq; fas esse existimauit, tam bene merito de se Pontifici, præsertim optimum in Christianam Rempublicam præ se ferenti, operam suam denegare. Itaque etsi inuitus fecit, vt ab ecclesia sua discederet, tamen ad eum se contulit: verùm eà lege, vt ne plus triennium abesset: vtique eo exacto tempore, remigrare sibi Carpentora. ãte voluntate ipsius liceret. Romam igitur cum venisset, versatus est in intima eius Pontificis amiciria & familiaritate. Nec verò ingenio hominis solùm Clemēs, sed consilio etiam in administranda repub. vsus est. Ad deliberationes eas, quas habebat de maximis & grauissimis rebus, cum vnà cum aliquot alijs amicis adhibebat: curas illi omnes & cogitationes suas impertiebat: tantum deniq; eius fidei, tantum prudentiæ tribuebat, vt multa quæ ad Christiani nominis quietem, & ad morum ac disciplinæ publicæ correctionem pertinebant, eius potissimùm admonitu & consilio sibi agenda constitueret. Atque vtinam is Pontifex ea quæ interdum præclaro quodam animi impetu agere meditabatur, ad exitum perduxisset: profecto cum vniuersa Christiana Respublica meliore loco esset: tū ipsa Italia, atque vrbs Roma, eas quibus postea afflictà oppressaq; est calamitas effugisses. Non enim in eo Pontifice rectum in Respublica sensum requisuisses: constantiam potius, & perseuerantiã maiorem in bonis consilijs desiderasses. Itaque cum salutaribus Sadoleti consilijs sæpe vsurus esse videretur, flectebatur postea aliorum quorundam, qui longè plurimùm apud eum poterãt, oratione. Intimus erat Pontifici illi Maximo Sadoletus: amplificandę fortunæ ac dignitatis suæ facillimam rationem in manibus habebat: colebatur præterea, & magno honore afficiebatur ab omnib. pro sua tamen in Rempublicam voluntate, nullam commodorum suorū rationem ducens, ex ea temporum ac rerum perturbatione, maximo animi

IAC. SADO. CARD. VITA.

dolore assidue tangebatur : qui quidē extremum, cūm rem in eum locum adductam intelligeret, vt nihil bene monendo & suadēdo proficere amplius posset: statuit, quando Reipub. prodesse iam nihil posset, suæ saltem ecclesiæ prospicere atq; consulere. Itaque cūm operam suam triennium iam Clemēti summa cum fide & integritate nauasset: etsi non nulla concordī & cōpositionis spes inter eum Pontificē, & Carolum Imperatorem allata erat, iamq; inter eos induciæ pactæ fuerant: tamen in sententia permāsit. Nec verò nō mouebatur animo; cūm ab eo Pontifice esset discessurus, quem cūm ob exitiam quādam eius humanitatem, tum ob perpetuam erga se beneuolentiam mirificē amabat. Sed cū cogitaret quanto ecclesiæ suę officij ac necessitudinis vinculo obstrictus esset, cumq; Carpentoraētensis populi desiderium ferre diutius nō posset, longiorisq; in vrbe Roma commorationis causam ambitionem iā potius, quā officium visum iri suspicaretur, omnino sibi abeundū esse statuebat: cuius iustæ voluntati, ac precibus, ad extremum Clemens cedere coactus est. Comprobauit eius consilium is profectō qui intimos hominum sensus perspicit, neq; vnquam non rectis bonorum voluntatibus fauet, Deus. Etenim tam opportuno tempore discessit, vt vix dies viginti ab eius discessu intercesserint, cūm vrbs Roma, decepto à Caroli ducibus per inducias Clemente, absente ipso ignaroq; (vt opinio fuit) Carolo, capta atque direpta est: vt is singulari Dei erga se beneficio horribili illi cladi substractus fuisse videatur. Tum verò, quanquam serò, intellectum est, quā & prudenter sentire Sadolerus, & fideliter monere solitus fuisset. Ille enim & initio dissuasor belli aduersus Carolū, & postea deponendorum armorum assiduus hortator, pacisq; quibusuis conditionibus accipiendæ autor semper extiterat. qui quidem cūm sæpe aliās, tum eo tempore, quo Christianis Principibus intestino bello implicatus, bellum à Turcarum Rege Pannoniæ illatum est, cūm

IAC. SADO. CARD. VITA.

cùm regnum illud, quod Christianæ Reip. firmissimū ad eā diem propugnaculum fuerat, maximo in discrimine versaretur: honestissimè ab ipso Pōtifice maximo pacis mentionem fieri, & de deponendis ac potius abijciendis armis agi posse censuit: idq; cum admonere nō destitit. Sed nimirum Deus nobis ob peccata nostra iratus atque infensus, cū illa vrbi Romæ ac sacerdotum ordini infligēda plaga, nos vt resipisceremus, admonere statuisset: eam illi Pōtifici mentem minimè dedit: vt tam honestam constituendæ concordiaē occasionem arriperet. Cladē hac cognita, Sadoletus eum quem par erat, dolorem cepit, cū vrbs longè omnium nobilissimæ direptione & vastitate vehementer doluit, tum varij & graues multorum clarorum virorum, ac sibi amicissimorum hominum casus, quos tempestas illa oppreserat, in primisq; ipsius Pōtificis Maximi calamitas magnum illi mœrorem attulit. Nō tamen angoribus sese dedidit: sed cū Pontifici Maximo, ac multis præterea amicis tali eorum tempore literas amicissimè & prudētissimè scriptas misisset: tum ipse doloris sui leuamentum à Deo, & ab ijs studijs, ijsq; actionibus, quæ cū Deo in primis gratis, tum etiam animis salutare sunt, petiuit: ad sacrarum enim literarum studia toto tum (vt aiunt) pectore incubuit: quæ post aliarum literarum & artium cognitionem à se vehementer culta temporibus quibusdam, propter occupationes remiserat. Nec verò legendo solum, sed commentando etiam & scribendo, tum sibi, tum alijs prodesse conatus est. Nam cū religionem videret seditiosorum quorundam hominū impietate magnopere vbique perturbatum: tuendæ eius studio incensus, Dni Pauli ad Romanos epistolam maxima religionis nostræ mysteria continentem, & obscurissimis quæstionibus refertam, tribus libris non minus piè, quàm ornatè & dilucidè explicauit. Commissis verò sibi populis ita præfuit, vt nullum in eos fortis & diligētis episcopi munus prætermiserit: quos quidē quāti
face

IAC. SADO. CARD. VITA.

faceret, nulla re potuit apertius declarare, quàm quòd
 eorum causa, amplissimi & potentissimi viri simultatē,
 (qui eo tempore legatus, Auenionem, & finitima illi
 vrbi oppida, quæ in fide ecclesiæ Romanæ sunt, rege-
 bat) homo in iniurijs perferendis quæ ipsi fierent, in cre-
 dibili lenitate, ac nimia propè patientia, suscipere veri-
 tus non est. Multas enim ecclesiæ suæ iniurias inferri,
 multa tum à legato, tum ab eius magistratib. ac ministris
 iniquè decerni atq; agi, pro munere ac pro persona quã
 sustinebat, minimè sibi ferendū existimauit. Ac primò
 quidem illum ab eis institutis, hortando & amicè sapi-
 us monendo, deterrere conatus est: sed cū nihil hac rati-
 one proficeret, cumq; eius, quanquam absentis, Romæ
 magna apud Clementem Pontif. Max. esset autoritas,
 breui tempore perfecit, vt legatus sese colligeret, &
 eos quibus præerat populos, magna in posterum æquita-
 te & diligentia regeret. Qua in re Sadoleti officium, ac
 pietatem potius ad eòs aliquantò post amauit, vt non
 modò cum eo in gratiam redierit, sed ex eo tempore il-
 lum & vereri maximè, & patrem etiam appellare soli-
 tus fuerit. Recreatis hac eius actione Carpentora tensi-
 bus & reliquis illis populis, altera ab eo actio non mi-
 nus pia nec minus illis grata ac salutaris suscepta est. Ma-
 xima iam diu Hebræorum multitudo apud eos con-
 federat: ij Christianos homines imperitos & incallidos
 circumuenire, & quibus pecunias credidissent, eos
 scænoris grauitate, & renouandis multiplicandisq; vsu-
 ris, ad extremum fortunjs omnibus euertere solebant.
 Eorum quoque auaritiam & fraudes, suscepta miserorū
 populorum causa, eaq; diligenter apud Pont. Max. &
 magistratus urbanos per literas & procuratores acta, ma-
 gna ex parte repressit tandem ac coercuit. Quinetiam
 orationem in eos pro Christianis composuit, & cam
 quidem omnium, quæ ab eo scriptæ sunt, disertissimã.
 Alia præterea multa varijs temporibus in Carpentora
 tenses & rem eorum publicam officia contulit: qui-
 bus

IAC. SADO. CARD. VITA.

bus planè declarauit, nunquam vnum cuiquam chari-
 rcum fuisse, quàm ipsi fuerit vniuersa eius ecclesia. V su-
 sæpiissimè venit, vt illi aut Pontifici Maximo, aut Gal-
 lorum Regi, aut ijs qui plurimum apud eos poterant,
 commendandi fuerint: non dici potest: quo animi stu-
 dio, ac potius qua sollicitudine id egerit, profus vt mul-
 tò vehementius, quàm si ipsius ageretur res, laborare e-
 orum causa videretur. Eorum liberi parum idoneis an-
 tea doctoribus vsi fuerant: hoc quoq; ad officium suum
 pertinere existimans, vt illi optimis & moribus & dis-
 ciplinis imbuerentur: curauit, vt doctores semper egre-
 gij ad eos instituendos conducerentur, quibus ipse quò
 diligentius officio fungerentur, præter eam mercedem
 quæ eis publicè dabatur, non exiguam pecuniam contu-
 lit. In eo verò longè maximam curam ac diligentiam
 adhibuit: vt tam turbulentis temporibus, ecclesiam su-
 am in fide, & recta erga Deum religione contineret.
 Itaque si quos in errorem impulsos, à recto itinere decli-
 nasse cognouerat, paternis eos admonitionibus in vi-
 am reducere studebat. Si cuiuspiam concionatoris fides
 & disciplina illi suspecta erat, is ne quem aut publicis
 concionibus, aut priuatis disputationibus corrumpere
 posset, prouidebat: deniq; eiusmodi concionandi mu-
 nus illis mandabat, quorum pietas explorata ipsi esset
 & cognita: quos ipsos etiam attentè audiebat. Non con-
 tinebat tamen illos homines in officio tantopere hæc
 eius diligentia, quàm ipsius innocentia, liberalitas, cõ-
 tinentia. Non modò enim neminem vlla vnquam affe-
 cit iniuria: sed multorum ipse iniurias ita pertulit, vt e-
 os patientia & lenitate sua ad extremum sibi amicissi-
 mos reddiderit. Duriore annona magnum hominum
 egentium numerum alebat. Patebat eius domus semper
 honestis illius præfecturæ ac vicinitatis hominibus. In
 alios præterea honestos ac pios sumptus, vesticgalia sua
 sic solebat impendere, vt vertente anno par ratio es-
 set accepti & impensi: neque enim quicquam tanto
 prece

pere detestari solitus erat, quàm in sacerdotibus studium cogendæ & coaceruandæ pecuniæ. Erant ei omnino modica vel exigua potius vectigalia: sed frugalitate & temperantia in victu cultuq; domestico, assequeretur, ut eius liberalitati sufficerent. Hoc eius vitæ genere, hisq; officijs fiebat, ut illi cum populi incredibili pietate & cultu prosequerentur, ac summam, uti parenti, fidem rerum suarum omnium haberent. Delecti quidem (hoc communis eorum consilij nomen est) ad eum de rebus omnibus publicis referre, eius sententiam imprimis sciscitari, & exquirere solebant: eius denique vnius monitis & consilij nitentur. Nec verò illis modò populis tantopere charus & probatus erat, sed omni ferè Gallia magnum eius erat nomen, magna virtutis & integritatis opinio. Itaque Franciscus Rex cum Lugdunum quodam tempore venisset: atq; ibi officij causa à Sadoleto conuentus fuisset: cum & comiter admodum atq; honorificè excepit, & ex colloctionibus aliquot, grauitate hominis prudentiaq; perspecta, si manere apud se vellet, honestissimum illi in amicitia sua locum, & amplissima præmia detulit. At is cum Regi gratias egisset, de tam propensa erga se voluntate, exposuit quo consilio res Romanas reliquisset, petijtq; ab eo, ut se ad officium & munus suum redire pateretur: cuius consilio animoq; collaudato, Rex cum amantissimè dimisit. Discessit autem illinc cum Regis iudicio probatissimus, tum collecta multorum ex amicis & purpuratis Regis gratia, quorum studia & benevolentiam erga se, varijs postea ecclesiæ suæ temporibus expertus est: velut eo tempore, quo Franciscus Allobrogum regulo bellum intulit: ea autem res ita se habuit: Per Carpentoraactensem agrum Regis exercitus iter faciebat: in eo exercitu Gulielmus quidam erat, qui magnam Germanorum manum ad regem adduxerat, homo iracundus & præceps. Accidit, ut cum aliquot eius milites Carpentoraacte ingressi petulantius sese gererent, eorum

IAC. SADO. CARD. VITA.

contumelijs & insolentia accensi commouerentur primo nonnulli opifices, deinde tota ferè (ut fit) ciuitas cõcitaretur: quò in tumultu vno alteròue ex Gulielmi militibus occiso, reliqui ex oppido expulsi, se ad ducem suum receperunt. Eam ille suorum cædem & iniuriam vlturus, cum ira exarsisset, copias suas continuo vnà cum aliquot tormentis bellicis Carpentoraacte adducere parabat. Hac re cognita Sadoletus, cum fortè tum extra oppidum esset, suorum periculo exanimat⁹, paratusq; eandem quam illi fortunam subire, properè accurrit. Ad eum statim concursus factus est, illum omnes intuebantur, quid agerent, quò se verterent nesciebant: Germanorum enim cohortes iam iam affuturas esse nütia batur. Is nuntios statim & literas ad præfectum regium pro ea quæ inter eos erat notitia mittit, ciuitatis periculum exponit, auxilium implorat. Præfectus autoritate hominis & precibus adductus, Gulielmum accersit. cum egrè ac vix placatum, incepto cogit desistere. Ita Carpentoraactenses cum iam propè de salute & fortunis suis desperarent, episcopi sui beneficio ex ingenti periculo erepti sunt. Gesta autem ea res est mortuo iam Clemente Pontif. Maxi. cum Paulus ei tertius successisset. Huius quoque Pontificis accersitu Romanam Sadoletus redire coactus est. Etenim is sui Pontificatus initio spem atq; expectationem omnium mirabiliter crexit: ostendit enim sibi in animo esse, nouis legibus solutam sacerdotum disciplinam astringere: & sublatis eis, quæ a superioribus Pontificibus Romanis instituta, minus probarentur, sanctiorem gerendi summi Pontificatus rationem instituire. Eius rei perficiendæ causa è longinquis locis accersit, quos doctrinæ, integritatis, & prudentiæ maximam opinionem habere intelligebat: vt cum eis, cumq; alijs præterea quibusdam, quos ex amplissimo ordine adhibiturus erat, tantarum rerum consilia cõmunicaret: eorumq; admonitu ea quæ aut abroganda essent, aut sancienda, cognosceret

IAC. SADO. CARD. VITA.

feceret. Hi autem qui accersiti sunt omnino sex fuerunt, in quibus Iacobus Sadoletus fuit, qui tam grauem ob causam Pontificis Maximi literis euocatus, paruit ei, vt debuit. Agitata ea res fuit complures dies, Sadoletus & reliquis grauissimis viris nihil earum rerum obtinentibus, quæ ad sedandam sacerdotum, imprimisq; summi illius sacerdotij inuidiam, pertinere videbantur: quo quidem tempore Sadoletus etiam eis de rebus aliquot orationes scripsit, quò Pontificis Maximi animum ad rem tam præclaram, tamq; Reipublicæ salutarem, perficiendam acrius accenderet. Verum cum tota ea res postea ob multas & magnas difficultates, & impedimenta quæ obijci videbantur, vel refrixisset, vel dilata in aliud tempus fuisset. Sadoletus non amplius Romanæ sibi terendum tempus existimans, de reditu cogitabat: cum repente vnà cum quibusdam optimis & præstantissimis viris in senatum Romanæ ecclesiæ à Pontifice Maximo cunctis illius ordinis suffragijs, magna bonorum omnium lætitia & gratulatione delectus est. Tunc is Carpentoracte spectans, & ad ecclesiam suam redire cupiens, cum pristinam vitæ suæ rationem ea dignitatis amplificatione obrubatam iri intelligeret, cum honorem recusare in animo habuit: iamq; hac de re epistolam composuerat, quem ad Pontificem Maximum mittere cogitabat. Sed cum in eo accipiendo honore amicorum consilio autoritatiq; cessisset, ita in Reipublica versatus est, vt nihil præter ipsius Reipublicæ cõmodum, & sedis Apostolicæ dignitatem, propositum vnquam habuerit: ac sententiam suam ea qua decuit libertate & constantia semper dixerit. Huius adeo animi ac libertatis suæ magnum Reipublicæ pignus dedit, quo primū die sententiam in senatu dixit: planè enim declarauit, nihil sibi vnquam sancta illa maiorum nostrorū disciplina, mihi fide sua & officio futurum antiquius. Fortè eodie agebatur de amplissimi & nobilissimi cuiusdam hominis honore & commodo: erat autem Sadoletus non

IAC. SADO. CARD. VITA.

collega eius recens solùm, sed vetus etiam amicus. Itaq;
 non poterat nõ inuitus homini, quem multis de causis
 plurimi faciebat, refragari: tamen cùm causa esset eius
 modi, vt illum honeste, saluis sanctissimis legibus, sen-
 tentia sua adiuuare non posset: illud quod boni & con-
 stantis senatoris fuit, fecit, vt legibus ipsis potius, &
 religioni suæ consulere. Nec verò non eadem liber-
 tate & constantia vsus est, quotiescunque accidit, vt
 de ipsius Pontific. Maximi commodis, aut etiam hono-
 re ageretur. Libertate autẽ vti sic solebat, vt neminem
 ea iure posset offendere: leniebat enim illam eiusmodi
 orationis modestia, quæ cogebat eos ipsos, quib. aduer-
 saretur, in optimã partem ea quæ is dixisset, accipere.
 Sed vt amicitia & gratia nihil dabat, cùm id fieri eius
 fides minimè patiebatur: ita cùm è Republ. esse cense-
 bat, quempiam in amplissimum ordinem ascisci, aut a-
 lio quopiam ornamento atque honore affici, cupidissi-
 mè ei ac studiosissimè fauebat. Itaque complures egre-
 gios & virtute ingenioq; præstantes viros, quò in sena-
 tum. legerentur, aut alijs sacerdotijs ornarentur, Pon-
 tifici Maximo partim coràm, partim absens per literas
 cõmendauit: idq; illis sæpe inscientibus: non enim hoc
 ambitione adductus faciebat, sed studio Reipubl. Nec
 verò silendum est de illis officijs, quæ in quosdam Ger-
 manicè Principes, ipsorum quidem etiam, sed multo ma-
 gis Reipub. & communis religionis causa contulit: sem-
 per enim illa tot Germaniæ populorum & principum
 defectione, ecclesiæ luctuosa, ipsis pestifera, grauissimè
 doluit: semper vt ij, qui & poterant & debebant, tanto
 illi vulnere mederentur optauit. Sed cùm sedulitate sua
 ijs qui tum ab ecclesia & Pontifice Romano penitus a-
 lienati erant, prodesse nihil posset, enixè id operam de-
 dit, vt eos saltem qui sua sponte in recta religione per-
 manserãt, & sedi Apostolicæ amici erant, officijsq; suis
 aliquanto etiam amiciores & firmiores redderet. Itaq;
 Georgium in primis, & Gulielmum, hunc Bauariæ, il-
 lum



IAC. SADO. CARD. VITA.

lum Saxonix ducem , omni suo studio officioq; cōple-
xus est: quæcunq; ab eo proficisci potuerunt ad illos or-
nandos, & cohonestandos, profecta sunt: in corū nego-
tijijs de quibus cum Pontifice Maximo agendum esset, i-
psorum procuratores, & legatos, opera, consilio, auto-
ritate sua semper adiunxit. Eius porro officia adeo gra-
ta illis fuerunt, vt & amicissimè ei scribere soliti fue-
rint, & gratias agere, & procuratoribus suis, vt eius
potissimum opera & consilio vterentur, præscribere. In
grauissimum postea morbum incidit, ex quo nondum
planè sese confirmauerat, cum proficiscen-tem Paulum
Pontificem Maximum ad reconciliandos Carolum Ro-
manorum Imperatorem, & Franciscum Gallorum Re-
gem, graue inter se & diuturnum bellum gerentes, se-
cutus est: quo in itinere cum Placentiam venisset, de
integro agrotauit. Ibi cum aliquot dies curandi sui cau-
sa substitisset, vt primùm conualescere cœpit, festinans
properansq; optatissimæ illi de pæce actioni interesse,
itineri se commisit: neq; destitit, quin Nicæam quò cō-
uenturi illi erant Principes, perueniret. Tum verò tem-
pus illud ratus esse, quo bonos omnes pacem vrgere o-
porteret, vti ea fieret pro sua parte vehementer enixus
est. Deinde cum ea minimè conuenire potuisset, pactis
Pontificis Maximi opera decem annorum inducijs, cū
is Pontifex Romam reuerteretur, ipse cōcessu eius Car-
pentoracte, reficiendi & confirmandi sui, ac reuisen-
dæ ecclesiæ causa se recepit. Commoratus ibi est, vt rem
familiarem planè constitueret, aliquanto diutius, quā
se facturum ostenderat: ne tamè operam suam interea
Reipublicæ nauare desineret, opus præclarum sanè, &
Reipublicæ temporibus aptum aggressus est, de extru-
ctione catholicæ (ita enim incribebat) Ecclesiæ:
quod opus Ioanni Saluiato collegæ suo desponderat,
cum propter veterem eorum inter se necessitudinem,
tum ob excellentem eius viri in sacris literis & cæteris
disciplinis, quæ magno viro dignæ sunt, scientiam,
Vcrum

IAC. SADO. CARD. VITA.

Verum propter itinera & occupationes, quæ illum alie ex alijs postea impeditum tenuerunt, nec tres, quos iam confecerat eius operis libros, perpolire, nec quartum, quem illi tanquam fastigium addere in animo habebat, instituere potuit. Reuocatus enim Romam, vix dum ibi cõstiterat, cum renouato quibusdam de causis inter Carolum & Franciscum bello, & ob eorum discordias Republica Christiana iterum in maximum discrimen adducta, quippe cum Turcicum bellum impendere videretur: Paulus Põtifex Maximus per legatos cum vtroque eorum de pace agendum esse existimauit. Itaque delectus ipse est, qui legatus ad Galliarum regem iret: qui quanquam affecta iam ætate esset, tamen nullum pro Republica laborem aut periculum recusans, legationem eam suscepit: adhibitaq; diligentia, quantam maximam ferre senile corpus poterat, maturè in Galliam peruenit. Talis viri autoritate regem permotum esse res postea declarauit. Nam cum ei Sadoletus Pontificis Maximi mandata ac monita exposuisset, post aliquot congressus, animum eius, quanquam armati & viribus suis fidentis, ad pacem flexit. Itaque ex magna desperatione concordie, subito in spem compositionis ventum erat, si modò alterius legati qui in Hispaniam ad Carolum missus fuerat, felicior fuisset legatio. Non est autem ommittenda illa in legatione singularis eius abstinentia: nam cum legatorum qui à Romanis Põtificibus mitti solent, quã diu extra urbem Romam sunt, varia & multiplex sit potestas, & eam ob causam facultatem habeant magnæ conficiendæ pecuniæ, neque id propter inueteratam aliorum consuetudinem turpe habeatur: ea tamen potestate ipse ad questum abuti minimè sustinuit, neque nisi graui ex causâ vsus est: ac ne comites quidem suos quicquam, præter mercedes pro scriptura, aut huiusmodi quapiam opera debitas, quas ipsas etiam imminuit, accipere passus est. Vt à rege autem discessit, Carpentora cte venit, quò reliquam ibi hyc mem

IAC. SADO. CARD. VITA.

maneret, seq; ex assiduis laboribus reficeret: id enim eſt Pont. Maximus, ætati hominis & valetudini parcens, permiserat. Hoc quoq; Sadoleti integritatis exēplum sit, quòd cū extremo legationis tēpore integri mensis sumptum accepisset, atq; ante exactum mensem Carpentoraſte peruenisset: decem dierum sumptum (tot enim dies reliqui fuerant) referri vtique ad quæstorem Pontificis Maximi, quanquam diſſuadentibus amicis, & nimiam eius religionem accusantibus, iussit. Eodem tēpore clientes domesticos, quorum opera strenua & fideli in legatione vsus fuerat, alium alio præmio, & quidem supra facultates suas remuneratus est. In ſequenti ætate in Italiam non sine magno Carpentoraſtenſi dolore diſceſſit. Eò cū venisset, interfuit colloquio Pauli Pontificis Max. & Caroli Romani Imperatoris, qui in agro Parmenſi congreſſi ſunt. Iter tum ex Hispania Carolus in Germaniam habebat: oblata ea occasione, Sadoletus magnum laborum quos in legatione pertulerat fructum captum iri à ſe exiſtimauit, ſi illum quoq; ad pacem hortatus eſſet. Redierat enim ex legatione Gallica, animūq; eius regis ad concordiam propenſum cognouerat, vel ipſe potius effecerat. Verū adeò Carolus dolore iraq; exarſerat, quòd à Rege Galliaꝝ bellum renouatum fuiſſet, vt neq; accurata Sadoleti oratio, neque ipſius Pontif. Max. autoritas quicquam profecerit. Iſtam eni poſtea, lenita videlicet ira, poſt victum & in deditiōnem acceptum Sicambrorum ducem, qui regis partes ſecutus fuerat, & expugnata nonnulla Galliæ oppida, pacem cum eo rege fecit: qua ex re Sadoletus tantum lætitiæ ac voluptatis cepit, vt Deo bonorum omnium auctori, ab eccleſia ſua meritum continuò honorem haberi iuſſerit, & ſcriptam ipſe orationem paulo poſt Carolum miſerit, per quam illius ſapientia & moderatione laudata, gratias ei egit ſuo & Chriſtianorum omnium nomine: & ad ea quæ pro religione, & cōcordia, ac libertate Chriſtiani nominis agēda reſtabāt, cum.

IAC. SADO. CARD. VITA.

eum accendere atque incitare conatus est: cuius optatis magna iam ex parte, optimi & fortissimi Imperatoris virtus pietasq; respondit. Fuit enim hic vir incredibili quodam in Rempublicam Christianam studio: vt ego quidem, qui pro diuturno contubernio sensus eius satis cognitos & perspectos habui, hoc de eo affirmare non dubitem, plus illum doloris semper ex malis hausisse communibus, contraq; ex publicis commodis gaudij, quam rebus suis vel secundis latatus sit, vel aduersis doluerit. Idem moribus fuit facillimis, animo aperto ac simplici, natura omnino ad iracundiam procliuor, sed eius comprimendæ assidua meditatione tantum profecerat, vt lentus potius esse videretur: ac si quando paulo esset commotior, tum maxime sedata & voce & oratione vteretur. Amicitias summa cum fide, & quibuscunq; potuit officijs coluit: familiam suam ea charitate est profecutus, vt cum de suis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Patrem, inuenis: matrem, senex ferè octogenariam amisit: ambos que ad vixerunt summa pietate dilexit & coluit. Fratribus, qui ei complures fuerunt, partem suam primo paternæ hæreditatis donauit, post alijs quoque eos beneficijs affecit. Adiutor ad regendam Carpentoraactensem ecclesiam, cum iam senex esset, vt sibi Paulus Sadoletus fratris patruelis filius daretur, à Clemente impetrauit: idq; non tam propinquitati à se datum dicere solitus est, quam adolescentis ingenio, atq; virtuti. In literarum studijs summa industria versatus est. Lucubrare autumno ineunte bene mane incipiebat, hyeme verò multò etiam maturius: id tempus grauioribus studijs aut scriptioni dabat: quod supererat temporis, id totum literarum studijs reddebat. Hactenus ea que de vita eius memorię prodenda esse visa sunt, scripsimus: nunc de eius obitu pauca scribemus: qui quidem vitæ eius integerrimè atq; innocen-tissimè actę, planè consentaneus iuit. Habitare trās Tyberim cœperat, in ædibus D. Mariæ templo adiunctis:

IAC. SADO. CARD. VITA.

ibi autumni initio in febrē incidit, quę leuis primò, ac propè contemnenda esse videbatur: sed cū nunquā planè deederet, morb⁹ ingrauescere cœpit. Tum is statim accersiri sacerdotem iussit: eo adhibito, ritè & summa cum religione, omnia quę diuinitus ad expiandos animos & placandum Deū instituta sunt, seruauit: re quidem diuina coram eo facta, antequam sacrum illud & salutare Domini nostri corpus acciperet, cū **CHRISTVM** Deum ac conseruatorem nostrum, subleuatus à suis, venerari, & supplici quadam oratione affari cœpisset: tantam subito lacrymarum vim profudit, vt eam precationem præ fletu ac singultibus absoluerè vix potuerit: supremis propè vocibus ac mandatis Paulo Sa doleto, qui ei summa pietate assidebat, ecclesiam suam cōmendauit: ac paulo pòst magno suorū luctu, magno bonorum omnium mœrore ac desiderio, animam Deo reddidit. Doluit eius morte Paulus Ponti. Max. doluit senatus: à Ioanne quidem Petro Carapha Sabinorū epi scopo, quo primū die post eius obitum senatus habitus est, ea de illo habita est, magno cū assensu cū reliquorum patrum, tum ipsius Ponti. Max. oratio: vt neq; vberius cuiusquam vita laudari, nec mors dolentius deplorari potuisset videretur. Laudauit eum item luculenta oratione, maxima honestissimorum cuiusq; ordinis hominum frequentia, in æde D. Laurentij, Iacobus Gal. lus, cuius Romanus in primis honestus. Obijt annum agens Septuagesimum. Sepultus est sine vlla funeris pompa (ita enim ipse præ scripserat) in æde quę curationis eius fuerat, Diuo Petro in Ex. quitijs sacra.

FINIS.

INDEX

INDEX COMMONSTRANS
 QVIS CVI SCRIBAT, ET
 quoties.

A Chilli Bocchio	405	Augusti. Triuultio S. R. E.
Adamo ab Epistolis	Fer Card.	250. 252. 253
dinando Regi	657	Augustino Beatino 408
Alberto Pighio	Camp. 666	Bonifacio Amerbacchio Ba
Alberto Pio	174	siliensi 44. 147
Alexandro Farnesio	S. R. E. Benedicto	Accolto Cardin.
Card.	352. 471. 474.	257. 258. 260. 261. 264.
	475. 477. 479. 485	267. 278. 280. 282
Alexander Farnesius	Card. Benedictus	Accoltus S. R.
Iac. Sadol.	252	E. Card. Iac. Sadol. Episc.
Alexander Casarino	588.	Carpent. 258. 280
590		Blosio Palladio 286
Ambrosio Catharino	598.	Christophoro Mardrucio e-
600. 602		pisc. Trident. 651. 653
Andrea Alciato	Iureconsul	Claudio Rangono 399
to	76. 78. 80. 403	Cosmo Gerio 390
Andrea Gritto	398	Desiderio Eras. Rot. 40. 131
Angelo Colotio	204	134. 138. 141. 142. 145
Antonio Prato	Episc. Seno	Didaco Mendoza 658
nensi, S. R. E. Card.	218.	Dionysio Cardinali 571.
	221. 222. 224. 226	573. 574. 577
Antonio Puccio	Card. 240	Donato Rullo 682. 685
Antonio Suriano	383	Egidio Cardinali 126
Antonio Pulleoni	385	Federico Fregosio Archie.
Antonio Florebello	705	Salerni 27. 30. 86. 89. 93.
Antonio Perenoto	637	95. 99. 110. 116. 536
Antonio Paleario	197	Federicus Fregos. Archiep.
Augustino Grassæ	166	A 4 Saler-

I N D D E X.

- Salernitan. Iac. Sad. 118 Gulielmo Poietrio Cancel-
 Florent. Volufeno Sco. 693 lario 559. 563. 564. 566
 Francisco Guicciardi. 178 Henrico Lusitano 661
 Francisco Ripa 182 Herculi Gonzaga S. R. E.
 Frãcisco Turnonio S. R. E. Card. 32. 70. 614
 Cardinali 236. 238. 597 Herculi II. Duci 392
 Francisco Bellencino 400 Herman. episc. Colon. 604
 Francisco Fregepani Vnga Hieronymo Nigro 21. 320.
 ro 461. 463. 465 326. 328. 331
 Francisco Quignenio 569 Hiero. Niger Sad. 323. 332
 Frãcisco Mario Molsa 697 Hieronimo Vide 410
 Frãcis. Molsa Iac. Sad. 698 Hippolit. Medici 74. 293
 Idem Paulo Sadol. 701 Hippol. Medices Sad. 297
 Frideri. Nausea 416. 467 Hippolyto Estensi 532
 Gabrieli Paleoto Bono. 695 Iacobo Symoneta 319
 Galeatio Florimont. 202 Eidem Card. 592. 595
 Gaspari Contare. 359. 367 Iacobo Sabello Card. 635
 541. 544. 546. 548 Ioanni Mattheo Giberto
 Georgio Duci Saxon. 424. 10. 120. 122. 124
 430. 431. 438 Ioanni Saluiato 36. 38.
 Georg. Calio Lusita. 663 167. 170. 173. 420. 586
 Germano Brixio 148. 150. Ioanni Francisco Pico 128
 157. 411 Ioanni Bellaio 211. 214
 Georg. Cortesio abbati 538 Eidem Card. 216. 418
 Eidem Card. 629 Ioanni Nicolao Aptæ 230
 Georg. Cortesi. Sadol. 633 Ioanni Lothoringo Card.
 Guido Asca. 517. 519. 524 242. 244. 245. 246.
 Gulielmo Bellaio 160. 162 Ioan. Petrus Crassus Episc.
 Gulielmo Bauaria Duci Viterbij Iac. Sadol. 354
 452. 454. 456. 459 Ioan-

I N D E X.

- Ioan. Petro Crasso* 356 *N. Arch. Capue Card.* 374
Iulio Pestugo 443.446 *Nicolao Rodolpho* 583.585
Io. Cocleo 444.448.450 *Nic. Peitellio* 692
Ioanni Gotto 469 *Paulo III. Ponti. Maximo*
Ioanni Caraffa 568 337.341.346.488.491.
Io. Huttardo Mēdoza 612 498.501.506.511.515.
Io. Baptista Spectano 675 *Paulo Iouio* 180
Io. Bernardo Felic. 681 *Paulo Sadol.* 707. & seq.
Ioanni Morono 627 *Paulus Sado. P. Bēbo* 727
Ioanni Toletano 639 *Idem Rodulpho Pio* 730
Ifidoro Clario 687.689 *Petro Bēbo* 14.17.49.52.
Laurentio Campegio 291 55. 61. 62. 65. 67. 393.
Laurentio Grana Signia et 402
Mario Aligero Rheatis E Eidem Card. 533
piscopis 378.395 *Pino Riuenfi episc.* 164
Lazaro Bonamico 13.184 *Prospero Sūctacrucio* 673
 186.193.195.668.406 *Ranutio Farnesio* 644.646
Lazarus Bonamicus Iac. Reinaldo Polo 305.311
Sadol. 190.192 313.423.550.555
Lilio Greg. Gyraldo 409 *Reginaldus Polus Iac. Sa-*
Lodouico Parifeto 335 *dol. Epif. Carp.* 299
Marcello Ceruino 530 *Rodulpho Pio* 177.394
Eidem Card. 578 *Romulo Amaseo* 404.607
Mario Maffeo Volaterra. Sebastiano Gryphio Typo-
 375.380.396 *grapho* 200
Mario Aligero Rheatis & Scipioni Blanchino 671
Laurentio Grana Signia Thoma Campegio 622
Episcopis 378.395 *Thoma Catetano* 82.84
N. Sena. Tholof. prafidi 46 *Vl. Adino Bandinello* 288
N. Acrimontio Card. 249 A 5 I A C.

res de rebus vrbanis non interpellasset: parum illi quidem constantes, sed tamē mihi molesti. Audieramus autem Labeone iā cōscendentes, Germanos milites, quos nos, ab Vrbe cūm proficisceremur, pro pacatis reliquimus, animis commutatis, spectare denuo ad arma: remq; iterum adductam esse in discrimen. Hic mihi metus, atque hac sollicitudo ita haesit in animo, vt postea euelli non potuerit: nec sum sedato animo futurus, quoad certum sciero, quid euenerit, & num salus nostra etiam nunc infesta, an improborum & perfidorum consilia, vel ipsa per sese consenuerint, vel metu compressa sint. Equidem interim illa consolatione sustentor, quod video dies iam complurcis rumores illos conticuisse. non enim simile esset veri, si quid accidisset postea tumultuosius factum, tantas res tandiu filētio iacere oppressas. Sed quoquo modo sese habet res, me meus incredibilis erga summum Pontificem amor, neutiquam patitur cura et angoris expertem esse. Qui si aliquo est adhuc proprio in periculo (quod vt iā ne ita sit, atq; in hoc Deus misericors nostras preces exaudiat) ne ego perquam doleo grauitex, tum eius ipsius causa, cuius ego salutem semper anteposui mea: tum etiam mea. Viderer enim mihi ab officio quasi descisuisse si hoc tempore tali dominum deseruissem: atq; eum dominum, in quo ego amādo, ornando omni pietate atq; omnibus officijs colendo, neque virtuti ipsius vnquam, neq; meo studio satisfacere potuissem. Sed et tunc quid me angeret, quo esse vinculo Deo immortalī obstrictus, quo denique animo, qua spe placatiorum rerum, ab eo digres-

digressus sum, ipse tu optimus es testis. Et nunc in his
 quog³ locis ac terris ea mete sum, vt secundas res ipsius
 alijs fruendas libentissimè relinquam: aduersarum non
 recusè esse particeps. Deum aut quæso, id quod adu-
 rus assidue & precaturus eum sum, vt pacem & otium
 aliquando afferat & Pontifici Max. & Italia: quò li-
 berius ac diutius illius eximia virtute & humanitate
 frui oēs possumus. Sed hæc hæctenus. De te ipso, mi Giber-
 te, aueo plurimum, & ex te cognoscere: quem ego ha-
 beo autorem meæ tranquillitatis: cui vni beneficio alie-
 rum par nunquã reperietur. Itaq³ quantũ tibi debeam
 & ipse sentio: et dabo profectò operam, vt ceteri oēs in-
 telligant. Ego nunc quod maximè est necesse, recuperã-
 da valetudini studeo, quam cœlum istud vrbicum val-
 de mihi labefactarat: vt id quod agere festino, commo-
 dius deinde nauare possim. Rapior. n. cupiditate incredi-
 bili, ad verè immortalitatis sp̃e, quã videor mihi habe-
 re in manib. maximis Dei beneficij, & meæ summa vo-
 luntate incitatus. Itaq³ & ad gerendum piè ac sanctè
 sacerdotium hoc, animo sumus alacres, & ad artiũ ho-
 nestissimarũ studia inflammãti. In altero, vt ne isthinc
 obturber, tuæ et eximia autoritatis, et summi erga nos
 amoris præcipua partes sunt: in altero meæ fuerit cul-
 pa, si non & tuæ, & ceterorum de me opinioni respõde-
 ro: liceat modò per valetudinem. Efficiã enim profectò
 vt omnes fateãtur, meam vel egregiam operã, vel præ-
 claram certè voluntatẽ extitisse. Quo in genere, quid
 tibi receperim, quid Pont. Max. fuerim pollicitus, opti-
 mè in memoria habeo. Tu vt me sicut consuisti dili-

gas ac tueare, te maximopere mi Giberte iucundissime rogo. Vale Carpentio. XVI. Cal. Iunias, M. D. XXVII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. LA
zaro Bonamico, S. P. D.

SI vales gaudeo. Post meum ab Vrbe discessū nihil ad huc omnino à quoquā literarū: ac ne à meis quidem. Itaq; in desiderio sum, & de illis, & de te, & de ceteris amicis aliquid audiendi: atq; vtinā omnia ex mea sententia. Nos venimus ad Carpentor. ad V. Non. Maias, summa horum hominū gratulatione, quorū auxit latitā inopinatus noster aduentus. Itaq; q̄ semper optauimus, ex diuturnis fluctibus, videmur tandem portū esse consecuti: modò vos isthic salui, summiq; Pontificis res eū teneant statū, quā maximè cupimus, nihil mihi ad sp̄e beata vita nō abundè videtur affore. Nā & paruo sat contenti sumus & in hoc honore piè sancteq; admistrādo quoad nobis datum diuinitus fuerit. Deo ipsi eadem deseruire contēdemus: & in libris ac literis toti volutabimur: veterēq; ac diuturnā sitim optimarū artiū nostro tandem arbitrio, in ipsis fontib. explebimus. In hoc genere toto, q̄ pertinet ad artes honestas, & ad nostra illa tibi ignota studia, video te vnum maximo esse posse mihi adiuumento. Nā & de tua doctrinæ vbertate hauriendum nobis erit, & bonorum librorum ex te copia requirenda. Quorum alterū tute mihi recepisti cū adhuc essem Romæ: alterum mihi semper patuisse intelligo. Sed de libris peto à te magnopere, vt p̄missa mihi perficias: ea in re impensa parci nolo. Gratiā aut̄ eā tibi referā, quæ maximè & tua virtute & nostra amicitia
erit

erit digna. Ego ei nunc prauerti volo cura, vt valetudini recuperanda studeam, quam vrbantum istud caelum non mediocriter labefactarat: & spero me optati fore copotem. Te si rogem, vt pristinum tuum amorem erga me conserues, faciam et tibi profectum, & amicitia nostra iniuriam quae videatur quasi constantia tua diffidere. Itaque non committam vt de hac re iure me accusare possis. Tantum a te petam, vt Vbalinum, Sangam, Lalium, Pyrrhinum, Colotium, ceterosque, partim amicos, partim etiam discipulos tuos, saluere iubeas meis verbis: nec patiaris hebescere in eis igniculos benevolentiae, qua erga me videbantur esse affecti. Imprimis vero amplissimis viris Cappegij patronis tuis, & patri & filio, quibus ego mirifice deditus sum, idque eorum merito, salutem a me dicas plurimam. Vale mihi Lazare suavissime, & tibi persuade, te a me valde amari. Carpent. XVI. Calend. Iun. M. D. XXVII.

IAC. SADOLE. EPISC. CARP.

Petro Bembo S. P. D.

Diu est, quod destitimus inter nos misitare literas: neque enim inueterata amicitia tanta coniunctio, talem operam ullam, aut oblectamentum requirebat. Alia porro non fuerunt, de quibus esset opus alterum nostrum ab altero certiore fieri. Sed cum tu in ocio atque literis assiduus esses, ego maximis Romae curis et sollicitudinibus impedire, in longe dispari conditione vitae, pari tamen benevolentia inter nos iuncti semper fuimus. Nunc autem, postquam Dei immortalis admirabili beneficio ex illis turbulentis fluctibus me euolutum, & ad portum ociumque traductum, ea excepit vita quam maxime semper appeti-

petiueram: non existimaui nostra necessitudine, aut ipso tempore alienum esse, aliquid ad te literarum dare: praesertim cum tu mihi idoneam ad scribendum occasionem praebuisses. Cognoui .n. ex Bini nostri literis, quas ille ad me Venetis misit, vigere apud te benevolentiam mei absentis, & memoriam amicitiae nostrae cum fide conseruari: cum is se ad te visendum accessisset, aliquotque horas consumpsisset tecum sermonibus suauissimis confirmet: eaque de te praedicet, quae et tuis plurimis maximisque virtutibus, & meo perpetuo de te iudicio consentanea sunt. Ac mihi quidem quod intelligo me amari abs te, non tam nouum nunc quidem, quam semper gratum atque optimum accidit. Quod vero erga Binum ipsum egregia humanitate usus es: eiusque & opem, & studium, et auctoritatem tuam detulisti, quodque hoc etiam prolixius causa mea fecisti: de eo habeo tibi magnam gratiam. Certum enim est & diligitur a me, & per se dignus ipse est, quem tu quoque diligas: est enim summa modestia, et summa probitate praeditus: doctus praeterea, & elegans, & cum laude versatus in utroque genere scribendi. Sed hoc tu facile pro tuo singulari ingenio perspicere per te potes. De me autem ipso si cupis nosse qui noster status sit: Ego Carpentoracti habito, quo veni ante diem V. Nonas Maias, id tandem asecutus, quod & mea quietis causa tantum ante optaueram, & Deo immortalis iam diu debueram. Locus ipse ab omni terrore & tumultu liber: hominum secunda in nos voluntas: oculi iam non spes, neque desiderium, sed certa, & haud dubia possessio, Denique omnia eiusmodi, ut plane me in limine positum beatam

vita fuerim arbitraturus, nisi ad mea priuata incommoda Reip. calamitas quoq; tanta accessisset. Nā quod ego fortunis omnib. spoliatus, tanq̄ naufragio facto, nudus ad littus euaserim: non tam graue mihi quidem est, iā vsu & ratione edocto, ferenda esse foruiter vulnera fortuna (etsi q̄ fuit grauissimū, libri quoq; mei eandē calamitatē subierunt) quā audire vrbē omnium nobilissimā, domiciliū Imperij ac dignitatis, sedem & patriā omniū nostrū, ita captam ac direptam: clades, cedes, strages tot, tāq; inauditas, ab hoste immani & impro suisse factas. In quibus & Pont. Max. quē ego incredibiliter amo, indigni casus: et multorū præterea charissimorum atq; amicissimorum hominū mortes & exilia, me vehementer perturbant. In quo angore animi etsi ea requiro ex studijs doctrinae doloris solatia, qua mihi adiumento et leuationi esse possint: tamē haud ita multum vsq; adhuc profectū est. Omnem. n. medicinā vincit dolor: nec sic possū studere constantia, vt obliuiscar humanitatis. Sed hæc Deus viderit: cui me totum addixi. Ego si ab his difficultatib. qua me plurima præmūt, & ab omni parte circumsistunt, respirare aliquādo cōperero: efficiam profectō, vt aliquis studiorū meorum & ocij fructus appareat, in quo præclarā tuā volūtātē imitabor: ingenium & facultatē non asequar. De omnib. aut scito tuam iudicationem fore. Vale, & nos dilige. Nauagerio tuo, & M. Antonio Michaeli nostro, Nigro, duobus Teupulis, ceterisq; amicis (sunt. n. utriq; nostrū fermē communes) plurimam meis verbis salutem dic. Carpentoraēt. III. Non. Nouemb. M. D. XXVII.

LIBER I.
IAC. SADOLETVS EPISC.

17

Carpent. Petro Bembo,
S. P. D.

NOli admirari, si & mea, & tua expectatione serius, meas hasce dedi, ad tuas amicissimè atq; hu-
manissimè scriptas literas; morbo impeditus satisfacere officio non potui: quo tamē leuari iam videor. Itaque ut primum facultatem nactus sum, non commisi, ut desiderares à me hoc officium: vel ego potius ut desiderare. Miro enim studio tenebar respondendi tibi: cum vsq; eo accuratè, & suaviter mihi rescripsisses, ut omnem amorem tuum erga me in illis planè literis intueri liceret. Nam & iucundam memoriā vetusta inter nos benevolentia declarabant: & societate doloris eius, quem ex communis Reipub. calamitatus uterq; nostrum suscepisset: & quod maximè tua virtute & prudentia dignum erat, leuationem à molestiis, quam & tu adhiberes, & mihi ipsi censesse adhibendam. Quorū alterum mansueti animi & misericordis, comoueri aliorum miseris: alterum etiā sapientis, si quid ad te priuatim iactura perueniat, scire adhibere ea solatia, quae ad continendum animum in officio, apta esse videntur. Itaq; ego, etsi mea sponte non admodum imbecillus, tuo tamen hortatu atq; exemplo fortior factus sum: nam me quidem nō tam priuata meae difficultates mouebant, (quae, quanquā multa, & magna, tamen non tam acerba, quia graues: quam tolerabiles, quia non nouae videbantur) quam tot innocentium atque amicissimorum homi-

num exitijs, tanta Latini penè nominis internicione,
 perturbabar. Prasertim cum & is Pontifex in crude-
 lissimorum hostium venisset potestatem, quem ego
 summè amarem: et ea vrbs oppressa esset ac direpta,
 à qua ego essem & fortune mea subsidia, & artium
 optimarum ornamenta (si qua modò sunt in me) om-
 nia consecutus: quo etiam difficilior mihi erat ad con-
 solandum ratio, quàm fuerit tibi. Tu enim quibus au-
 xilijs summe virtutis, & prudentia, ad confirman-
 dū animū vsus es: ea ipse domo, atq; abs te ipso attuli-
 sti. Ego que solatia meo dolori adhibere cogito, ea ab
 vrbe illa ipsa accepi, cuius causa mihi maximè dolen-
 dum est: vt idem mihi doloris monumentum sit, quod
 debeat esse lenatio. Itaq; illa ipse litera, quas tu pro-
 ponis nobis, & quarum certè nos ope & auxilio plu-
 rimum vti cogitamus, planè hærent in aneipiti &
 conturbata sunt. Si adsunt mihi, metuunt ne ingrata
 sint in illam urbem, vnde sunt profecta: si desunt, ne
 parum sanctæ officio videantur. Sed, quomodo nunc
 se res habet, consoletur nos profecto tum ratio ipsa
 tum earum rerum, qua postea secuta sunt vis ac natu-
 ra: Pontifice iam liberato ex impiorum manibus, vr-
 be Roma reuiuiscente, arbore et, qua excisa fuerat,
 tanquam ab radicibus, de integro fruticante: nisi gra-
 uiter pertimescerem, idq; videre iam viderer, ex tan-
 tis, & tam acerbis calamitatibus, quas per tot annos
 Italia passa est, gradum potius aliquem ad futura
 mala iactum esse, quàm præteritis cumulum adie-
 ctum. Quod si tu aliter sentis, habesq; in alteram par-
 tem

tem quod potius sequare: quaso me hoc metu quam
 primum libera. Dices: Quid ergo? etiam si hæc ita fu-
 tura sint, idcircone angoribus dedere nos debemus?
 Minime hercule istud quidem: neq; enim est fortis vi-
 ri pendere ex alienis euentibus. Sed tamen φιλο-
 θεωπία quadam est, qua nos afficit: cogitq; ut vul-
 tum ex vultu, sic animū ex animis necessariorum no-
 strorum immutare. Quantum autem mihi & tibi
 cum Latio sit, quantum cum Italia, quam arctum de-
 nig; cum ipsa vrbe Roma vinculum intercedat, non
 solum coniunctionis, sed sanctissima cuiusdam quasi
 necessitatis, magis perspicuum est, quam vt comme-
 moratione egere videatur. Quapropter, vt hanc ora-
 tionē totam iam concludam, & ita fero fortiter com-
 munes miseras, vt non obliuiscar humanitatis: & sic
 doleo aliorū vicē, vt putem mihi nequaquam propterea
 ab animi constantia desciscendum esse. Confugio igitur,
 te eodem hortante & suadente, ad literas, quarū
 nimium iam diu commertio & assiduitate consuetu-
 dinis carui. Quo quidē ipso fit, vt tibi nihil possim ex
 eo genere in presentia mittere q̄ lectione dignum sit:
 dies fortasse aliquid adferet: & mea spes, cōmentatio-
 nesq; non semper abibunt irrita. Sed abs te, quem li-
 brum Vrbinatē te scribis consecisse, eum ego quidē ex-
 peto. Recordor. n. primo illo sætu cū eum recens pe-
 perisses, quantopere mihi is liber arriiserit: quā mihi
 mirē placuerit & elegantia in eo sermonis, & copia,
 & grauitas ipsa, ac prudētia. Quæ cū ego tum plc-
 na iam & perfecta esse arbitrarer: tu tamē homo lyn-

ceus, & acutius cernens, quàm ceteri omnes, perspi-
 ciebas animo quiddam præstantius, quò nos ne cogita-
 tione quidem aspirare possemus. Ita multorum anno-
 rum mora & lima, et vetustatem illi ac dignitatem,
 & nobis desiderium legendi auxit. Quòd si certos na-
 ctus fueris, qui deferant, (nam vt non tuto commit-
 tas, minimè postulandum est) gratissimum mihi fece-
 ris, si eum mihi quam primum miseris. De Bino meo
 quòd ista in illum voluntate es, & lator, & habeo gra-
 tiam. Scripsi ego ad eum statim acceptis tuis literis: sed
 ita acciderat, vt cum eæ mense Decèbri data essent,
 mihi Martio deniq; redderentur: quo tempore ille Ve-
 netijs iam excefferat, & ad Pontificem erat profectus.
 Vbi cunq; is erit, tamen magno illi honori & emolu-
 mento semper erit, tum domus tua ac familiaritas: tum
 apud ceteros autoritas & commendatio. Quòd qui-
 dem eo cupidius manere illi saluum apud te opto, quòd
 duriore adhuc fortuna conflictatus exitum suorum con-
 filiorum etiam nunc nullum videt. Nos hic viuimus in
 fortuna tenui, de reliquo sat contenti. nam & amoenis
 in locis sumus, & in amore omnib. quodq; cunctorum
 maximum est, quacunq; pacem & tranquillitatem
 animi turbare possunt, omnia penitus ex animo ipso
 eiecimus atq; expulimus. Itaq; nullam iam cogitamus,
 nisi cum philosophia habere rationem, quo in genere
 vt aliàs scripsimus, te adiutore potissimum & duce vt
 meditamur. Egidium Cardinalem minus commodè
 valere mihi valde molestum est. Amo enim hominem
 maiorem in modum. Nam cum omni eximia virtute
 & hu-

& humanitate praeclatus est: tum & mihi, & tibi semper fuit amicissimus. In tanta autem penuria nostri temporis virorum talium, & amandus & colendus à nobis praecipue est. Ei ut plurimam dicas meis verbis salutem, itemque nuncies, ad eum me scripturum fuisse, nisi valetudini eius parcendum esse duxissem, vehementer te rogo. Vale mi charissime & suavissime Bembe, nosque, ut facis dilige, communibusque amicis salutem à nobis dic. Vale. Carpëtoract. prid. Idus Maias. M. D. XXVIII.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpent. Hieronymo Nigro.

S. P. D.

EX eis literis, quas abs te IIII. Idus Iulij datas, V. Calen. Septembr. accepi, cognoui, quod per mihi gratum fuit, te ex illo acerbo & horribili casu, quo vrbs Roma, & totius ferè Italia reliqua dignitas, immanis barbariae fluctibus oppressa est, amissis rebus ceteris saluum ipsum atque incolumem in patriam reuertisse: quod & de te cognosce, & de alijs item nonnullis qui ob virtutem & amicitiam mihi sunt charissimi, non mediocri mihi solatiū in meis maximis doloribus prebuit. Quamquam enim, ut tute scribis, fortunis spoliari grauis est, praesertim innocenti, cui nullo ipsius merito ista accidunt: grauius etiā amittere optimorum studiorum lucubrationes, multis vigilijs, & multo sudore diu collectas: tamen ea vis malorum, & tantus concursus omnium calamitatum fuit, ut non pessimè cum illis videatur esse actum, quibus libertatē in hoc

tempore, & salutem tueri fuit licitum. Quod tibi & alijs pleriq; tui similibus, meis familiarissimis, dei immortalis ope & auxilio contigisse lator. Nā quod ego sapientia quadā videar cōsecutus, vt absuerim in tā acerbis rebus, atq; temporibus: nequāquam id mihi ar rogo, sed hoc eiusdem dei erga me beneficiū agnosco, gratiasq; ago illi, quantas equidem possum. Nā quas debeo vt agā et referam, non modō mea, sed ne vllius quidē humana facultatis est. Certē enim si quid ego vidi, aut pramonui: si quid in me aut boni sensus in tā to rerum motu, aut prouidentis in posterū consilij fuit, totum id fuit à deo: cui dum cupio dare eas operas, quæ à mea fide et à pietate mea requiruntur: quid mirum, si ita accidit, vt bonum consilium euaserit sapientiam, quā meminisse vrumquēq; quid sui officij et muneris sit: idq; cum fide & cum integritate prestare. Quod si hi fecissent, qui maximē debuerunt, (de summo Pontifice non loquor, cuius mihi virtus clementia, integritas semper visa est non solum magna, verum etiam admirabilis) q̄ nunc ad omnium iniurias et contumelias proiectum est, in pristina sua veneratione maneret sacerdotium. Sed recordaris profectō reliquorum ordinum, morumq; communiū labem et confusionem: quos ego accusando non insequar: nō quia causa fuerint vniuersa calamitatis: sed quia non possum commemorare sine dolore, quæ & vrbi omnium nobilissima & hominibus multis mihi necessitudine iunctis, infanda & atrocita cōtingere. Illud dico, quod
sen-

sentio, Deū hominesq; contestans, cupisse optimum Pontificem mederi moribus perditis. Sed cum res sero egeret, nō malagmate: ipsius autem natura et lenitas à vehementioribus remedijs abhorreret: vt in corporum solet morbis, sic in corruptis moribus, qua intempestiuè adhibita est, auxit morbū potius medicina quàm leuauit. Mihi quidē saepe summi Pontificis virtutem ac probitatē, beneuolu etiam aduersus ipsum me animum, egregiamq; humanitatem, mecū reputāti, sic amore animus incenditur, non aliquo nouo videlicet, sed illo veteri & diu antè suscepto: vt interdum mihi peccare videar, quòd non praesto sim, tantarum illi miseriarum & consolator, & comes. Quòd si non his vinculis sanctioribus detinerer, nec tanti munere officij Deo essem astrictus: aut si arbitrarer, posse me vnā cum Dei, & Christianae Reipublicae honore ac cōmodo, illius saluti, dignitatiq; prodesse: crede mihi, quo minus me in omne demitterem discrimē, non periculo vllò, non vlla proposita acerbitate detererer. Sed rem intelligo adductam in eum locum, vt lugendum tantummodo nobis sit, nec meam vicem mihi quidem, (quoquo enim modo se habet res, mea nautis est in portu) sed humanitate vincor, & mollicia animi quadam, vt aliorum incommoda ducā pro meis. Nam me, et si eadem, quae tam multos pessū dedit, fortuna afflauit: quod meis & meorū familiarium non tam fortunis, quàm reliquijs veterum fortunarum amissis, omnes ad me nudi atq; egentes conuolauerūt: tamen quoniam ferre haec modicè didici, vel natura,

vel consilio, vel etiam v su planè doctus: viuo aut̄ de-
 goq̄, & in ea gente regioneq̄, terrarum, qua pace &
 concordia imprimis sedata est, & in eo obeundo mu-
 nere quod mihi maximè congruens & honestum est:
 non meā vicē doleo, sed aliorum. Nam mihi quod ip-
 se gratuler habeo potius, quàm quod lugeam. Eorum
 verò, quos amaui amoq̄, incōmodis quin mouear, fie-
 ri nullo modo potest. Habeo tamen spem, et rationem
 quandam, qua mihi, vt in malis, non parum solatiū af-
 fert: illam videlicet, quā ad Deum ipsum refero: quē
 scio, & noui, ita irasci solere peccatis hominū, vt sibi
 solui eas pœnas velit, qua illis ipsis, qui deliquerunt,
 vtiles sint & salutare. Quā eandem rationem te re-
 putātem (petis enim à me per literas, vt tibi aliquid
 consulam, quod sit leuamētum doloris tui) volo bene
 sperare de reliquis rebus. Cui enim castigatio fuit, ei-
 dem erit deo salus nostra cura. Porro ea magis ex vir-
 tute & religione, & probatis morib. quàm ex opibus
 multis & lauta suppellectili spectanda est. Quod si
 multò minore in bono lesi fuimus, vt in eo quod ma-
 ximum bonum est, augeamur, quis lugeat iure? neq̄,
 hanc felicitatem quādam potius, quàm calamitatem
 fuisse ducat? Sed de his satis. Ego te tuos labores, &
 studiorū vigilias perdidisse, ualdè molestè fero: quod
 mihi idem accidit, casu propè mirabili, euentu tristio-
 re. Cum enim direptis rebus ceteris, libri soli supersti-
 tes ab hostiū iniuria intacti, in nauim coniecti, ad Gal-
 lia littus iā peruecti essent: incidit in vectores, & in
 ipsos familiares n: eos pestilentia. Quo metu ū per-
 moti,

moti, quorū ad littora nauis appulsa fuerat, onera in
 terrā exponi non permisere. Ita asportati sunt in alie
 nas & ignotas terras: exceptisq; voluminibus paucis,
 qua deportaui mecum huc proficiscens, mei reliqui il
 li tot labores quos impenderamus, Gracis praesertim
 tot codicibus conquirendis vndiq; & colligendis: mei
 tanti sumptus, mea cura, oēs iterum iam ad nihilum
 reciderunt. Ex quo sat perspectum est, praeter commu
 nes cum genere Italo hoc tempora inimicitias, pro
 prium aduersum me bellum gerere fortunam. Sed ni
 hil illa proficiet: maximum habeo in summo deo, non
 paruum in equitate animi perfugiū. Non me tātum
 quotidiana illius iniuria conuellunt, quantum assuefa
 ciunt ferre haec humana fortiter atq; constanter: atq;
 eo quidem fortius, quod Deum mihi patronū non de
 esse intelligo: nullo hoc merito, nullis virtutū officijs,
 fateor. Sed quid refert, si is adest tamen, meq; ipse &
 protegit, & tutatur? cuius, quod minus ego illis dignus
 sum, hoc sunt maiora erga me & praestantiora benefi
 cia. Pro quibus vtinam aliquando gratus in illum es
 se possim. adnitari quidem certe, maiusq; etiam donū
 eius agnosca, si gratus fuero: quā cetera cuncta pro
 quibus gratia debeat? Quid ergo est? hoc vulnere
 quo nullum grauius studiosis hominib. infligi potest,
 amissarum scilicet vigiliarum & lucubrationum, tu
 leuius multo percussus es, cui ingenium & atas suppe
 ditat, quā ego: cui quātulum quaeso est reliqui? Sed
 tamen ne sic quidem deficio animo: tibiq; autor sum,
 eadem illa studia acrius repetendi: vt nō plus detractū

fortuna iniuria, quàm per diligentiam additum esse
 videatur. Illud fuit extremũ in tuis literis, velut ap-
 probatio amoris erga me tui: quod scribis nihil tam
 optabile tibi esse, quàm esse apud me, & hoc ocio frui
 mecum. In quo, ne viuam mi Niger, si tibi concedo,
 vt tu me cupidius appetas, quàm ego te. Amaui sem-
 per plurimum ingenium, probitatem, sedatum ani-
 mum, spectatos mores: sed imprimis tuum bene mihi
 perspectum erga me amorem. Quominus aut, quod
 summè cupiebam, aliquod illustre ad te commodum
 atq; ornamentum ex nostra amicitia proficisceretur:
 meministi profectò qua res fuerit impedimento.
 Quod nunc quidem vertit in bonum: si quidem mi-
 nus malum est carere, quàm amisisse. Quae autem
 sunt in his locis, eiusmodi sunt: vt animus si sit aequus
 vacuusq; cupiditate, nihil fieri possit amœnius, & si
 his rebus contentus esse possit, hoc est paulominus quã
 mediocribus: ocij quidem & honestissimarum ac in-
 cundissimarum voluptatum assatim est: quodq; im-
 primis tibi esse gratum scio, summa nostra in te con-
 stat beneuolentia. Sed de re tota tuum consilium est,
 vtrum videlicet, & quando. Nos quidem tui sumus.
 Lazarum queror ita nostri oblitum, vt nihil adhuc
 ad me dederit literarum. Nec puto tamen ab eo me
 non amari, quem ego mirificè diligo. Eñ de hoc com-
 monefacias velim, multamq; et illi, & ceteris amicis
 salutem à me dicas. Vale mi Niger, & nos amare per
 seuera. Iterum vale. Carpentoraçti, V. Idus Septem-
 bris. Anno M. D. XXVII.

LIBER I. 27
IAC. SADOLETVS EPISC.
Carpent Federico Fregosio Archie-
piscopo Salerni.
S. P. D.

PAulus ad nos reuersus, simul vt in me incidit, ipso primo aspectu & colloquio statim interrogatus à me nunquid Lugduni tecum esset congressus, & te, quod tantopere cupiebat, conuenire potuisset: Ego uero & conueni hominem, et multum cum eo vt essem, ualde mihi ex sententia contigit: neq; arbitror, inquit, alios dies mihi in vita illuxisse incundiores, quã hos, quibus fui tanta virtute atq; humanitate fuit licitum. Tum multa de te, de moribus, de literis, de omni genere sermonum, consuetudinumq; tuarum est locutus. Quæ cum ego audirem, meo perpetuo de te iudicio consentanea, non mediocriter letabar, prædicationem veterem nostram huius quoq; adolescentis assue ratione et testimonio confirmari. Qui (quod mihi credas uelim) non paulo est, quàm usus ferat, & quàm atas illa postulet prudentior. Sed cum neq; ille laudandi & prædicandi, neq; ego percontandi finem facerem, is dies in sermonibus de te nobis totus consumptus est. Nō enim satiari poteramus, cum quem ego amorem erga te diuturnum iam dudum & stabilem conseruarem, ille eo recente flagraret. Quod mihi quoq; accidisse recordabor primis illis temporibus amicitia nostre, ac familiaritatis: quibus ita eram studio tui, propter tuas eximias & maximas virtutes incensus, vt tãdemum cōquiescerem animo, cum tecum essem: neq;
aliud.

aliud tempus vllum gratum mihi atq; optatū accidere-
 ret. Eisdem nunc vestigijs Paulus ingressus, ab eadem
 virtute tua, qua me cepit, ipse quoq; arreptus est: ut
 in amore tui & obseruantia habiturus sis posthac nō
 hominem vnā ex nostra familia, sed familiā cun-
 ctā. Sed q; tu alijs occupationibus impeditus, quē ad
 modum cōstitueras, in hac loca uenire nequueris: mi-
 hi (ut vere fatear) ualde molestū est. Iā enim pra-
 ceperam animo fructū eximia cuiusdam voluptatis,
 quē in te videndo et amplectendo percepturus essem.
 Tum autem erat multarum rerum, consiliorum etiā
 multorum, inter nos communicatio faciēda: in quib.
 & tu sententiam meam penitus cognouisses, & ego
 tuam exquisissem. Ita parati uterq; nostrum (sicut e-
 go opinor) ut uter consilium attulisset melius, id am-
 bobus ratum esset. Accidit autem eiusdem fortunae in-
 quitate qua me semper eludere conata est, ut me haec
 quoq; expectatio summa iucunditatis frustraretur.
 Quod si me procuratio ecclesiae, & διοικησεος mea
 non tenuisset, quā hoc tempore obire more maiorum
 & explorare est necesse: nulla res mihi fuisset tanti,
 ut non ad te subito conuolarem: quod tamen sum, die
 quidem incerta etiā nunc, sed tamen aliqua facturus.
 Nam & longo interuallo te reuisere perquam opto:
 & quō propiores sumus, hoc te careo agrius: cui no-
 stra agritudini tuo aspectu & colloquio subueniendū
 omnino est. Quibus autem de rebus ego cogitarem
 sermones inter nos conferri oportere: ea res partim
 ad Rempublicam & ad temporum horum naturam
 conditio-

conditionemq₃ pertinent: quod genus cum non satis tuto literis committatur, pratermittere totum est satius: partim in ratione traducenda vita, & in omni genere studiorum literarumq₃ uersantur. De quibus & communicare inter nos etiam absentes, & crebro epistolas mittere licebit. Quanquam in hoc genere quidem, et meorum consiliorum rationes Paulus ad te pertulit: & de tuis mecum vicissim est locutus. Atq₃, ut perspicio, haud ferè dissentimus. Nam quod tu Hebraas, ego potius Gracas secutus sum literas: idem est spectatum ab utroq₃ nostrum. Quod enim interest qua quisq₃ semitam eò tamen perueniat, quod ueniendum est? Sanè solè in eo paruula inest dissensio: quod tu ita sacras literas uideris esse amplexus, ut alias omnes reieceris, & seposueris: ego sic ad easdem propero, atq₃ contendo, ut tamen aliarum comitatu uelim accedere instructior. Sic enim intelligo, (quod idè omnibus patere arbitror) ut in hisce militaribus & bellicis studiis, quod quis fortior est uir, et imperatori suo acceptior: hoc armis et equis, et omni militia instrumento magis curat ut sit instructus: sic nobis in hac cœlesti militia summò omnium regi & imperatori deo nosmetipsos exercere debemus, nullum externum ornamentum, quod huic studio non officiat, esse repudiandum. Sed de his, ut etiam dixi et scribam ad te accuratius, cum sensum tuum omnem ex literis tuis cognoro, & ut ad nos planius ipse omnia perscribas uehementer à te postulo. Illud constare debet utriq₃ nostrum, quod conuelli nullo modo potest: in omni genere scriptorum, studiorumq₃ nostrorum.

inam linguam præcipuè à nobis excolendâ esse, qua nec grauior vlla est, nec præclauior: præterquã quod nobis ab eis viris maiorib. nostris tradita est, quorum admirabilis incredibilisq; sapientia neminem potest omnino pœnitere. in qua quidem ego cum spero te atque opto unã cum cæteris artibus optimis, quibus mirifice deditus es, assiduè versari, tum ego certè versor: hoc etiam cõmodius, quòd tua bibliotheca gratissimo mihi munere copiosior factus sum. Pro quo ago equidem tibi gratias: sed eas referre malletm quàm agere: cui rei occasionẽ aliquam aliquãdo dies allatura est. Tu vt valetudinem tuam diligenter conserues: nosq; quod facis, ames: & te à nobis plurimum amari scias, & si petere videtur esse superuacaneum, tamen abs te peto. Vale. Carpent. Idib. Maijs, M. D. XXVIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Federico Fregosio Archiepiscopo
Salerni, S. P. D.

QVòd cognoui ex literis tuis te valere rectè, memoriamq; mei absentis et beneuolentiã cõseruare, eo valde letatus sum. Quòd verò in eisdem literis erat ascriptum, te proficiscentẽ Lugduno illas ad me dedisse, id mihi nonnullam afferebat molestiam. Non enim possum non cum aliquo morsu doloris ferre: te, cui ego vni omnium hominum cupio esse coniunctissimus: distugì etiã magis à me, & ad remotiores regredi terras: cum ego te abeuntẽ, quem corde & animo amantissimo prosequor, pedibus consequi non possim.

Nec

Nec videre mihi videor interdum, quid me retineat: cum multa tamen impediunt, quibus à spe propinqua videndi et conueniendi tui sum exclusus. Sed quod corpore non possum, id amore equidem et cogitatione facio, ut tecum sim: neq; hora vlla à contemplatione tui absentis mihi preterit vacua. Quod si liceret vnà esse, ut ego te ad præclara illa studia, quibus aliquando simul fuimus dediti, excitare? ut te nõ paterer siue diffidentia quadam, siue aliarum potius occupationũ concursu, à spe præstantissimarũ rerum relanguescere? Etenim visus sum perspicere tuis ex literis sententiam quandam eiusmodi tuam, quasi tu mediocritate contentus sis. Quod sane nollẽ, ita enim natura factus es, ita institutus, ut summa ac prima magis spectare debeas. Atq; ego, qui te adhortor, non is sum tamen, qui autoritate multũ valeã: aut qui sciam mihi id capere consiliũ, cuius tibi sum autor: quippe qui negligentia natura, vel imbecillitate quadã animi, quoti die multa constituens, nihil audeã aggredi. Verum non qui ego sim, sed qui tu esse possis, tibi est cogitandum. Quod si tepor.: impedimento sunt, rerumq; tuarum rationes ita te implicatum cum multis retinet, ut conseruandi officij causa necesse sit & sepã te, & à multis perturbari: sustineat hanc etiã fortuna, cum plurimis alijs peccatis, iniquitatis suæ culpam. Nos autem id demus operam, de quo est in tuis literis præclarissimẽ scriptũ, ut quotidie efficiamur meliores. Et est hæc vna tamẽ omnium maxima præstantissimaq; doctrina, quã non Platoni, neq; Aristoteli, sed omnium doctori

doctōri & creatori Deo acceptam ferimus . Nam de
 ratione scribendi , utrum Latine inter nos oporteat ,
 an secus , liberum sit vtriq; nostrum . Ego tuis literis ,
 cuiuscemodi illæ fuerint , contētum me fore confiteor :
 modō accipiam crebrius . In quo peto à te , vt non in-
 uideas hanc exoptatam voluptatē expectationi meæ .
 Nihil enim mihi potest esse iucundius , quàm de te cre-
 bro , & ex te ipso cognoscere . Quo quidem in munere
 ego tibi præibo , vt tu me imiteris : sapius ad te scribā ,
 vt eliciam tuas . Paulus in studijs remissior nunc qui-
 dem est : quem ego languorem libenter ascribo tempo-
 ri . Nihil enim est quod nolim potius existimare in cau-
 sa esse , quàm naturam , aut voluntatem adolescentis :
 qui si quo incredibili ingenio est præditus , totum in-
 tendere ad optimas artes amplectendas voluerit , ne
 ille nō solum nobis , qui propinquiore sumus , sed alie-
 noribus etiam magno futurus est ornamento . Nos am-
 bo valemus , teq; valere plurimum optamus , & bene-
 uolentiam nostri conseruare , sicuti à nobis quidem
 summa ea cum fide & constantia erga te conserua-
 tur . Vale . Carpent . XV . Cal . August . M . D . XXVIII .

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentoraçt. Herculi Conza-
 ge S. R. E. Cardinali,
 S. P. D.

Ioannes Franciscus Binus, qui tibi has literas reddi-
 dit, vir est eis virtutibus ornatus, quas cognoui sem-
 per & requiri à te, & amari. Nā cū in scribendo lite-
 rarum

rarum venustate ac manu omnibus, quos quidem ego adhuc viderim, facile antecellit: tum verè in dictãdo, & lucubrando tãta facundia est, vt idoneus fuerit habitus, qui mihi in eo munere succederet: quo, vt tu opemè nosti, Romæ nõ mediocri cum dignitate fungebar. Est enim meæ discipline alumnus: deditq; mihi aliquot annos non mediocri mea cū vtilitate operas: tantumq; ingenio & labore profecit, vt in Pontificis epistolis ac diplomatis, facile iã eius scripta pro meis probarentur. Quodq; paucis admodum cõtigit, in vtraq; lingua, & Latina, & vernacula, ea videlicet, quæ nunc est Italia familiaris, pares progressus fecit. Adiunxit porrò ad has artes, quæ ingenij & doctrinæ sunt, illas quoq; quæ sunt bonorum & virorum, & morum: iã & fide, & probitate, & omni diligentia genere atque assiduitatis, & mihi, et omnib. prorsus satisfecit. Is, vt dicebam, cum locum honorificum apud summum Pontificem esset nactus: cumq; & testimonio meo, & sua virtutis commẽdatione, Principis summam gratiam ac benevolentiam obtineret: eiusdem fortuna iniuriã, cuius iniquitate cetera ceciderunt, è summa spe & honore pristino deturbatus est: re familiari sua, quod durius etiam est, nec satis commodè antea constituta, & nunc penitus direpta. Quod quidem fato quodã meo illi accidit: qui cum se, & spes ac rationes omnes suas in meam fidem contulisset, vehementerq; ego cuperẽ illius consulere fortunis, & id sæpius conatus essem: non potui tamen asequi vt id ipsi efficerem. Quod autem fuit proximũ, id effeci, vt eum in eo loco constitue-

rem, vbi & sperare vberiora, & adipisci posset. Nunc in his vrbis Roma & totius Italia ruinis, qua me & communis patria, & plurimorum amicorum ac necessariorum incommodis, & imprimis summi Pontificis, quem ego omnibus vnum antepono, caussa, vehementissimè perturbant: cum ad humanitatem nihilominus pertinere arbitrer, suscipere curam eorum quos & iudicio meo, & beneuolentia sum complexus: existimaui, si res Romana ita cecidissent, & collapsa essent, vt ex tanto, tamq̃, acerbo naufragio, ne tenues quidem superessēt reliquia pristinae dignitatis: essetq̃, ipsi Ioanni Francisco reditus ad suum obeundum minus penitus interclusus: neminem esse digniorem qui potiretur hanc gloriam, tali viro opitulandi, quam te, cuius ego & amplitudini semper faui, & virtutem et liberalitatem natura sum admiratus. Quae quidem hoc in te illustriora omnibus videantur necesse est, quod ceteris Italia luminibus extinctis, sola penè tua virtus & nobilitas relicta est. Itaque nequaquam quidem mirum est, si, qui sua confidunt virtuti, fortuna verò duriore vsi sunt, hoc tempore te intueri vnum, & in te spes suas constituere coguntur: sicut & Binus ipse constituit, & ego vt ita faciet, illi quoque autor sum. Sed quod ad commodum & vtilitatem tuam pertinet, si hunc hominem amplecti tua beneuolentia, & in familiaribus tuis habere institueris, eiusque operam & industriam in tuis rebus adhibere: parce mihi, & cautè de eo est dicendum: ne videar cum beneficium à te petam, potius te afficere beneficio

ficio velle: cum praesertim quantum ex tali ministro
 commoditatis, opportunitatis, dignitatis, princi-
 pi vivo accedere possit, tu pro tuo ingenio & pruden-
 tia statuere optime queas. Quod autem attinet ad me,
 qui in summo dolore, quem ex rebus publicis capio,
 hac quoque cura sollicitor, ut hominis mihi dediti, om-
 niq; uirtute praediti, quem ego summe diligo, tranquil-
 litati & commodo consulatur: peto a te mi optime, et
 praestantissime Hercules, atque omni animi studio te
 maximo opere rogo, si quid mei amoris residet in te,
 & si communium studiorum coniunctio, quae in ami-
 citia vim habere maximam ad benevolentiam solet,
 me ex animo tuo effluere passa non est: mihi des hoc
 absentis, quod ego maxime expeto, voloq;, ut homi-
 nem hunc, de manu mea, in manum istam tuam bene-
 ficam & liberalem acceptum, in familiaritatem &
 gratiam recipias, velisq; illi apud te esse locum, quod
 suo labore, industria, fidelitate, amorem tuum & iu-
 dicium emereri possit. Quod illum ita mature itaque
 officiose facturum esse confido, ut tu si meo testimo-
 nio fidem habere, & mihi morem gerere animum in-
 duxeris, quod te equidem facturum non dubito, facile
 & quam primum sis intellecturus, ad tua multa et ser-
 tuna & familia ornamenta, ex huius hominis familia-
 ritate magnum quoque decus accedere. Me quidem
 tanto tuo beneficio deuinxeris, ut tibi perpetuam pro
 eo gratiam sim debiturus. Quod ut facias vehemen-
 ter etiam atque etiam rogo. Vale. Carpentoracti,
 XIII. Calend. Iulij, M. D. XXVII.

IAC. SADOLETVS EPISC.
 Carpent. Io. Saluiato S. R. E.
 Cardinali, S. P. D.

Nouem menses ferè sunt, cum ego Carpètoracte,
 vt meam ipse gererem & gubernarè Ecclesiam,
 me recepi: cum viginti ipsis diebus ante Roma essem
 profectus, quã illa acerba horribilisq; clades vrbi illi
 omniũ clarissima & nobilissima incidisset. Qua mea
 illinc profectio, cum res illas libenter relinquerem,
 ab vno Pontifice Maximo & clementissimo egre fuit
 diuulsus. Amo enim eum, & amaui semper: nec meo in
 illum studio & voluntate quicquam adhuc in vita ex
 pertus sum ardentius. Quo etiam maiorem ex illo gra
 uissimo casu cepi animo dolorem: quem tamen scriben
 do non persequar, ne & meã ipse molestiam augeam:
 & te videar velle ad luctum illarum rerum mecũ vnã
 reuocare. Quod aut ad meum officium et obseruantia
 erga te pertinet, posteaquam huc veni, cogitaui iam
 sapius ad te scribere. Non enim te fugit, dum Roma
 fuimus ambo, te mi hi semper propositum fuisse, quem
 precipuè colerem: non solum amplitudinis & dignita
 tis tue causa (hoc enim tibi commune erat cum mul
 tis) sed multo etiam magis, quod tu mihi videbaris, in
 illo genere & ordine, vel solus, vel certè cum paucissi
 mis, antiqua illius virtutis exemplum retinere. Eram
 igitur tibi ex animo deditus: neq; tu id nescis. Quam
 meam opinionem & obseruantiam confirmabat, tum
 insignis benevolentia, qua fui semper coniunctus cum
 patre tuo clarissimo viro: tum tua erga me perpetua
 pra-

prestansq; humanitas, cuius nullo tempore obliuisci
 possum. Cogitavi igitur scribere ad te. Sed cum nul-
 lum suppeteret (his quidem temporibus miseris, perdi-
 tisq;) argumentum, quod vel mihi scribenti, vel tibi
 meas literas legenti, esse aptum videretur, distuli usq;
 in hunc diem: nec mediufidius, quò nunc habeam ma-
 gis quid scribā, quam habuerim antea. Sed quia quic-
 quid nunc demum scripsissem, id te putavi placatiore
 animo esse lecturum: cum non solum dies, id quod om-
 nibus commune est, sed etiam prudentia, quæ tua laus
 propria est, sedasset in te animi molestias. Quanquam
 qui sedari possint, non planè perspicio. Non enim sunt
 nostra mala eiusmodi, vt si in vna parte offensum sit,
 iu altera sit prosperè actum. Sed cum vno interitu om-
 nia iaceant prostrata, vbi amplius spe nulla nitamur
 non habemus: nisi ad eum solum respiciamus, qui altis-
 simum posuit refugium suum: quò videlicet, neq; mali
 flagellum aliquod, neq; fortuna temeritas potest aspi-
 rare. Quod equidem oro optoq; quotidie, vt ita fiat.
 Sed si cæteris non possim, mihi quidem ipsi consulere
 potui: habeoq; constitutum, nequaquam amplius post
 hac à summi Dei cultu ac famulatu me seiungere, cui v-
 ni sum dicatus ac deditus: hoc arctiore fidei & deuotio-
 nis vinculo, quàm plerique: quòd cognoui meam illi sa-
 lutem & libertatem esse curæ. Itaq; certum est, quòd
 tempus vitæ reliquum mihi fuerit, id omne ad Dei im-
 mortalis cultum, & artium optimarum studia cõferre
 Quòd scribo ad te aliquanto liberius. Senti enim te nū-
 quam abhorrere à talibus consilijs, quæ cum Deo con-



iuncta sunt : quæ qui deludere & aspernari solebant, cum opes & potentias nimium sectarentur, intellexerunt, ipso euentu docti, falso se consilio à veris rationibus aberrasse. Sed de his hæcenus : neque enim hæc eiusmodi sunt, in quibus immorari admodum letabile sit. Ego quem amorem, quamq̄, obseruantiam erga te iã inde ab initio nostra coniunctionis capere, perpetuò sum conseruaturus. Tu me vt diligas, & in tuorum numero ducas, tibiq̄, deditissimum esse existimes, magno pere à te peto. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Februarij, M. D. XXVIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Ioanni Saluiato S. R. E. C.

S. P. D.

TVis literis plenissimis humanitatis & beneuolentia, quibus ad meas rescripseras, nihil adhuc respondere potui, morbo impeditus, non negligentia retardatus. Fuerunt autem illa, vt quidem esse debuerunt, mihi iucundissima. Nam & memoria mei tua mirum in modum me delectauerunt: et in optimam partem accipitum iudicium, quod ipse de me in illis faciebas. tum consilium, quo cohortabare, vt nollem hoc tempore deesse reip. cui tot annos summa cum fide & diligentia seruissem. De iudicio quidẽ, quod tibi ego idoneus videar, in quo sit aliquid opis & adiumenti reipub. (quando hoc ita accipio, vt id tui potius erga me amoris iudiciũ esse putem, quàm ullius mea virtutis testimonium) habeo tibi magnam gratiã. Talis enim viri beneuolentia
satis

*satis mihi pro illustri testimonio est. Quod verò aut
 me deceat, aut id vera & recta ratio à me postulet, ut
 referam me rursus in illos fluctus, ex quibus Dei im-
 mortalis incredibili benignitate semel ereptus sum :
 quanquam in omni genere prudentia plurimū tibi tri-
 buo, tamen in hoc planè quidē non assentior. Est enim
 in eum mihi munus attributum, quod nec deserere de-
 beo, neq₃ ab hac mente, illius piè recteq₃, administran-
 di, ipse deseri. quod quidem ego perspicere non possum,
 quo pacto absentes probe administrant, cum ego ipse
 qui adsum, attendoq₃, re experiar, hanc vnā omnium
 maximè laboriosam et difficilem esse prouinciam. Sed
 ut hoc mutari conuelliq₃, possit: quis mihi prestet, ritè
 omnia deinceps in vrbe auctu iri? optimus quidem &
 iustissimus est Pontifex: sed cuiusmodi ceteri ordines?
 cuiusmodi tempora? Qui hominum mores? Nos verò
 qui satis diu satisq₃, vehementer illis rebus dedimus o-
 peram, & aliqua inseruiendo recipub. naufragia iā fe-
 cimus, aliquando littus portumq₃, nacti, obnixè illum
 teneamus. Equidem quod reliquum dabitur vita, id e-
 Deo & musis sic impendere totum deuoui, ut aliā nul-
 lam cum quoquam cogitem habere rationem. nec de-
 spero in hoc ipso quoque genere vita, fore me & ipsi
 summo Pontifici, quem incredibili quodā amore pro-
 sequor, & ceteris amicis, ornamento aliquādo ac volup-
 tati. Tantum tenere mihi hanc pacem animi, & hunc
 fructum tranquillitatis, quo mirificè perfruor, ad die
 vitæ ultimum liceat. in quo mēs quidem mea per quā
 est constans, sed fortuna est ipsa perime scenda, cuius*

tanti & tam varij sunt ad ladē dum conatus, aduersus quam illo perfugio vti meditamur, quod est vnum omnium certissimum & maximum. vt in Deo ipso omnis spes vitæ, omnia subsidia fortuna constituamus: qui si fuerit nobiscum, quis contra nos erit? Atq; hæc pauca ad te, velut excusans opinionē meam, si non ea est omnino sententia tua consentanea: cum præsertim probè intelligas ipse, etiam si in me esset ingenium atq; eloquētia, quæ quidem perquam minima est, quàm nihil tamen illa profectura sit in tam auersis ab æquo & bono, cunctorum moribus ferè & voluntatibus: quæ non modo nihil appetunt rectum, neq; honestum: sed ne in eo quidem ipso, quod perperam appetunt, habent certam & constantem rationem appetendi. Sed hæc fortasse plura, quàm oportuit. Quòd autem priuati iam tecum officij est: quòd tu meā beneuolentiam & agnoscas erga te, & tuam mihi ipse vicissim tribuas, meq; in numero ducas tuorū: vehementer (vt verū fatear) mihi gratum est: tibiq; confirmo, si quid aliquando euenerit, vt re ipsa declarandū sit, quo sim in te animo: me non solum æquaturum, sed (si licebit) superaturū etiā tuā de me opinionem. Tu vt mei memoriā conserues, hominiq; omnibus ingenij & virtutis ornamentis prædito, Alberto Pio Carporum principi, plurimam vt dicas meis verbis salutem, te magnopere rogo. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Maij, M. D. XXVIII.

IAC. SADOLETVS EPISC.

pent. Des. Erasmo Roterod.

S. P. D.

Acce-

Accepi tuas literas, Basilea Calen. Octobris datas, in quib. erat manu tua a scriptum, alteras te eodē exemplo antē dedisse: quas non acceperā: Sed et hæc tardius huc allata sunt, medio enim Nouembri mihi sunt reddita: Quas habui, mi Erasme doctissime, omni ratione gratissimas Nā et effigiē tuā eximia virtutis, sum meq; humanitatis, mihi ante oculos totam posuerunt, quā ego semper soleo & mirari, & amare: & tuæ erga me singularis beneuolentiæ fuerūt mihi fidelissima testes. Quod enim tantam de salute mea curam suscepis: atq; vsq; eo fueris sollicitus, quoad habueris certum, quid me factum esset: meq; in his locis constituisse cognoueris: amici nimirum animi, & egregiē beneuoli, hæc magna est significatio, in qua ne viuam mi Erasme, si tibi concedo, ut in amando me sis superior. Multa equidem quæ in te sunt, atq; haud scio an multo plura quàm in quoquam alio, dilexi semper et admiratus sum, ingenium, eruditionem, copiam: atq; illud imprius, quod tu ista tanta doctrina ornamenta ad pietatis studium, & ad Christi celebrandum nomen contulisses. Huic verò tuo tanto in meipsum amori, et si animo ac beneuolentiæ sum par, verbis tamen et literis satisfacere nō possum. Dum enim autē cupio exprimere quàm me tibi deuinctum putem, mihi nec stylus, nec oratio suppetit: quod tu per te melius poteris exillimare. Sanē, quod ad me attinet, admirabili dei beneficio salus mihi tu & incolumitas est inuenta, cum viginti diebus ipsis ante miserrimū casum Romæ, ex vrbe illa exiui, iter habens ad ecclesiā meam, & in ea residere,

quod reliquum esset vita, constituens: quo quidē voto iam antea Deo eram obstrictus. Nec verò dubito, quin recta & grata Deo hac voluntas, causa mea incolunitatis extiterit. Nam mea reliqua eiusmodi sunt, ut mihi illius magis misericordia sit opus. Sed quod ego minus meritus sum, hoc summi eiusde Dei clementie & benignitati maior à me debetur gratia. Meas quidem fortunas omnes, acerba mihi vr̄bis fortuna eripuit. In his ipsam bibliothecam, quam ego Gracis & Latinis libris magna diligentia vndiq; comparatis, refererā: qua omnium fuit, ut & tu existimas, & ipse sentio, iactura grauisima. Sed tamen omnia in partem bonam accipienda sunt. De Bembo meo nihil est quod labores. Is viuo etiam tum Leone, morbo coactus, cœli mutandi causa, contulit se Patavium: ibidē q; consedit, et nūc quoq; commemoratur, totus literis & studijs deditus, omnemq; habens cum Musis rationē: quem ego arbitror pangere profectō aliquid, quod ipsi laudi futurum sit, ceteris non mediocri voluptati. Vr̄bis Romæ casum quem pluribus desles, non alterius arbitror eloquentia dignē posse deplorari, quā tua. Incredibile est, quantum calamitatis & damni, ex illius vr̄bis ruina, omnino humano generi inuectum sit. In qua etsi vitia quoque nonnulla inerant, maximam tamen multo partē dominabatur virtus: domicilium certē humanitatis, hospitalitatis, comitatis, omnisq; prudentie ciuitas illa semper fuit: cuius excidio, si qui, ut scribis, letati sunt: ij nō homines, sed fera potius immanes sunt existimādi. Quāquam hoc paucis vsu arbitror contigisse, ut aut non do
luc-

luerit nobilissima omnium et multo prestantissima vr-
bis clade: aut si furore quodam vsq; eo debacchati sint,
vt hoc illi exitij maliq; optauerint, nunc saturatis odijs
non aliqua furoris sui penitentia, & vicissitudine re-
rum humanarum moueantur. Sed de his viderit Deus.

Quos tu quod scribis resipiscere iam coepisse, cupio e-
quidem vt ita sit: idq; precari Deum non desinam: non
enim odi illos, quin eos reuerti ad sanitatem opto: sed
tamen Deus viderit. Ego quod te habeo socium huius
doloris, neq; parum ex eo me consolor, & de tua opti-
ma mente atq; natura egregium iudiciu facio. Quod
viam pacis & concordia communis aliqua aliquan-
do ratio habeatur: quod melius consolari nosmetipsos,
& recte sperare de omni repub. possimus. Nunc & tu
prudentissimè scribis, & ego intelligo, omni hac spe
(nisi Deo aliter statutum sit) penitus sublata, nihil ne-
que bonis literis loci, neque studijs pietatis, relictum
iri. Nec tamen propterea deficere animo, aut defati-
gari debemus, quin cuncti, qui artibus optimis imbuti
& instituti sumus, subueniamus pro sua quisque par-
te huic tanto damno, communiq; iactura: & in libris na-
uemus pacis & pietatis operam, si minus in repub. &
in certu hominum possumus. Inqua quidem actione et
ego elaboro, & te video tantam iam laudem consecu-
tum esse, vt non modò assequi te, sed vix imitari quisq;
confidat. Nam qua nos multo cum labore, longo tem-
pore rudia tamen & imperfecta facimus, tu nullo ne-
gotio breuissimo in tempore, planè expolita absolutaq;
lucubraris: vt iam non in te cura sit, sed natura, oratio

nis ille nitox, & verborum sententiarumq̄, incredibilis vbertas Quo etiã minimè mirum tibi uideri debet, multos esse obtreçtatores tue laudis, & inuidos: est enim edita in altum laus tua, neq̄, omnes eiusmodi, vt magis eos virtus ad amorem, quã celebritas fama ad maleuolentiam adducat. Qui tamen abs te contemnendi & nihil faciendi sunt: non enim digni sunt, quorum vel habeatur mentio. Ego sicut & amor erga me tuus, meusq̄, vicissim erga te, & mea natura, & imprimis officium amicitie postulat, semper futurus sum, & tuarum clarissimarum virtutum fautor, & dignitatis ac nominis precipuus amator. Vale. XII. Cal. Decembris, M. CCCC. XXVIII. Carpent.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpent. Bonifacio Amerbachio
Bafilienfi S. P. D.

LEgi tuas literas, plenas beneuolentia, & officij: in quibus quoddam merita mea erga te tantopere commemoras, facis tu quidem abundantia amoris: nam ego eiusmodi officia, quae similibus tui viris probis doctisq̄, tribuuntur, magis honestare eos qui tribuunt, quã eos quibus deferuntur, semper arbitratus sum. Quam obrem si quid egi tui causa, non tam mihi te gratias, q̄ me occasione agere oportet. Atq̄, vtinam, qua in te voluntate sum, tantum mihi dedisset fortuna facultatis, vt magna aliqua in re meum animũ melius perspicere potuisses: non te sefellisset opinio tua, si quam de natura & moribus meis susceptam habes. Etenim cum
sim

fm virtutis atq; doctrinæ planè studiosissimus, teq; v-
 traque earum plurimum valere perspexissem: iam ex
 eo tempore, quo te primùm Auenione cognoui, amavi
 te perpetuò postea, nihilq; non tua causa mihi facien-
 dum esse duxi: neq; me meæ semel susceptæ in te bene-
 uolentiæ vnquàm pœnituit. Nunc verò, cū te ostendas
 tam memorē, tamq; gratum, humanissimisq; verbis o-
 mne tuum studium mihi deferas, etiā amantius absen-
 tem studiosiusq; complector. Quid enim faceres, si ali-
 quo magno beneficio à me esses ornatus, cū pro tam
 praua re, tam magnam te mihi debere gratiam præte-
 feras: omnino omneis habeo causas diligendi tui. Qua
 propter velim hoc tibi persuadeas, paucos te habere,
 de quibus tibi æquè, ac de me polliceri possis. Sed hæc fa-
 ctis libentius præstabo, quàm verbis. Irenæi librum ac-
 cepti, quod sanè mihi iucundum munus fuit: gaudeoq;
 ea quæ diu abscondita fuerunt, nostra ætate potissi-
 mum luci esse reddita. Ego assiduus in literis sum: cu-
 do etiam nescio quid: quod si confecero ex sententia,
 erit aliquid, credo, ad veræ pietatis studia profectum.
 Sed incredibilis in me est tarditas: in quo ego soleo E-
 rasimum nostrum maximè admirari, eiusq; ingenij
 vim, & orationis suscipere copiam. Cui tu plurimam
 salutem dic, tametsi eius quoque literis ipse rescribo.

Vale mi Amerbachi, & nos dilige, omnesq;
 istic viros, doctos, qui rectè pieq; senti-
 unt, meis verbis saluta. Carpentor-
 acti, XI. Calend. Decembr.

M. D. XXVII.

IAC.

Cum venissem Carpentoraacte ad V. Nonas Maias,
 mea ecclesia deseruendi, & Deo in ea opera offi-
 cijq; impendendi causa, rebus Romanis aliquando pe-
 nitus relictis, quod quidem meum consiliū, Dei eiusdē
 erga me benignitas, & secuti exitus postea, compro-
 bauerunt: quasiui statim ex his quos scire putabam,
 quibus in locis esses, cupiens scribere ad te, & funda-
 mēta nostra benevolentia iam pridem auspiciato iacta
 (si quidem optimum auspiciū uirtus est) literis con-
 firmare. Cū autem mihi de te nihil certi respōdere
 tur, propterea quod negotijs publicis à Rege assidue
 adhibitus, itineribus crebris distraherere, neq; diutius
 ferē uno in loco consisteres: & ob eā causam, & quod
 deinde tristibus nuntijs ex Italia multis allatis, & pri-
 uata mea incommoda, & multo magis publica calami-
 tates animum meum nō leuiter perturbauerant, usq;
 in hunc diem à scribēdo fui retardatus. Nunc uero, de-
 pulsus nubibus illis mœroris ac molestia, quas mihi in
 animo tantorum malorum cogitatio cōgregarat, cū
 (quod solet esse non difficillimū ijs, qui in summo Deo
 spes suas posuerunt) speretis humanis casib. ad serenita-
 tem animi, et ad constātiā me retulissem, statui has ad
 te dare literas: quas ubicunq; esses, tamen speraui ad te
 aliquando perlatum iri, per quas & officio satisfacere-
 rem (sum enim tibi pro tuis multis erga me meritis iā
 pridem ualde obstrictus) & renouarem in te, quoad
 fieri

fieri posset, memoriam ac beneuolentiā mei nominis. Ego iam ab eo tempore, quo primum ad senatum Tholosanum (cui tu maxima cum dignitate praes) causa ecclesiae mea fuit delata, cognoui meorum procuratorum, hominum probatissimorum, testimonio, qui vir esses, qua integritate, qua prudentia, quāta autoritate praeclitus: intellexi quoque, tū illud, te ita esse studijs optimarum & artium & literatum deditum, ut in eo genere laudis & scientia excelleres. Quod quidem ego maximum in homine, si cum virtute innocentiaque iungatur, statuo ornamento esse. Non enim si rarum est, iccirco desinit esse praecclarum. Quin ad splendorem & nobilitatem huius doctrinae, qua ex politur humanitas, quaeque una praecipue animos hominum ad veram dignitatem honestatemque instituit, addit quandam admirationem etiam raritas. Magnum est. n. et proorsus admirabile, ita quari a quopiam in hoc tempore sapientiam, ut ea non ad questum ullum sed tantum ad bene beatamque viuendi rationem referatur. Equidem his tot tuis ornamentis laudibusque acceptis, susceperam iam erga te non mediocre beneuolentiam: cum acceperunt officia deinde tua erga me absentem, meosque praesentes, qui causam meam apud senatum istum defendebant, plena gratissima humanitatis. Ostendisti enim illis, te (quod meae quieti & tranquillitati, quoad equitas ferret, cuperes esse consultum) in tota ratione iuris administrandi, quod tu pro tua singulari iustitia potissimum obseruaturus esses, habiturum libenter rationem mei: ut, cum primum recte fieri posset, de re transigeretur: atque ego curis

illis

illis & molestijs omnibus liberarer. Quam voluntatē
 erga me tuā vsq; aded meminitum mihi accidisse gra-
 tam, vt nullum tantum onus gratiæ esset, cuius non me
 tibi debitorem putarem. Nihil enim est, quod me ma-
 gis alliciat, vel rapiat potius ad amādum, quàm amo-
 ris erga me significatio. Quæ cum in te non mediocris
 apparuisset, multaq; essent præterea, quæ ego in te nõ
 probarem solum, verum etiam admirarer: memini tū
 me ita constituere, tanti viri amicitia nil mihi esse de-
 bere optatius. Itaq; & statim tibi de hac mea volunta-
 te literas misi, & multis mandauit, vt corā eam tibi ex-
 ponerent. Secuta sunt tempora, quibus tu, Regis tui de-
 tua præstanti virtute, iudicio, ad grauiiores res obeun-
 das Tholosa euocatus, ego in illis Italia fluctibus versa-
 tus, ambo grauibus curis negotijsq; districti, à scriben-
 do cessauimus. Nunc autem, cum Dei immortalis in-
 credibili beneficio, cui meā salutem cognoui fuisse cu-
 ra, ego in portum ex alto tandem peruectus sim: habe-
 amq; constitutum, quod reliquum vitæ est totum in eo
 munere fungendo ponere, quod à me eidem Deo maxi-
 mē debetur: putauit conuenire bentuolentia in te mea,
 te de aduentu nostro, omniq; statu facere certiorē. vt
 scires, me repudiatis pristinis illis vitæ actionib. quæ,
 etsi à me non mediocri dignitate tractabantur, ad illa
 tamen iam aspiranti, quæ diuina immortaliaq; sunt,
 impedimento: magis erant, quàm adiumento, reuolu-
 tum totum esse in eas literas, & ad ea honestissimarū
 artium studia, per quæ nosmetipsos noscendi, & ad
 Deum ipsum propius accedendi, ampla nobis facultas
 para

parata sit, quã facillimè cõsequemur, si cū studio vera sapientiæ cultū pura sancta q̃, religionis in vnum quasi complexum copulabimus. Quod sumus Deo adiuvante studiosè effecturi. Et quoniã te quoq̃, eadē voluntate ad hæc præclara studia propensum esse intelligo: audebo te hortari, nō tā ambitione, quã benevolētia adductus, vt mandas in sententia, atq̃, inter publicas res administrandas, impertias huic etiã cura aliquid tēporis: quod & fructus vberiores vite beatæ percipias, & fias ad illa gerēda atq̃, tractanda, si fieri potest, etiã instructior. Ego quã semel erga te singularē suscepī benevolentia, eã perpetuò & cū fide conseruabo. Tu si me vicissim, vt spero, & vt instituisti facere, dilexeris, mihiq̃, aliquid aliquãdo literarū miseris, dabo operã profecto, vt te ne vnquã nec iudicij de me tui, nec nostræ institutæ necessitudinis pœniteat Vale. Carp. XI. Cal. Nouē. MDXXV II.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-
LARVM LIBER II.

IAC. SADOLETVS EPISC.
Carpentoraçt. Petro Bembo,
S. P. D.



VBITVS discessus Pauli Sadoleti (qui fratris Patruelis filius, mihi ad manum adolescens, non solum summa spe atq̃, indole omnium virtutum, sed ipsis iam virtutibus praditus, repentino nuntio

D tio

tio de patris morte coactus, à me proficiscitur) facit,
 vt conturbatiore animo ad te scribam de tuo libro quæ
 scribenda sunt. Quem ego librum tibi remitto, nactus
 idoneum hominem, qui perferret. De quo ipso tamen
 accipe pauca. Lectus enim est à me per diligentem: mi-
 rumq; in modum ea me lectio delectauit. Nam & cha-
 rissimi amicissimiq; hominis præclara ingenij ac do-
 ctрина monumenta aspiciens, eum ipsum, quem maxi-
 mè diligo, visus sum aspicere: & ipsa oratio ac dicendi
 genus, eiusmodi est, vt nihil nitidius, nihil elegatius, ne-
 que venustum magis possit desiderari, vel in delectu cul-
 turg, verborum, vel dignitate & copia sententiarum.
 Itaque ego, qui eas parteis in dialogo gero, quas tu me
 pro tua in me beneuolentia gerere voluisti, sumq; in il-
 lis testimonium illustre tui de me iudicij consecutus, fa-
 cile agnosco, in istis ipsis scriptis me multò disertius &
 commodius loqui, quàm soleam in meis: proq; eo magnã
 tibi habeo gratiam. Quod enim maximo cum labore,
 nequeo tamen assequi, id sum tua opera sine labore vl-
 lo meo perfacile adeptus. Ac ad reliquas quidem suauit-
 ates, multas ac magnas, quibus me affectum sensi, illa
 accessit, cæteris non minor, quòd temporum nostrorum,
 veterumq; doctorum: ac factorum, que nobis vnquam
 inter nos acta & communicata sunt, omnium est mihi
 memoria ex illo libro renouata, tum cum erat nostra æ-
 tas ad omnem alacritatem & animi hilaritatem longè
 aptior. Habita quoq; est illustris mentio multorum for-
 tum virorum, quibus cum vtrig, nostrum iucundissi-
 ma fuit familiaritas: quorum partem maximam mors
 nobis

nobis eripuit. Quo etiam tu maiorem officij et pietatis laudē es meritus. Quos enim iuuenis apprime dilexisti, eos etate iam prouecta eis honoribus exornas, per quos & virtus vnā eorum, & tui praestantis ingenij laus immortalitati consecratur. Sed hac haecenus. Etenim cum scribam negligentius, simq; animo suspensior, verendum mihi est, ne tanquam omnia conans dicere, parum tamē dixisse videar de eo, de quo nihil satis pro dignitate dici potest. Itaq; venio ad alteram partem. Cōtendisti enim tu à me per literas pluribus verbis, vt in corrigendo & mutando, quae mihi mutanda esse viderentur, neu stylo parcerem, neue vllā in eo amoris, aut indulgentiae ducerem rationem. Ergo obtemperare tuis praecceptis volens, annotaui nonnulla, hercule magis vt fidem tibi facerem diligentia mea, quā quod valde necessariū arbitrarer. Sed malui tibi superstitiosus, quā parum seruans religionis videri. Ea tu porro in optimā partem accipies. De reliquo, mi Bembe, aliqua semper inter nos: in quo te nō desinam hortari, vt omīsis alieniorib. scriptis, te ad hoc genus scribendū totum conferas, in quo quidem facile tueri principem locum potes. Illustrabit, mihi crede, haec tempora, & nomen si mul tuū Latina oratio. quae & grauitatem maiorē habet in sese, & vtilitatē ad omneis res accommodatiorē. Quanquā & hoc, et omnia, multo tu melius. Federicus Fregosius his proximis diebus in Italiam profectus est. matris etiam ipse morte euocatus. Ei ego nisi commentarium quendam, in quo de sacris agitur reb. Venetijs imprimēdum. De quo si tu quid audieris, (nā non suri

ausus hoc genus scriptorum ad tuum iudiciū deferre tã
quàm à leuioribus studijs alienius) peto à te pro nostra
amicitia, vt aliquam curam adhibeas, quo sine mendis
edatur. hoc sola autoritate assequi potes: et si tibi osten
deris gratum id futurū esse. Nostris communib. amicis,
& Cola tuo, quem ego quoq; non mediocriter diligo,
plurimam dic salutem. Vale mi charissime Bembe, &
nos vt facis ama. Carpentoraçti, VI. Cal. Iulij.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentoraçt. Petro Bembo.

S. P. D.

Qvod excusationem præponis in tuis literis, quam-
obrem libri tui non tam citò mihi fuerint:
in eam accipio partem, vt tu potius humanitate tibi
solita vt aris, quàm quòd id fuerit necesse. Nihil enim
tuum, vllò vnquam tempore, venire in suspicionem ne
gligentiæ potest. Et illi quidem auide expectabantur
à me: verum vt ta:nen, quoquo venissent tempore, gra
tissimi futuri essent. Sed, vt perspicio, correxit moram
omnem liberalitas tua: cum fenore enim redditi nobis
sunt, accepimusq; plus quàm speraremus, & quàm fue
rat inter nos pactum. Itaq; magis est cur tibi gratias
agam, quàm quod de tuorum, vt scribis, tarditate que
rar. Ego verò illos & legi, & lego: tantumq; ex lectio
ne eorum capio voluptatis: quantum verbis consequi
non possum. Nam & sermonis nitor atq; elegantia,
& rerum, quæ inibi explicantur, vbertas, varietas, di
gnitas, & amicissimi hominis in eis imago ac monumẽ
tum,

rum, & meus mebercule erga te ipsum amor, omnia eiusmodi, ut miranda mea quedam sit in legendis illis delectatio. Nec multo secus in vernaculis. Nō enim credo existimare te, funditus me gustum omnē illiusmodi scriptorum etiam perdidisse: facisq; nonnullam amicitie iniuriā, qui me in inuidiam eam voces, tanquā illa sint non mei stomachi: sic enim scribis. Quasi non ego possem pronuntiare complura tua in eo genere, quae olim à me memorie mandata sunt, cū Asulanis tuis ediscendis, opera & temporis non minimum impendissem. Sed tu forte conijcis ex eo, illa mihi nō placere, quod te auocare solebam ab illis literis. Faciebam ego id quidem, sed consilio, ut videbar, bono. Cū enim in Latinis maior multo inesset dignitas, tuq; in ea facultate princeps mihi longè viderere, non tam abstraherebam te illinc, quā huc vocabam. Nec studium reprehendebā in illis tuum, sed te maiora quedam spectare debere arbitrabar. Quod si tu ea magnitudine ingenij es, ut praeclare vtrunq; praestiteris, non mea ratio redarguenda, sed tua praedicanda, & ferenda in caelum est virtus. Paulus quidem meus ita incensus est studio tua legendi, ut satiari non queat, quem hic nos habemus non iam discipulum nunc quidem, sed mirificum comitem studiorum nostrorum. Tantos enim progressus habet in literis, ut eius quoq; nos iudicio in nostris scriptis libentissimè utamur. De Iouio quod scribis, gratū est: cognoui ego illum semper mihi amicissimum, & verò etiā tibi. Habet enim ille quod pauci, ut in eadem palaestra, in qua ipse se exercet, aliorum nihil inuideat industrie:

ex quo maiore etiam laude est dignus. Meum quidem consilium huc concedendi, & in his permanendi locis, cum semper mihi placuit, tum etiam magis mihi probatum debet esse, si tibi est: & illis, quibus cum te locutum Bononia, & illorum opiniones de me inaudisse narras. Quos gaudeo equidem in ea esse sententia, ut probet: sed tu unus mihi multorum instar: Equidem ipse quod ad mei animi sensum attinet, maiorem indies capio ex eo consilio voluptatem. Non eram enim natus omnino seruituti: & erat tempus aliquod nobis ad recolenda nostra illa praeclara studia sumendum. Tum aetatem ad ocium senectutemque, deflexa, me ad requie-tem, & tanquam in portum inuitabat. Tum autem alia multa. Quanquam quid ego singula commemorem? cum id ita ut facerem, sua serim mihi omnia? Egi igitur quod putavi esse rectum: quam sapienter, nescio, fortiter quidem, & feliciter certe. Ea enim sunt consecuta, ut qui etiam non ex ratione, sed ex euentis consilia hominum ponderant, meum factum non sint ausi vituperare. Quare quoniam sumus in portu, teneamus stationem quam cepimus, & quod reliquum fuerit vitae, honestissimis studijs atque actionibus impendamus. Deus modo propitius sit, & commodè ualere liceat: praestabimus, ut ratio extet otij nostri. Vnus nobis deest spectus, vel potius congressus tuus: qui nunc quidem foret, ut tu suauissimè scribis, nostrum utriusque, dulcissimus. Sed quoniam id non potest, simus hac epistolarum inter nos colloquutione contenti: quae quidnam prohibet quae so, crebrior? Am. ⁶⁰, te quando ad eam urbem es,

in qua omnium ferè gentium negotia geruntur, perspi-
 ce, quorum fide & opera optimè inter nos commeari
 possint litera: equidem sequar constitutum tuum. Com-
 mentarium meum planè nolo Venetijs imprimi, ab illo
 & ξ η ρ ὄ π ω duntaxat, qui commutatus fuit pluribus
 locis. Eum Lugduni imprimendum curauimus: cuius
 mittimus tibi uolumen unum, uerius aliquantum nos
 quidem existimantes, non placiturū illum tibi, nec tui
 fore stomachi: nec tam me hercule, quod non præclara
 in eo agantur res: sed quia barbara multa & obsoleta
 necessario aspersa sunt: nostri enim morem huius scri-
 ptionis. Tu boni consule quicquid est, & nos anare
 perseuera, mi charissime atq; optatissime Bembe, amo-
 re illo fraterno, quo iamdiu coniuncti inter nos sumus
 germanum in modum. Flaminium optimum adolescē-
 tem, & eundem deditum optimis studijs, Colamq; item
 tuum, cuius ego fidem, diligentiam, virtutem, quotidie
 pluris facio, saluere iube plurimum uerbis meis. Vale.
 Ex suburbano nostro Carpentoraënsi, XI Calendas
 August. M. D. XXX.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentor Petro Bembo.

S. P. D.

Ratum est mihi, quod video tibi cura esset. Iu-
 Gadmodum crebro inter nos per literas colloqua-
 mur: quando quod potuit esse gratius, ut liceret nobis
 garrere coram quacung; in buccam venissent (qui quo-
 tidiana fructus familiaritatis vberimus esse solet, &

*suauissimus) nobis fato quodam est ereptum. Sed tamen
 ne huius quidem officij exercitatio despicienda est: est
 enim & iucunda & dulcis: modò litera cursum habe-
 rent & secundum & facilem. Video enim tuas datas
 Ianuario mense, mihi extremo Maio fuisse redditas, cū
 hæ prius ad aulam Regis peruenissent, & illinc demum,
 tanquã errore agnito, ad me se vix aliquando recepis-
 sent. Ego tamen in dandis literis sequar institutum tu-
 um, vt Eugdunum mittam, vnde Venetias postea perse-
 rantur, ad Lazarum Baysium legatum Regis, hominẽ
 vt ego quoq; cognosce videor, & doctum & perhuman-
 num. Qui cum ad me prior scripsisset, non existimauit
 amicitia petitis altè principijs, & magno ambitu ver-
 borum conciliandam esse. Sed scripsit apertissimè & fa-
 miliarissimè: vt ingenue suæ natura illustre testimoniũ
 iam tum mihi dederit. Amo igitur eum, neq; id medio-
 criter. Porro accedet corollarium, mihi quidem non mo-
 lestum, vt item ad illum semper aliquid dem, quò eti-
 am meæ ad te commodius ferantur. Sed ad literas tuas.
 Illa verò, mi Bembe suauissime & optime, admirabile
 est, quãta animum meum voluptate affecerint: quod,
 vtrum eloquentiæ in illis tuæ tribuendum putem, an a-
 mori in me tuo, qui vndiq; in illis literis se ostendit, dif-
 ficile est dictũ. Eminent enim uero vtrinq; meq; ita de-
 lectat, vt nihil vnquam magis. Sed de genere orationis
 styliq; elegantia, vereor, ne si plura dicam, tibi etiam
 i) si videar ineptus. Testatum enim iã diu apud omnes
 est, & qui tu sis, & de te ego quid sentiam. De amore
 ergo potius, quem tuum esse erga me tantum, quantum
 audeo*

*audeo optare, & video, & vehementer letor. Itaq; illa
 quam suauiter scripta, de mea beneuolentia erga te, ti
 bi planè perspecta, de fratrum nostrorum filijs, de stu-
 dijs domesticis, de omni cura cogitationeq; rerum etiã
 intimarum? qua tu tam amanter, tam si aternè singu-
 la commemoras, vt non tuas literas legere, sed te ipsum
 videar audire loquentem: quem ego absentem, tanquã
 presentem, & audio medijsfidius, & quotidie intueor.
 Ac (si verum loqui volumus) hoc est propriè amare, cõ-
 municare videlicet recondit a consiliorum suorũ: non id
 quod pleriq; facimus, cum nullo argumento proposito
 accedimus ad scribendum, verbis crebrò iactare, & qua-
 si ostentare beneuolentiam. Sed ne viuã, si concedo tibi,
 vt plus me ames, quã ego te amo: qui in hac ratione præ-
 fertim, debeam partes ferre potiores. Nam vt mittam
 initia & ortus familiaritatis nostræ, quorũ semper mi-
 hi quidem iucunda est recordatio, cum tu principio à
 me appetitus, dedisti mihi te promptum & facilem, ac
 in omni gerere elegãtem ac perhumanum: vtq; reliqui
 deinceps temporis indicia tuã erga me voluntatis præ-
 teream, quæ & magna & multa sunt: hoc tuo officio
 quid potest esse constantius, quidd eandẽ amicitie fidem
 absenti mihi præstas, quã olim presenti iam diu præsti-
 tisti? Namq; ego, qui veteribus necessitudinib. relictis,
 ad nouas atq; insolitas fortuna quadam trãslatus sum:
 si conseruo memoriam meorum familiarium, quid qua-
 so, aliud facio, quam id quod natura fert? scilicet vt le-
 niã desiderium animi mei recordatione eorum quos di-
 ligo? Tu qui domi cũ tuis charissimis remãsisisti, qui ami-*

cis abundas, cuius domus assidue floret copia lectissimorum hominum: cum me ipsum tanti absentem facis, in amoreque persistis, nec diuturna iam disjunctione nostra quicquam esse imminutum de tua pristina voluntate significas, & benevolentia in te mea facies subijcis: & tibi officij summam laudem vendicas. Quae nulla re a me potest, nisi magnitudine amoris concipiari. Sed quid ego? labor equidem longius: etsi enim haec grata memoratu, minime tamen necessaria sunt. Quapropter ea missa faciamus. Quod tuus in fratris filio instituendo labor non eum adhuc exitum assecutus sit, quem tu sperares: credas mihi hoc velim, non minus cura mihi rem eam esse, quam tibi ipsi. Quid enim interest, utrum tuus sit, an meus? Sed ego spe quadam adducor, ut confidam, fore tibi illum aliquando voluptati. Multum enim illi aetas, multum imitatio domestici exempli adiuuabit: nec boni seminis virtus facile est interitura. Quapropter suadeo tibi, ut neque spem de eo, neque studium deponas. Meus quidem, cum est uti ego maxime volo, deo habeo gratiam. Is te vnum summe omnium colit: miroque afficitur desiderio, tum visendi te, tum arctius adherendi tibi: cui rei utique aliqua aliquando capietur occasio. De studijs nostris, in quae praeter expectationem suam, & ceterorum, uterque nostrum delapsus est, hoc de me tibi habeo dicere: visum fuisse mihi, ista magis conuenire huic iam aetati, & huic personae quam gero, esseque officio meo coniunctiora, quam illa quae lucis quidem habent ac laudis plus, sed utilitatis certe minus. Itaque in haec iam totus immineo: perfectoque Hortensio, quem habeo

habeo nunc in manibus, et si negotij eius magnitudo penè ut desperem facit, (est enim res prorsus maximi operis) sed tamen eo aut perfecto, aut abiecto, non facile aliud agere me, neq; alibi vsquam, quàm in sacris literis versari cognosces. Tua verò susceptio conscribendæ historiæ, dignitatis plena est (ut ego iudico) non mediocris: nã et honorifico senatus cõsulto ad hoc munus vocatum fuisse, eximia tua est gloria: præsertim cùm illud non ambitione expressum, sed sponte, & ipse iudicio senatus exortum fuerit: & tua summoperè laudanda ac predicanda est pietas, non denegasse patriæ hanc operam, ut illius gestæ res tuo ingenio potissimum, gravissimòq; testimonio posteritati proderentur. Quare id cupio tibi bene & feliciter euenire. Quanquam non illud quidem tibi tam optandum est, quàm ut incolumis diu valetudine bona persuare: cetera enim abundè ad sunt, per quæ & tui ingenij laus, & Rei tuæ publicæ monumentorum memoria consecretur immortalitati. Tibi sanè ea res cecidit nõ incommode: nõ enim necesse habuisti. id id quod mihi cõtigit, deflectere à vetere curriculum studiorum tuorum, & velut incognita in via imprimere novas orbitas. siquidem hoc opus est, (ut ille inquit) omnium vnum oratoriũ maximè. Sed ne illud quidè assertior, visum iri hoc tibi difficile, aut laboriosum: quid enim est, quod tibi, pro tuo isto ingenio, istaq; doctrina, ac eloquentia, qua insigniter præditus es, aut nouum accidere, aut difficile possit? Verum de his satis: Colam meum tantopere probari à te, & magnificeri, neq; miror, & vehementer gaudeo. De Flaminito idem
 senti.

*sentio, quod tu . Lazarum Bonamicum audio tradere
 Patani publicè doctrinam bonarum artium iuuetuti.
 Eum ego hominem maiorem in modum diligo: neq; du-
 bito, quin tibi iam factus sit perfamiliaris : summo est
 ingenio, excellentiq; doctrina. Sed virtus, & probitas,
 & in omni officio fides atq; constantia, in primis in illo
 homine amanda & complectenda est . Eum tu salubre
 iubebis verbis meis plurimum . Credo te memoria tene-
 re, consecram à me olim, cùm Roma etiam essem , ora-
 tionem quandam in Iudeos, quam ego causam in duas
 actiones partiri institueram: sed prior fuit pars tantū-
 modo absoluta, si tamen absoluere est, quod parum poli-
 tē efficias: eam ego nunquam duxi edendam, neq; hercu-
 le nunc in alia sum voluntate. Sed cùm flagitanti iam
 sapius, & amicitia nomine vim quasi afferenti, Hercu-
 li Gonzage, homini & nobilitate virtuteq; maiorum
 suorū, & suis ornamentis ac laudibus, amplissimo, om-
 niumq; & cultu & amore dignissimo, resistere amplius
 non possim, illam ad eū mitto, (modò. n. in fasciculum
 coniecta est) hac lege tamen, in quo multis precib. cum
 eo ago, vt ne cuiq; omnino copiā illius describenda faci-
 at, præterquā tibi, si id fortē petiueris: & si damni nihil
 putaueris, bonas horas tuas in ea legenda consumere nō
 bene. Quod tibi notū esse volui, vt cū de meo animo cer-
 tior factus esses, quid tibi esset faciēdum, ipse statueres.
 Vale mi optatissime atq; humanis. Bembe, & M. Anto-
 niū Michaëlem, quē ego vnice semper dilexi, quemq;
 mei vicissim cognoui amanti simū, saluta meis verbis,
 stiā atq; etiā. Carpent. X I Calend. Iulij, M. D. XXXI.*

LIBER II. 61
IAC. SADOLETVS EPISC.
Carpentoraēt. Petro Bembo.
S. P. D.

CVm haberem plus aliquantū otij quàm tu, seruaui
vetus institutum, vt Latinè ad te scriberē: tametsi
quacunq; lingua scribatur inter nos, neutri quicquam
accidere potest iucundius. De te enim sentio, item vti
de me ipso, cui omnis tua epistola incredibilem semper
quandam adfert voluptatem. Cepellus ille, quē tu mi-
hi commendas, ad me ipse non adiit: literas tuas misit.
Ei ego denunciari iussi, si quid opera mea vellet vti, om-
nia me tua causa, quae is vellet, esse facturum. Oratio-
nem meam tibi tam placuisse, quam scribis, vehemēter
gaudeo: & si hoc mihi praefer opinionem accidit. Sem-
per enim ego de illa fastidiosius iudicauī. Sed tu amore
fortasse inductus, quo erga me, & res omnes meas af-
ficeris, honorificentius sentis de illa, quàm res ipsa fe-
rat. Quod si ita est, ego tamen iactura nihil facio, quā-
tum enim de fructu ingenij deperdo, tantum mihi ex
amore tuo erga me voluptatis adijcitur. Fregosum no-
strum futurum tecum aliquot menses, peream, ni inuē-
derem tibi, nisi te tantopere amarem. Sed amabō mī
Bembe suauissime, dato hoc mihi, vt de vestris mirificis
sermonibus, aliquid nos quoq; qui absumus, degustare
possimus. Id perlepidè fiet, literulis ab utroq; vestrum
familiariter ad me scriptis: quas ego loco vestri exoscu-
ler, & in manibus assiduè habeam, colloquarq; cum ijs:
& quoniam in viuis capitibus non possum, in imagine
tali-

taliū amicorum , amori meo in vos incredibili aliquid oblectamenti & exoptata voluptatis dem. Equidem qui alioquin hic libenter sum , cum fructus illos dulcissimi vestri congressus cogito , relegatus mihi uideor. Sed obdurandum est : est enim quiddam , quod ego aspirare conor , quod utiq; esse statuo ceteris rebus prestantius : idq; etiam facit , ut tuo amantissimo consilio , quo mihi precipis , quas parteis in scribendo sequi debeam , minus facile obtemperem. De tuis scriptis atq; historijs , in quas ingressus es (ut antea tibi scripsi) mea summa est expectatio : neq; ea tamen maior ingenij tui viribus. Ita q; iam videre mihi uideor , patriam tuam , suis opib. florentem , tua vocis testimonio etiam futuram ornatior rem. A Lazaro accepi literas , illisq; respondeo. Te quod delectet veteris nostrae coniunctionis memoria , haud mirandum est : nihil enim illa amantius , neq; fidelius. Sanè eadem mihi ita iucunda est , ut non solum fructu suauitatis , sed ornamento etiam non mediocri honoris me afficiat. Quippe cum tibi me esse cordi , vim mihi in se magnam laudis ac iudicij habere videatur. Vale mihi charissime atq; optatissime Bembe. Carpentoraeti, V. Idus Martias, M. D. XXXII.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentoraet. Petro Bembo

S. P. D.

Cum Auilam tuam per se libenter vidi , hominē (ut tute scribis , & ego semper cognoui) & prudentem , & probum : tum autem , quod veniebat à te , & è

TUO

tuo sinu quasi erat profectus, nihil accidere potuit mihi illius aduentu colloquioq³ optatius. Itaq³, noli existimare, alios sermones biduum illud, quo nobiscum mansit, cum eo mihi fuisse, praterquam de te. Omnia sum expiscatus, quæ de homine coniunctissimo, omniumq³ mihi longè charissimo, aut querere nostra diuturna iã disunctio mihi suadebat: aut audire amor erga te meus summus expetebat. Quæ quidē cuncta esse sicuti ego maximè cupio, teq³ eū tenere statum, qui sit maximè ad tranquillam & honoratam vitam appositus, & tibi gratulor, & mihi summopere gaudeo. Quoniam enim ij inter nos sumus, vt pro fraterna nostra necessitudine omnes nostri in vnum conspirent & consentiant sensus: ego in bonis tuis rebus me eundem statuo esse atq³ te, & eadem mihi videor frui fortuna, quando eadem, qua tu, perfruor voluptate. Sed ad reliquas quam plurimas iucūditates, quas Auila aduentus mihi attulit, permagna mihi accessio fuerunt tuæ suauissima ornatissimaq³ literæ: quibus ego sapissimè legendis non tamen satiatus sum: tantum in illis humanitatis, tantū officij, tantum incredibilis cuiusdam spirat benevolentia. Atq³ hæc præterea, sic suauitate orationis omnia condiuntur, nihil vt mihi videar vnquã legisse dulcius. Me verò in illis cum valde delectauit iudicij tui testimonium, quod mihi de mea oratiūcula das, plenum vt ego perspicio, & fidei & amoris: tum uero grauis illa & sapiens admonitio amicissimi mihi hominis imprimis visa est, qua à me requiris mea pristina vite consuetudinem: eò quòd tibi videar in illum hominem atē

quan-

quanto acerbius esse inuectus, quam moderati hominis
 natura postulet. Ego verò mi Bembe, cum nil tuo iudi-
 cio statuam esse grauius, facile ita esse adducor ut cre-
 dam, discedo in sententiam tuam, meq; duco errasse,
 quando is tibi videtur error. Sed ego primū in oratio-
 ne illa antiquum morem dicendi imitari conatus sum.
 Scis enim ipse, quā asperè, quāq; vehementer in im-
 probos inuehi soliti sint ij, quorum nobis ingenium atq;
 eloquentia præcipue probatur. Sordes porrò & amen-
 tia, vel feritas potius quadam hominis illius, in quem
 inuehebamur, sustinere illiusmodi orationem videban-
 tur, præsertim cum tractarem eum locum: nihil magis
 perniciosum esse Reipub. quàm principum auaritiam,
 & nimiam pecunia coaceruandæ cupiditatem. Is au-
 tem in quē scribebamus, infinitis in eo genere sordibus,
 non solum cōmaculasset famam sacerdotij: verum om-
 nia omnino non æquitatis modo, verum etiā humanita-
 tis iura conturbasset. Postremò, id quod mihi maximè
 fraudi fuit, non magis exituram orationem illam puta-
 ui, quàm eas, quās nunquam scripseram. Quod quando
 contigit secus, si tamen contigit, (est enim illa penes a-
 micissimos, qui sciunt me eam vulgari nolle) danda opi-
 nor nobis est opera, vt actionem alteram aliquando,
 hoc est corpus totum causa conficiamus. Cuius rei cum
 tempus venerit, (nam, vt nunc est, alijs rebus occupa-
 tus sum) tunc te adiuuante, & suppeditante ingenium
 tuum lucubrationibus nostris, illa in manus hominum
 egredietur limatior. Verum de oratione hæctenus. Te
 procedere in conscribenda historia, iamq; octo anno-

rum res gestas complexum esse valde letor : sum enim ea in expectatione, visuros nos, quod iure cōparemus ac exaequemus antiquitati. Ego in eis adhuc studijs versor, quae tibi minus probari intelligo. Sed cū iam pridem opus quoddam incēpissē, cui perficiendo praesini eram hyemem eam quae iam exacta est, in hoc tempus sum valetudinis incommodo reiectus. Quare aestatis quoque huius vacationem postulo: nam ineunte proxima hyeme constitui omnino reuerti ad Hortensium, omnisq; in eo absoluendo adhibere & industriae neruos, & diligentiae meae. Lampridium tecum multum esse, hominem dignum eis studijs, in quibus semper magna cum laude versatus est, plurimum gaudeo: cui tu quoddam testimonium eximia virtutis apud me das, non fuerat id necessarium: ego enim hominem satis bellè noui. Sed tamen mihi fuit iucundum: talium enim virorum mentione mirificè delector. Lazaro nostro Bonamico rescripsi: eas tu curabis reddendas literas, cumulumq; ad des salutem illi meis verbis. Itemq; Cola tuo, & M. Antonio Michaeli, cuius mihi assidue viuit memoria. Tuque imprimis mi Bembe, si nos amaris, curabis valetudinem tuam diligenter, atq; ista animi tranquillitate ocioq; perfruere. Vale etiam atq; etiam. Carpent. V I. Idus Maij, M. D. XXXII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Carpentor. Petro Bembo.

S. P. D.

Commodum recognoueram librum de liberis rectè instituendis, daturus illum librarijs describendum,

E ad

ad teq₃ postea misurus, vt antequam exiret in manus hominum, tuo imprimis iudicio penderetur, cum mihi nec opinanti nuntiari iussit, homo & laude virtutis & nobilitate praestans Reginaldus Polus, cras statim se Pataviū proficisci, & si quid ad te vellem, me admonuit. Eum ego in crastinum diem expectabam. Sed talem hominem qui perferret nactus, quo meliorem, & certiorum ne optare quidem potui, praecipit aui libri descriptionem: neq₃ vnus manu fui contentus, totusq₃ nunc sum in ea diligentia atq₃ cura, vt is absoluetur, (si modò assequi poterò) ad teq₃ deferatur. Quē, oro te mi doctissime Bembe, ita legas, vt persuasum tibi imprimis habeas, me abs te opem expectare, non laudem. Scio quantum tribuam & doctrina, & iudicio tuo: iure vtrunq₃ quidē. Quis enim est hac nostra aetate te vno dignior, cui omnium bonarū artium studiosi primas deferant? Sed amor ille tuus mihi perspectus & cognitus, quo me cōplecteris, interdum dubitare me paululum cogit, ne indulgentius agas mecum, q̄ mihi fortasse expediat. Hoc ego vellem, & hoc te etiam rogo, vt ad meam hanc lubricatiunculam perlegendam, eo animo accedas, quasi mihi studeas obrectare potius, quàm plaudere. Non enim dubito, si talem curā adhibueris, quin aliquot deprehensis sublatisq₃ erroribus liber splendidior & limatior prodeat. Sed hoc nimium vehemēter te rogare, alie num esse videtur à fraterna nostra necessitudine: quae ipsa per sese admonet vtrūq₃ nostrū, vt ea inter nos officia tribuamus, ac expectemus vicissim, quae veritatem amicitiae maxime cōfirmēt. Equidem, si id tibi rectè sie

ri posse videbitur, vt aliorum quoq³, doctorum hominū de eo iudicia exquiras, libenter concessero. Etiam vt de scribendum aliquibus des, si quis fortè extiterit, qui hanc & papyrum & operam velit perdere. quòd non nolet fortasse Gonzaga noster, vir bonarum literarum sitientissimis. Sed ego ita tibi hoc permitto, si mēda prius sustuleris, non scriptoris magis illa, quam auctoris. Deniq³, vt tuo periculo cuncta fiant. Nam ego in tua fide, beneuolentia, humanitate, totus requiesco. Nigro meo dicas velim, accepisse me eius literas, quas dederas ad me ab vrbe discedens, & eleganter & amicè scriptas. Quibus quò minus adhuc respondeam, certa causa est, quam oportuno tempore expositurus sum. Interea quidem vt me diligat, seq³, à me apprimè diligi sibi persuadeat, ab illo meis verbis petito. Lazaro nostro scribam aliquid, quanquam & parum habeam temporis, & valdè sim occupatus: qua res etiam facit, vt ad te quoq³, minùs accuratè nunc scribam. Vale, III. Nonas Septembris, M. D. XXXII.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentoraēt. Petro Bembo,

S. P. D.

Non scribo tibi, sero me accepisse tuas literas, (te quoq³, enim scire video id ipsum) cūm, prius quam missæ fuerant, in itinere ipso deperierint. Has quidem, quas accepi, scribo tibi fuisse iucundissimas. Nec tam me hercule ob eam rem, quod fortasse sufficari possit non nemo, nempè quòd te laudant, inquiens. Puto id

E 2 quidem

quidem etiã aliquid esse: (non tam enim iudico verecũ
 di esse hominis, & ipsa moderatione animi temperati,
 quã & insulsi & stupidi, talis viri approbatione &
 testimonio, qualis tu es, non delectari (sed ego ad ani-
 mi mei letitiam palmarium esse in illis statuo, q̃ video
 te eorum sermonib. qui de me honorificè loquantur, nõ
 secus ac tuis laudibus, vt tute ad me scribis, gaudere &
 triumphare. In quo agnosco non amorẽ solum, sed pla-
 nẽ magnitudinem animi tuam, qui nisi esses ipse omni
 laude cumulatus, non tam libenter faueres eorũ fama,
 qui quantavis ipsi laude virtutis floreant, te ipso tamẽ
 se consistentur inferiores. Ego verò mi Bembe neq̃ qui-
 bus ornatus sim virtutib. scio: (nihil enim in me esse in-
 telligo, quod magnopere spectandum prædicandumue
 sit) & de te sentio idem quod semper sensi, nihil fieri
 posse tuo ingenio, eloquentia, virtute, humanitateq̃
 præstantius. Polus quidem noster, vt est blandus conciliator
 amicitiarum, voluntatumq̃, conglutinator, non
 amantius profectò mihi testimonium apud te potuit
 dare, quã tibi sæpe tribuit apud me. Cuius ego tibi fa-
 miliaritatem & quotidianum vsum inuiderem, nisi et
 illum, & te in oculis gererem: amo enim vtrunque ve-
 strum. Itaq̃ vereor, ne si quid mihi seorsum ab alteru-
 tro, ex vobis appetam, facere iniuriam amicitia vide-
 ar: quæ præscribit, vt amicorũ commodis aequè gaudea-
 mus ac nostris. Quòd si in Italia constituissem, certè
 nusquam me conferrem aliò quã ad vos: in vestraq̃
 consuetudine potissimum, in vestris familiaritatibus et
 amantiſsimis congressibus conquiescerem. Sed neq̃ ea
 de

de re deliberare fas mihi puto, & meus reditus in Italiam, etsi munere hoc officij imprimis quod sustineo, tamen etiã voluntate mea mihi penitus præcisus est. Hic enim ita viuo, vt mōri hic ibidem velim: eademq; terra, quæ vitam meam sustinet, corpus etiam ipsum, cū supremus venerit dies, contegat. Masiliam accessi, Pōtificem salutatum, vt debui: illo enim officij vinculo me obstrictum esse in primis arbitrabar. A quo sic fui exceptus, vt nihil mihi in mentem venerit optare, in quo non eius benignitas, & singularis humanitas, mihi pene se obuiam obtulisse visa sit, vsq; eò facilem eum, & liberalem in cunctis sum expertus. Sed & multorū præterea, qui ex vrbe venerant, egegiam erga me voluntatem studiumq; cognoui. Ex quo valde letus discessi illinc: non emolumentis præmijsq; fortuna, quæ iã apud me valent minimum, sed multis & claris testimonijs amoris ac beneuolentiæ, quæ ego maximi facio, à compluribus viris amplissimis atq; ornatissimis honestatus. Quamobrem stemus in eo, quod iam dictum est, vt familiaritatis nostræ desiderium musitandis literis leniamus. Non enim est causa cur transmittēde alpes, aut mare inferum cur pernauigandum sit: cū crebra inter nos scriptio, & suauēs huiusmodi epistola, si non alternos nobis vultus, at effigiem certè animorum, et vim omoris totam ante oculos ponant atq; constituent: in quo voluptas nostræ præcipue sita est. Neque eò dico, quin mihi te videre, atq; intueri, foret dulcissimum: sed illud sperare, imprudentiæ est: optare, te meritatis. Hoc quidem quod nostrum est, quod nostri

arbitrij ac potestatis, in quo nullum ius sibi fortuna vē dicat, praestemus vterq, nostrum, vt fructum amicitiae nostrae, charitate, ac benevolentia, iucunditatem consuetudinis, epistolis representemus: quorum in altero fides, in altero voluptas à nobis est attendenda. Nigrū meum amo, vt debeo: ad eumq, puto me daturum literas. De Lazaro auco scire quid agat: nihil enim iā diu ab eo literarum, ac ne nuntium quidē, ex quo nosse potuerim. Colam tuum saluere plurimū iubeo, cuius & memoria mei, & benevolentia delector. Te de meis capere eā voluptatem, quam capio ego met, & tibi prorsus credo, & mihi est pergratum. Certē quod ad octū senectutis meae attinet, quae aut instat iam, aut admodum propinqua est, videor habiturus, in quorum pietate & modestia acquiescam. Ambo quidem literis mirifice dediti, et tui imprimis studiosi peramātesq, sunt. Quod cū agunt, non se addere tibi quippiam, sed se ornare adolescentiam suam clarissimi tui nominis cultu, & singulari obseruantia arbitrantur. Vale. V I. Idus Martiales, M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentor. Herculi Gonzagæ S. R. E.

Cardinali S. P. D.

SVperioribus proximis diebus, cū tibi lucubratiōnem quandam meam misissem, neque ipse tunc propter valetudinē scribere potuissem: monui meos, vt me tibi excusarent, perpetuamq, meam in tua amplitudine omnibus meis officijs colenda, tibi declararent voluntate-

luntatem. qui se id diligenter fecisse, teq; in optimam partem omnia accepisse, mihi rescripserunt: in superq; te eis praecepisse, vt scriberent ad me: si quid haberem in praesentia elucubrati, aut quandocunq; aliquid haberem, id ne grauarer communicare tecum: ne si secus agerem, grauior fieret à me amicitia nostra & veteri inter nos coniunctioni iniuria. Quo ego nuncio dupliciter delectatus sum: Nā et tui de me animi iudicium, & egregiam tuam cognoui ad optimas artes amplectendas voluntatē: quae mihi semper in te omni digna honore, & laude visa est, hoc etiam magis, quod in tanta raritate & penuria eorum, qui nobilitatem, cū virtute habeant coniunctam, tu vnus excellis: qui vtrunq; ita adeptus sis, vt in tuis plurimis maximisq; ornamentis, maior tamen multo virtuti tuae, quam fortune gratia habenda sit. Itaq; recordor iam inde ab tua ineunte adolescentia, me semper iudicasse, te fore vnum, aut certè praecipuum inter ceteros, in quo his temporibus perditis lumen verae dignitatis illucesceret: qui omnib. & natura & fortuna bonis instructus, nobilitatem & potentiam, non arma iniuria, sed instrumēta bonitatis esses habiturus. Postea verò quā ego in has sane longinquas regiones me contulissē: tuq; ad urbem accessisses, domiciliumq; in ea fortunarum ac dignitatis tuae constituisse, nunquā mihi inauditus fuit splendor tuus, et singularis in omni genere morū elegātia, et comitas. Quae cū vna & constanti omnium voce laudaretur, non dici potest qua letitia afficiebar: cū intelligerē, ceterorū quoq; hominū iudicia cum meis de te iudicijs

consentire. Atq; hæc quæ nobilitati & generi, & tuæ
maiorumq; tuorum dignitati debita erāt, illustrius ta-
men abs te gerebantur, quàm reliquorum vsus ferat.
Quid? illa quæ iam tua sunt et propria, quæ pauci isto
loco attingunt, quāti tandem facienda sunt? quodd bo-
nas literas, quodd optimas artes, omniaq; honestissima
studia ita consecraris, vt in honore ipso, non insignibus
honoris, quibus solis pleriq; nituntur, statim tuæ digni-
tatis positum putes. Atqui ab his initys viri illi oriun-
tur, quorum nunc consilijs maximè eget Respub. quæ,
nisi me fallit, adducta est in id discrimen, vt vehemēter
nobis sit de communibus fortunis extimescendum. Sed
qui in secundis rebus comparant sese, vt possint aduer-
sas & dubias, si quando inciderint, consilio regere, &
virtute sustinere: hi omnia in se obtinent beatæ vitæ
praesidia: ad quæ tute eximiè paratus es. Facile enim
& prudentiam in capiundis consilijs, & in dandis fi-
dem, autoritatē in sententia dicenda, in omni vitæ cō-
stantiam & grauitatem, ista tibi optimorum autorum
lectio suppeditabit. accedente praesertim vsu atq; ata-
te. Quorum quidem princeps Aristoteles, cuius libros,
eos qui de moribus & de repub. sunt, habere te in ma-
nibus, & ego confido, & imprimis planè expedit: om-
nes enim in illis & prudentia, & doctrina scatent fon-
tes. Sed ego fortasse ineptus, qui hæc ad te scribā, quæ
tu melius scis, quàm ipse qui scribo. Facit autem amor,
non temeritas mea, me loquaciorem. Quapropter de
his hæctenus. Quod ad meas autem lucubrations attri-
net. Ego illas orationes, quas requiris, neq; confeci, ne-
que

que adeo amplius mihi conficiendas puto: aliena enim videntur hac iam etate, & hoc genere vita quod profitemur. Vnam earum quam perscripseram, misissem tibi, ni veritus essem, ne quorūdam offenderē animos, qui mihi necessariō in illa oratione nominādi sunt. Sed loco illarum mittā tibi cūm primum probare cepero, dialogum de optimo genere instituenda adolescentia, quem astate proxima confeci: in quo multa, & magna complecti conatus sum: hoc labore maiore, operaq̄, difficiliore, quōd neminē habui veterum, qui me adiuuaret. Vnus omnium antiquorum (quod sciam) de hac eadem re Plutarchus scripsit: sed non in eum modum, vt mihi magnopere imitandus esse videretur. Nūc habeo in manibus de Philosophia librum, in quo illa à me defendenda est, grauius vituperata à T. Phædro: etenim partes illas ei dedi, amico homini iā mortuo, per quas & ingenium illius, quod erat in eo summum, & natura prompta ad accusandum laceffandumq̄, commēdaretur posteritati. Sed est opus arduum admodum, & perdifficile. Nam cūm de rebus altissimis, & maximè remotis à communi hominum sensu, differendum est: tum obscurissima res illustribus verbis & sententijs explicanda. In quo alter est cogitandi & concipiendi labor, alter non minor, cogitata exponendi. Spero tamen fore, si ad calcem peruenero, vt maximis vtilitatis, quæ è Philosophia sunt, intellectu, & tota vi prastantissima disciplina cognita, multum posthac luminis dubijs hominum mentibus asseratur. Sed de his quoque satis. Extremum est, vt te orē, vt me tui amantissim

74 IAC. SADOL. EPIST.
mum studiosissimumq₃, & diligas absentem, & tuo pa-
trocinio protegas, ac tueare. Vale. Carpentoracti, VI.
Calend. Februarij, M. D. XXXI.

IAC. SADOLETVS EPISC.
Carpent. Hippolyto medici S. R. E.
Cardinali. S. P. D.

Quantam voluptatem acceperim, & quo fructu la-
titia ac tucunditatis fuerim cumulat^{us} ex am-
plificatione dignitatis tue: peto à te, vt ne meis ex lite-
ris coniecturã facias, cum id facilius sit tibi existimare,
quàm mihi scribere. Certè ita letatus sum, vt ex pau-
cissimis, quæ maximè desiderauì, hoc mihi imprimis
gratum optatumq₃, acciderit. Factum est autè Dei im-
mortalis benignitate, vt nostrum gaudiũ omni ex par-
te fuerit expletum, bonam valetudine Pontificis ma-
ximi patruì tui nobis nuntiata: in cuius salute & vita
cum salus omnis mea reposita sit, cumq₃, ego eũ præter
venerationem debitam, vsq₃, aded amè, semperq₃, ama-
uerim, vt neminè ardentius: nil mirum est, si ex vobis
& vestro in vtrang₃ partem statu: status omnis pendet
& periculi & salutis mee. Nã de te q^ddem ipso nomina-
tim quid dicã? in quo ego statim ab ineunte pueritia, ea
perspexi indicia ingenij, humanitatis, modestiæ, cetera-
rumq₃, virtutum omnium, vt iam tũ facillè appareret
qualis tu in ætate vir postea esses facturus. Cuius tamẽ
ætatis legitimum quasi tempus expectare noluisi: sed
optimis artibus literisq₃, deligendis, ac prudentiam ho-
minum familiaritate adhibẽda, perfecisti, vt virtutis

in te cursus, quàm atatis fuerit celerior. Gratulor igi-
 cur, & uerè, ac ex animo gratulor, cum dignitari tuae,
 tum illis eximijs virtutibus, per quas omni honore &
 amplitudine dignissimus es iudicatus. Et tum hoc gau-
 deo, tum etiã illud, quod ad eam sectam vitæ potius es
 conuersus, quæ & longè tutior, & ad beatam tranquil-
 lamq; degendam vitam accommodatior multo est. Quã
 obrè, quod est omnis veræ gratulationis extremũ, Deũ
 immortalem supplex deprecor, vt tibi iste honos pro-
 prius, & quod in istum ordinem dignitatemq; venisti,
 id tibi faustum, felix, prosperum, fortunatumq; perpe-
 tuũ sit: quod eiusdem summi Dei benignitate & clemẽ-
 tia, tua adiuuante virtute, sic confido futurum esse. Et
 quoniã iã tu quoq; harum gentium pastor & rector,
 & huius tuæ alterius patriæ, quam diuino iudicio es
 consecutus, patronus factus es: horum populorũ cau-
 sam, salutem, iura, libertatem, fortunãq; omnes tibi
 ita commendo, vt maiore animi studio commendare
 non possim. Egent enim maximè tua cura, patrocinio,
 fide, vigilantia, sicut quotidie ipse multis ex rebus co-
 gnoscet. Illud item testabor, te in vicario pristino reu-
 nendo, multũ & populi studijs, & ecclesiæ tuæ utilitati
 consuluisse. Est .n. vir omni virtute integritateq; præ-
 stans: ac, quod ad rem non parum pertinet, etiã aspe-
 ctu & facie venerandus: affinis præterea summi omniũ
 & maximi iureconsulti Ioan. Frãncisci Ripæ Auenione
 habitantis: cuius egregiam operam & singularem vti-
 litatè, in omnibus tuis rebus tibi paratã & promptam
 experiere. Ego neq; me ipsum, qui iãdudum tuus sum,
 neq;

neq³ mea studia atq³ officia tibi polliceor, ne videar qua
tua in potestate iādiu sunt, si ea de integro tibi deserā,
noui quotidie muneris gratiam abs te inirevelle. Vale,
& nos dilige. Carpentor. 6. Idus Febru. M. D. XXIX.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpentor. Andreae Alciato

S. P. D.

NVaquā essem arbitratus accidere posse, vt ex a-
mici hominis molestia aliquid veniret ad me volu-
ptatis: sum enim, si quisquā alius, officij in eo genere re-
tinendi maximè cupiens. Sed nunc planè ex instituto
meo depulsus sum. Quòd. n. Medullionis Brixiaci con-
trouersia tuas ad me elicuerit iucundissimas literas, mi-
rificè (fateor) sum delectatus: cum ille presertim ita sci-
te ac eleganter scriptæ sint, vt singulare meum ac per-
petuum de tuo ingenio ac virtute iudicium, non confir-
marint solū, verū etiā vehemēter auxerint. Quas
quòd te tardius ad me dicis dedisse, parcentem occupa-
tionib. meis, vt ne meis studijs intempestiuus obstrepe-
res: in eam partē accipio potiùs, vt tu de tuis studijs no-
lueris esse detractū: cum in omni genere artium optimā-
rum tu excellenter & eximiè, nos aliquantò etiam mi-
nùs quàm mediocriter versemur. Sed vt ut est, auderē
vota facere, vt tibi quotidiana ad me scribendi occasio-
nes darētur: nisi vereretur, ne eodem tēpore multorum li-
tes & dispendia precarer. Quare sic habeto: tuis literis
nec fuisse mihi aliquid complureis hosce dies, nec potu-
isse esse gratius. Medullionem quidem ipsum cuius vo-
lo causa, hoc etiam diligentius cōmendāui iudici Symo-
netæ

neta per literas: quòd perspexi eius causam à te doctissi-
 mo homine probari, què nollem mehercule quicquid nego-
 tij habere nec molestia. Sed quid id refert: τὰ χρέματα
 τὰ ἀνθρώποισι τιμιώτατα. δ'ὕνα μίντε πλείσκη.
 Ἐὶ ἀνθρώποις ἔχθ. Igitur adiuuandus est, saluo ta-
 men officio, quò te autore videor mihi rectè facere. Pro
 quo tu quoque, quòd eidem Symoneta scripsisti, maximè
 illius causa profuturus es. πᾶρ ἂν ἔξαιρέθ λόγος, ὃ κ' ὁ σί-
 ος κρος πολεμίων δ' ἰστέκρ ὄρ. Erit autè hoc grauior
 tua commendatio, quòd nò solū amici in amicū stu-
 diū, sed hominis etiā doctissimi & cōsultissimi, iudiciū
 atque autoritatē affert. Illa duo extrema sunt in tuis li-
 teris: vnū, quòd affirmas me egere nò posse opera tua,
 cū ego ea semper egeā: quis enim potest talis & viri, et
 amici quotidiana opera non indigere? Alterū, quòd
 optas, vt in his studijs esse assiduus possis: atque incredi-
 bilis tua ingenij magnitudo facit, vt nequaquam optato
 opus sit. Quod enim nos, & vnum tantum, & id spif-
 sius: tu idem celerrimè, & præterea alia plura compre-
 hendis. Quapropter est magis, cur tibi ipse gratulere,
 quàm cur quicquam optes. Quòd si mei suffragij præ-
 rogatiua eam haberet religionem, quam in antiquis co-
 mitijs habere erat solita: in quib. nemo vnquā à prima
 cēturia renūtiatus est consul, quin fuerit idē magistra-
 tū illū affecutus: peruellem te totū, quantum scunq; es, nò
 strū omnino esse, arcēque & vita tua & doctrine, in his
 liberalioribus & vberioribus studijs collocare. Quod si
 contingeret, nullā profectò barbariā te socio atque a diu-
 tore pertimescerem. Et tamen sic etiā diuisus, & in al-

teram fortè partem propensior, maximo es & temporibus his, & rei literariæ, ornamento. Ego, quod ad animum meum erga te attinet, tantum tibi tribuo, quantum profectò paucissimis: ita te amore complexus sum, ut omnia tua causa mihi videar debere. Quòd si acciderit, ut opera id ostendendum sit, efficiam ut intelligas, maximam apud me rationem esse & amoris mutui nostri, & tua eximia præstatisq; virtutis, Vale. pridie Calend. Maij, M. D. XXIX. Carpent.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Andræ Alciato S. P. D.

CAstellanus noster legit mihi particulam literarum tuarum: qua rationibus tui discessus expositis, adscribis, si ea mihi probata rationes fuerint, te satis habiturum: neq; quid alijs sentiant, aut loquantur, valde laboraturum. Quod ego ita accipio, ut agnoscam in eotuum pristinum erga me amorem. Tantum enim iudicio meo tribuis, quantum ego mihi non arrogo. Sed quod ad tui facti iudicationem attinet: ego, mi Alciate, tantum constituo in te ipso esse & virtutis & consilij, ut quodcūq; agas, id mihi ab optimo animo et eximia prudentia semper proficisci videatur: causasq; tui abitus existimavi iustissimas, quæ te virum talem ad nouum capiendum consiliū impulissent. Sed quod me tangit priuatim, quodq; ego ex meo sensu loquor, nunquam profectò dissimulabo, discessum illum tuum mihi dolori non mediocri fuisse. Nec tamen velim te hoc ita accipere, quasi ego factum tuum aliqua ex parte reprehendam, non enim reprehensionis ille fuit dolor, sed mei in

te amoris. Etenim si, cum in his locis esses, infinita penè comoda egregiasq; vtilitates mihi in te paratas esse intelligebā: quod & in natura tua comitatem, & in ingenio præstantiam, & in amicitia ingenue conseruanda fidem, & in omnibus partibus vita atq; sermonis, humanitatem, elegātiāq; experiebar: quid mihi priuato his tot bonis, doloris accidisse ex tuo discessu putas? cum præsertim, quod pluris est quàm cetera omnia, mihi quotidie versanti in eis literis, in quibus tu excellis, vbi laboris atque hesitationis aliquid incidisset, paratum esset, te præsentem, perfugium optimi & amicissimi, & in omni literarum & doctrinarum genere longè præcellentis viri: cuius vel solo habitu vicinitatis, & animus, & vires meæ ad studia reficiebātur. Itaq; (ingenue enim fatebor) quas in omni reliqua vita facio minimi, tunc opes non parum expetendas duxi. Non mea mehercule causa (turpe enim est id Philosopho, Christiano præsertim) sed quod eas tunc si possedissem, hoc tantum lumen hæc prouincia non amisisset. Sed etsi grauis mihi iactura, & his populis omnibus tua decessione facta est: tamen quod audio dignam tuam virtute & singulari præstabiliq; scientia, conditionem tibi esse delatam: teq; in Biturigibus summa illorū hominum voluntate, & concursu maximo auditorū, ius ciuile tradere: mei animi molestiam tuæ virtutis dignitas consolatur. Hoc etiam magis, quod video id esse gratum homini omni honore & dignitate amplissimo Francisco Turnonio vestro Episcopo Biturigum: cuius ego multas eximiasq; virtutes cum venerer: multis quoq;

illius erga me olim meritis, de quib. à meis certior sum factus, obligatus vehementer sim, cogor illo ipso officio, quod ego præcipuè in omni vita colo, ipsius voluntatem meis rationibus anteferre. Quem quoddam audio aucta & amplificata dignitate, in Cardinalium ordinem honoremq; peruenisse, equidem maiore in modum gaudeo & gratulor: sed tamen ut illi ordini magis ali quantum putem, quam ipsi in hoc tempore ex eius honore splendoris & honestatis esse acquisitum. Ad eum ego cum cuperem scribere & agere pro eius veterib. in me beneficijs gratias: illa ratioe sum retardatus, quod prius scire ex te volo, ecquid putes nostras ad illum literas non inopportunas futuras. Quod ipsum quaeso scribe ad me, nosq; quod facis, dilige, ac valetudinem tuam conferua diligenter, tibiq; persuade, me, & mea omnia non minus tibi prompta esse, quam mihi ipsi. Vale. VIII. Cal. Febru. M. D. XXX. Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Andreae Alciato S. P. D.

Literas tuas ad quartum Calend. Iunij datas, pridie Nonas Quintileis accepi: quae me tui erga me amoris significatione vehementer delectauerunt. Magno enim argumento mihi est, me abs te diligi et magnificari, quoddam adis me cum fide, tuis de reb. consilium meum vnà atq; operam expetens. Quorū vtriusq; vtinam tantam haberem facultatem, ut & tibi & tui similib. abūde possem suppeditare. Sed de cōsilio mi Alciate, quod tibi respondeam parum admodum est: vel quoddam eius in te ipso satis statuo esse, vel quod ipse quod feci, cum il-
la tur-

la turbulenta & dubia (vt mihi quidem videbatur) reliqui, quod hac multò quietiora consecraret: id indicio esse potest vnicuiq³ quid sentiam. Quanquã enim noua hac pace videantur vetera bella Italia repente esse sublata: tamen recentibus etiam nunc vulneribus nondum cicatrix planè obducta est: animiq³ ydem permanent mutuis exasperati odijs, & partium studio infecti. Quibus quantũ sit confidendum, tua imprimis prudentia est existimare. Tibi autem ipsi si in ea loca migraueris, vt contingant reliqua ex tua sententia, grauiora certè prelia excipienda erunt, vel obtrectantiũ tua laudi, vel commodo tua oppugnantium. Nam quòd te patria amor eò vocat, humanum id quidem est: sed & sapienter ab illo Poeta dicta legimus, Patriam esse vnicuiq³ sit bene. Verũ de hoc, vt dixi, tuum consiliũ sit, meum est potius ad omnia quæ tu velis, operam tibi meam studiumq³ deferre. Itaq³ quod quaeris, ecquẽ Bononia amicum habeam, qui tibi operam dare in tuo hoc negotio agendo possit, qui & mea causa velit, & autoritate ad agendum sit idoneus. vix videor habiturus. Omnes enim ferè quib. cum mihi fuit familiaritas, alio casu alius diem suum obierunt: vt de quo tibi pollicear nominatim habeam neminem: nisi fortè Bartholomeum fratris filiũ Cornelij nostri Volte, summi viri et nobis amicissimi, qui magno cum gemitu omnũ, & de hac Prouincia nuper, & planè modò de vita deceffit. Huius vt dico, fratris filius, etsi etate iuuenis est, propter virtutẽ tamen, familiaritatem, et clarissimi optimiq³ patris memoriã, gratiosus est apud oēs. Eum

ego confido suscepturum esse has partes, praesertim in causa illustri & honorifica. Habet enim hominis doctissimi commendatio non medioerem dignitatem. Sed ego, si tibi videatur ad legatum ipsum quoque, & ad quadraginta viros literos dabo, tribuamque debitum tuae virtuti testimonium: neque solum hortabor, sed obsecrabo etiam, ut te tali viro atque doctore accersendo studiosis iuris civilis, & suae civitati esse consultum ac prouisum velint. Haec litera quid profutura sint nescio: nihil obfuturas videor posse praestare. Sed ut ego ostendo tibi quid sim factururus, sic tuum nunc iam, quid placeat tibi & quid me agere velis, facere me per literas certiores: simulque rationem aliquam inire, quod ille celerius huc perferantur: ut tibi, cui valde cupio, non voluntate solum, sed diligentia etiam satisfaciam. Vale. Ex hortis nostris suburbanis, VIII. Idus Iulij, M. D. XXX.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpent. Thome Caietano S. R. E.

Cardinali. S. P. D.

Luctuosus sum, te Romam saluum atque incolumem reuertisse: quod ut primum cognoui ex meorum literis, confestim scripsi haec ad te cupiens tecum loqui per literas quando (quod libentissime facere solebam) coram amplius non possum. Non enim meus in te amor, & singularis obseruantia, qua te semper sum persecutus, aut spacio temporis, aut locorum interuallis diminuta est. Nec ego vnquam obliuiscar, vnum te semper extitisse, qui me ex animo dilexeris, fuerisque mihi in rebus meis omnibus perpetuus propugnator & fautor.

Pro

Pro quibus meritis ego tibi vicissim omne meam studium, omnem meam obseruantiam, cultum, honorem, beneuolentiamq; dicaui: suiq; tuarum maximarum virtutum, quas ego admirabar, apud ceteros predicator. Nunc disiunctis nobis tanto terrarum & regionū spatio, & tuum nihilominus amorem erga me eundem manere confido, & de meo tibi planè polliceor. De temporibus autem his, deq; hac strage rerum omnium & ruina, per quam cuncta oppressa sunt, nihil sane tibi scriberem in hoc tempore, neq; tantorum malorum acerbam memoriam refricarem, nisi intelligerem, quod ceteris dedecori & calamitati fuit, id ad singularem tuam laudem esse conuersum. Quòd enim aduersos casus patienter tuleris, fortunarumq; tuarum iacturā pro minimo habueris, praestiterisq; te in omni fortuna firmum atq; constantem, praclara laus, & docto homine sapienteq; digna. Sed tamen tibi cum quibusdā est alijs cōmunis. Non enim desuerunt (quam ego coniecturam de me ipso facio) quos bonorum suorum amissio de statu suo minimè dimouerit. Sed quod in tanto armorum strepitu tumultuq; bellorum, furore hominum crudelissimorum atq; auarissimorum omnia perfringente, tam multis cadibus, direptionib; incendijs, in pace & odio esse potueris, et ad literas sacras toto animo ita incumbere, ut utrumq; Instrumentum nostrae fidei sanctissime interpretandum susceperis, totumq; penè absolueris: nec te aut periculi tui metus, aut alienorū incōmodorū dolor, ab ea cura & intentione animi auocare potuerit: hoc est qd ego imprimis nouum & admirabile esse duco.

Insolita ista virtus, & incredibilis quadam animi altitudo fuit, quæ effecit, ut in tantis communibus miseris solus & placatus, et beatus esses. Quod etiam magis tuum hoc opus videre desidero: quod posteris quidem nostris tui excellentis ingenij, nobis vero etiam virtutis & admirabilis constantie perhibeat testimonium. Equidem, quod ad me attinet, ipse quoque, in literis versor: sed conditione impari. Nam nec ingenio multum possum, et animo sum infirmior: quamquam mei damni cogitatio me nunquam, plurimam autem afflictam reipublice misericordia commouit: tum autem maximis hic difficultatibus in re familiari sum conflictatus. Etenim mihi fuit necesse pro natura & instituto consuetudinis meae, omnibus meos & veteres, & novos recipere familiares, qui undique egentes & nudi ad me confluxerunt. Sed de his satis. Ego, ut etiam dixi, amorem & obseruantiam, quam erga amplitudinem tuam semel iustissimis de causis suscepi, eam inuiolatam retineo, semperque retenturus sum. Tu ut in me amando pari voluntate sis, tuumque, animum illum pristinum, quem ego multis rebus olim habeo cognitum, erga me conserues magnopere à te peto. Vale
Nonis Nouemb. M. D. XXIX. Carpentoracli.

IAC. SADOLETVS EPISC. CAR-
pentoracli. Thomæ Caietano S. R. E.
Cardinali S. P. D.

DE tua erga me beneuolentia saepe mihi à meis scribitur: quæ equidem non dubito firmam esse, idque magnopere habeo gratum. Animus quidem meus erga te idem est, qui semper fuit, cum tibi mirifice deditus, tum tuarum prastan-

praestantissimarum virtutum admirator & cultor: quas
 ego ab ineunte ferme adoleſcētia omni ſemper honore
 & obſervantia proſecutus ſum. Itaq; recordor, & me
 in philoſophiae ſtudijs nō minima ex parte olim à te ad
 iutum inſtructumq; fuiſſe, & tuam mihi nullo loco de-
 fuiſſe neq; opem & autoritatem in publicis rebus, neq;
 in priuatis meis beneuolentiam. Sed quae tua erga me
 plurima extāt beneficia, ea mihi fideli magis memoria
 conſeruanda ſunt, quā multis uerbis iactanda & cōme-
 moranda. Quod autē eſt & tuae ſummae virtutis amplif-
 ſimaeq; dignitatis proprium, et idem aliqua ex parte e-
 tiam ad me pertinet, id ego ex te niſi quid impediāt ſci-
 re ſane uelim: Quē tu, ſcilicet, huius concilij, de quo tā
 multi ſermones increbreſcunt, effectū aut exitum futu-
 rum putes. Nam ſi res agatur ſerio, ſpesq; aliqua ſit la-
 tū iri auxilia bonis moribus & legibus, aduerſus tot &
 tam graues, cū diſſentiones in fide & religione, tum
 in communi uita corruptelas: optandum eſt omnib. no-
 bis, & uehementer Deo ſupplicandum, ut bene ac pro-
 ſperè procedat res. Egoq; quanquam imbecillitate va-
 letudinis, & domeſticis diſſicultatibus valde impeditus
 nullum diſcrimen recusaturus ſim, quōd in eo intereſſe
 couentu poſſim. Sin autem totū negotium fuerit ſimu-
 latio, libentius manſurus in ſtatione mea ſim: neq; eo
 uenturus, ubi mea opera nemini utilis, mihi aut ipſi in
 cōmoda uehementer futura ſit. Hac ego à te, ſi tua ſpe-
 ctetur grauitas & dignitas, tanquam à patre requiro:
 ſi excellens ſingularisq; doctrina, tanquā ab eo, qui nō
 meus, ſed omniū eſſe magiſter poſſis. Hoc quidem ſic ex

istimo, si saluo officio fieri posse decreueris, te nihil in hac re prætermittendum esse, quod ad me monendum, instructuq; pertineat: et si nulla maior mihi futura est instructio, q̄ exploratio iudicij ac volūtatis tuæ. Quod ut facere velis, deq; eo ad me scribere, magnopere te rogo. Ego hic in literis & libris assiduus sum: neq; intellico iā, quid sit aliud beatè viuere, nisi q̄ prædicare solebat Solon, quotidie aliquid senescentem addiscere. Quod nos hoc melius facimus et præstātius, q̄ ea cōfitemur addiscimusq; per quæ ad noscēdum si uendūq; ipsum Deum spe firma exoptata immortalitatis adducimur. Tu ut valeas, meq; absentē, q̄ facis, diligas, & patrocinio tuo tueare à te peto. Vale. Carp. M DXXX.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-
LARVM LIBER III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CAR-
pent. Federico Fregosio Archiepisco-
po Salerni S. P. D.



OST tuum è Gallia discessum, adhuc nihil abs te accepimus literarum. Quod mirarer equidem, & tecum quasi expostularem, si hanc tuam culpam, ac non eorū esse arbitrarer, qui quas literas suscipiunt perferendas, eas aut negligentia, aut perfidia non curant reddere. Nam quin tu iam aliquid scripseris,

pferis, mihi persuadere nullo modo possum. Admonet enim me, cum ipsum spatium eius temporis, quod à tuo abitu ad huc diem intercescit, me sum trium iam ferè: in quo non scribere modo nobis, sed scriptitare etiam potuisti: tum verò tua illa mihi nota humanitas & insignis erga me benevolentia, vetat me quicquam de officio tuo suspicari, & aliter sit ac deceat. Etenim profectò memor non solum expectationis meae, sed tuae etiam promissionis: cum Lugduno confestim iam decedens Italiam versus, literas ad me manu tua dedisti: in quibus erat scriptum, te cum primum in Italia conlitissem, curaturum, ut de omni tuo statu fierè certior: rationèq; initurum qui & tutò, & facile commearè inter nos litera possent. Ac mihi quidem, cur in expectatione non parua tuarum literarum esse debeam, causa complures sunt. Primum, meus summus in te amor, qui non sinit intermitti apud animum meum cogitationem tui. Quae propter etiam de salute & in colamitate tua sollicitas, omnem euentum itinerum tuorum scire valde cupio: neque solum ut valeas, sed quid agas etiam, acturusq; sis, & quibus in locis concessurus. Romae ne, ut est nonnullorum opinio, an alibi certo aliquo in loco. Deinde de Psalmo meo aueo me hercule aliquando cognoscere quid sit factum: & si haec quidem cura & cogitatio non minus ad te, quam ad me ipsum pertinet, communis enim ex illo ambobus nobis est honos: si tamen ex illo aliquis honos. Sed mea praecipua erat expectatio, quod maxime in hoc tempore meae rationibus conducebat, illum iam esse editum. Hanc spem tardari, & differri in t'om

longum tempus, sanè mihi quàm molestum est, eritq̄,
 quousq̄, quemadmodum sese habeat res, ex tuis literis
 certum cognoro. Nam si ij, quibus liber imprimendus
 missus est, rem forsit an contemnant, neq̄, statuant ido-
 neam, in qua videatur esse elaborandū, præcisum isthic
 quidem est omne negotium: sed citò id mihi oportuit si-
 gnificari: vel enim abiicissemus de eo curā oēm, vel ad
 Lugdunenses tuos impressores conuersi fuissetus. Sin
 est aut vt & probent materiē, & in scriptione vitium
 non reprehendant, quod equidē malim, permagni faci-
 ens hominum doctissimorum iudicia, quorum et copia,
 & gloria abundat illa ciuitas, quænam ista quaeso, et vn-
 de exoritur tanta cunctatio? Sed vt fit in his reb. quæ
 ignorantur, quarum ratio certa conijci nulla potest, sic
 mihi permulta de hac re cogitanti, vagari suspitione
 quæ velo licet: firmo aliquo consilio consistere nō licet.
 Qua sollicitudine animi quiesci tum poterit, cum tu
 me de re omni certiorē feceris. Tertium illud est, quod
 ego expecto à te, vt sciam, quæ, & per quos epistolas
 mittere tutò possim: mirum. n. me tenet desiderium se-
 pius laceßēdi & cōpellandi tui: cum tu præsertim iam
 locis à nobis factus disiunctior, oēm spem oblectationis
 meæ tecum, in literis solis reliqueris. Cuius ego discessu
 in hoc tanto regno videor penè solus relictus: hoc etiam
 magis, quod profectiōne tuam propè continuo est Pau-
 lus nosler consecutus. Is enim paterna mortis subito ca-
 sit, & insperato cōpulsus incōmodo, quod rē familiarem
 & pupillos fratres suos inuiseret, constitueretq̄, res do-
 mesticas ante diē V. Cal. Iuny hinc est profectus, cum

tu octo dieb. ipsis antecessisses: cuius tamē reditus nunc nobis in expectatione est, extremus enim Sextilis erat reuersioni constitutus: quam diē intelligis appropinquare. Qui si tecum potuit in Italia congregari, quod quidē ipse et maximē expetebat, & fieri posse non diffidebat, plane ab eo fueris de omnib. nostris rebus edoctus. Nos literas eius non habemus ex ante diem X. Cal. Quintilis, neq; hoc sine aliquo animi nostri scrupulo. Cogit enim nos vereri propemodum omnia, vel beneuolētia qua illum ut si filius esset vnicus cōplectimur, vel posteritatis cogitatio, cuius cōm spem & rationē in illo vno reposuimus: vel quòd graui anni tempore, & insalubri ferè vbiq; gentium cælo, omne corporis periculum videtur esse pertimescendum. Sed tamen in spe bona sumus. Tu si nos diligis, quod profectò facis, ne me patiare obsecro, tam diu in desiderio tuarum literarum esse. Etiam pro tua humanitate curabis, vt aliqua volumina ad nos libro impresso demum mittantur, quòd posimus amicis munuscula cum epistolis deferre. Vale, et ad nos quàm primum scribe: Bembumq; nostrum mirificum hominem, omni summa virtute præditum, eundemq; coniunctissimum vtriq; nostrum, aliquando nactus oportunitatem, meis verbis iube saluere quàm plurimum. Carpent. Idibus Augusti, M. D. XXIX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Federico Fregosio Archiepiscopo

Salerni, S. P. D.

A Ccepi literas tuas, ante diem XV. Cal. Ianuarij
 datas: ex quibus cognoui, quanto post me ad te

F 5 perla-

perlata essent, quàm fuerant data: & qua te occupa-
 tio moraq; tenuisset, quominus, vt cupiebas, mature ad
 nos scriberes. Ego verò cum tanto iam interuallo nihil
 abs te accepissem, neq; adeo de te: sollicitarer autè non
 parum cupiditate cognoscendi, quid tibi & rebus no-
 stris cõmunib. cõtigisset, (sunt enim inter nos omnia
 communia) cum me praesertim in ea cura & cogitatio-
 ne amor erga te meus summus quiescere non sineret: fa-
 teor me diu in expectatione fuisse tuarum literarum:
 nonnullamq; cepisse admirationem earum tarditatis.
 Sed tamen vt suspicarer potius alia omnia, quàm con-
 iunctionem nostrae necessitudinis vel minima ex parte
 imminutam esse, quàm vel in amore apud te, vel quàm in
 omnibus officijs conseruandis fide ac diligentia. Nunc
 cum tu & valetudinis incommodo aliquandiu consti-
 ctatus, & molestissimis negocijs discentus fueris: atque
 ea nunc impedimèta partim Dei beneficio, partim pru-
 dentia tua à te ipso repuleris: gaudeo primas eas fuisse
 literas, quae mihi letum nuntium attulerunt: quae si ci-
 rius venissent, molestiae mihi fuissent. Tuamq; tibi recu-
 peratam valetudinem, & sapiens consilium vitandae
 urbis, vehementer gratulor: pristinam quoque tuam
 agnosco animi magnitudinem. Vidi enim te olim cum
 viueremus vnà, haec ipsa contemntè, quae vulgus ad-
 miratur: tum scilicet, cū ea adipisci facillimè poteras.
 Et erant illa eiusmodi, vt haberent aliquam, si non ve-
 ram dignitatem, at speciem tamen, et simulacrū quod-
 dam dignitatis. Nunc verò: Sed quid ago? aut cur ne-
 quicquam sumo hanc operam? Ad nostra potius, De
 Psalms

Psalmo cognoui, quo loci sit res. Sed ego ingenuè tibi
 indicabo, cum iam desperassem isthic rem confici, nisi
 Psalmum Lugdunum, aliquot correctū locis, vt impi-
 meretur ibidem, quartodecimo admodum ab hint die,
 hoc est ad IIII. Idus Decembr. vt intelligas me mode-
 ratum cupiditati meæ, quoad in spe fuerim isthic rem
 confectum iri, octauo mense videlicet postquam tu ex
 his locis discessisses. Nec tamē puto te existimaturum,
 me egisse aliquid quod sit cōtra officiū. Nunc siue hic,
 siue illhic, nostra vtq; de eo conquiescit cogitatio: nec
 tamen adhuc quippiam habebamus certi, quid fieret
 Lugduni. Sed de his satis. De te autem ipso, & de tuo
 discessu in Italiã, qui meus tum fuerit sensus nihil me
 attinet dicere: nisi illud quod proprium est amoris, pro-
 fectionem tuam dolori mihi non mediocri fuisse. Cau-
 sas equidem discessus, & graues, & iustas esse arbitra-
 bar: qua te hominem prudentissimum mouissent. Man-
 sionem autem in Italia tuam, neq; ego probo, neque te
 ipsum probaturum esse arbitror: quanquam enim ibi
 officio pio & necessario detineris: tamen cum tibi tan-
 tundem ferè in Gallia cum Deo negocij sit: & eadem
 te huc religio reuocet: qua in Italiam euocauit: non vi-
 deo, peractis eis rebus que ad prouidendum consulen-
 dūq; populis more et instituto maiorum inuenta sunt,
 quid te sit in Italia diutius retenturum, quando cetera
 omnia, quod opinor te iam cognoscere, vsq; eo confusa
 perturbatāq; sunt, vt nulla res in istis locis sit, que pru-
 dentem quempiam aut bonum virum possit delectare.
 Quare si tu idem senties, fuerisq; expertus, poteris me
 auto-

autore officium & munus præstandæ Deo religionis,
 ad causam tui reditus, rectè interpretari. Ibi enim po-
 tissimum commorari debemus, vbi plurimum proficere
 nos posse sentimus: alijs quidem præterea etiam, sed
 nonnihil & nobismetipsis. In quo ego disputarem co-
 piosius, nisi te doctissimum hominem, & optime hæc i-
 psa videre mihi persuasissem: & vererer ne tu fort asse
 magis ab amore meo erga te, & desiderio tui, quàm à
 uerò & integro iudicio huiusmodi orationem profici-
 ci putares. Quamobrem hæc missa. Paulus nobiscum
 est: nec fuit me diutius in expectatiõe sui esse: extremo
 enim Sextili ad nos redijt, estq; nunc totus in Græcis li-
 teris: quod si perfecit studium, non dubito quin om-
 nia deinde facilia sit habiturus. Nos nihil scribinus im-
 præsentia, legimus autem libentissimè: multasq; & ma-
 gnas iam parteis Aristotelica doctrina transeginus,
 imprimis τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ: in quibus nisi sumus
 nobis non pauca subtilius & acutius comprehendisse,
 quàm antea. Ote si haberem, quo cum communicarem
 nihil crede mihi fieri posset beatius. Hæc enim animi
 letitia, ac in studijs voluptas socium requirit: sine quo
 non illa quidem manca est: sed esset ea medijsidius hi-
 lerior tamen, atque vberior. Paulus nondum tantis re-
 bus par. Tu maximo animo, præstantissimo ingenio,
 summa in me benevolentia, eximia scientia. Sed fortu-
 na obstat, & que ipsam etiam fortunam vincit neces-
 sitas. Ergo id ipsum ferendum est. Tuum constitutum
 dandarum & misitandarum literarum seruabo diligẽ-
 ter. Bembo meo ascribes, quoties ad eum scripseris
 pluri-

plurimam meis verbis salutem. Tu vale, & nos dilige: quod te facere ita non dubito. vt nihil habeā tuo in me amore nec certius, nec iucundius. Vale. IX. Calend. Februarij, M. D. XXX. Carpentoract.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Federico Fregosio Archiepiscopo
Salerni, S. P. D.

CUmin Gallia esses, crebro commeabant inter nos litera: quod fiebat tum propinquitate locorum & regionum, (minus enim magnis omnino & spacijs viarum & difficultatibus intercepti eramus) tum quod eorum qui literas perferrent, maior erat copia. Postea verò quam tu in Italiam profectus es, omnia hæc nobis spissiora & difficiliora facta sunt. Quod mihi sane magne est molestia. etenim eiusmodi sunt tempora, & eæ impendent res, vt si vnquam alias, nunc cum maximè tuum mihi consilium & benevolentia requirenda sint.

Quæ si vicinioribus in locis esses, parata mihi arbitrarer: quia abes longe gentium, nō illa quidē mihi erepta nec aded tamen in promptu adesse mihi intelligo. Sed quid me angat, sollicitūq; habeat, etsi te per te satis exstimare arbitror, quòd eisdem affici te puto in hoc tempore animi sollicitudinibus & curis, tamen aliquid tibi à me ea dere putavi esse scribendū: vt quoniā amore et optima in rem Christianam voluntate cōiuncti sumus, nostras quoque cogitationes et consilia coniungamus. Increbrescit enim quotidie magis (vt tute scis) de consilio rumor: cuius habendi multæ quidem sunt causæ iusta, ac graues: ac si verè loqui volumus, etiam necessaria.

saria. Sed ecquid sperandum ex eo boni sit, magna videtur esse cōsiderationis: quæ sortasse ad nos nihil pertineret, nisi grauis officij onere premeremur. Quod præstare debemus, non tam hominibus quidem, quibus (si bene coniectura vtor) sancta & seuera cōsilia haud ita multis placitura sunt: sed prapotentī Deo, cuius tātis aucti beneficijs, nihil habemus neq; in vita, neq; in fortuna, quod non pro illius honore & nomine effundere simus parati. Hanc ego sententiam cū mihi tecū statuat esse communem, reliqua iam sunt cōmunicanda inter nos: quod consilium sequi, & quemadmodum nosmet gerere debeamus. Nam si (vt dico) fructus est expectandus aliquis ex hoc principum ecclesie & episcoporum conuentu, qui sit Christiana Reip. profuturus: non dubium, est quin conueniamus, quemcunque fuerit in locum concilium indictum, nec laborem vllum discrimēne fugiamus: tametsi mihi ipsi, propter domesticas aliquot difficultates, imbecillitatemq; corporis: futura sit res molesta. Sin autem, quod magis vereor, propter inextricabiles difficultates temporum totum hoc remedium ad sedandas discordias, & ad morbos ex animis tollendis inane futurum sit, atq; irritum: est iam non parua deliberationis res, quid agendum nobis, & vtrum accedendum eō, an mandandum domi in vigilia nostra sit, cū alterum fortassis consilium inutile, alterum planè honestum semper habeatur. Hæc ego si mihi metipsi considerem, exquisita potius & explorata scriberem ad te. cū verò tantum tuæ prudentiæ confidam, quantum meum perpetuum de tuo singulari

Lari ingenio iudicium postulat: peto à te & pro amicitia nostra rogo, vt suscipias totius negotij deliberationem atq; curam: & siue habes iam statutum, quid tibi faciendum sit, siue es deinceps cōstituturus, me omnia participem consilij & voluntatis tue facias. Ego enim eo sum animo, vt quicquid à te probatum fuerit, id vt sapienter sancteq; cōstitutum, ipse quoque secuturus sim. Quare tu & de rumore ipso, totaq; re, & de loco, temporeq; conueniendi, si quid habebis indagatum & compertum, facies me (si videbitur) tuis literis certiorè. Imprimisq; hoc ita cogitabis, si veniendū aliquid sit, summopere cupere me, q̄ sine incōmodo tuo fiat, cōtubernalem tibi esse. hoc mihi gratius atq; optatius accidere nihil potest. Vale. VI. Calen. Febru. M. D. XXX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Federico Fregosio Archiepiscopo

Salerni, S. P. D.

ET si quotiescunq; literas tuas lego, toties sentio me noua quadam letitia affici, vt nihil esse mihi possit earū lectione iucundius: tamen proxima litera tuae quas ego Nonis Iulij abs te datas, tertio Nonas Septembris accepi, mihi molestia aliquantum plus, quàm voluptatis attulerunt. Nihil enim grauius accidere mihi potuit, nec quod minus ferre possēt sensus animi mei, quā intelligere, te suspicari, aliquid mihi accidisse abs te, ex quo animus meus in te esset offensior: cūm præsertim id agas tā multis verbis, vt verè de me nescio quid dubitasse videre. Ast ego contrà, primum hoc dico, nihil me vnquam esse in te conspicatum, quod vel proprium

prium esset tuum, vel mecū tibi in nostra amicitia cō-
 mune, in quo non & admirabilis mihi tua virtus, et be-
 neuolētia erga me, eximia visa fuerit. Et in utroq₃ qui
 dē multa mea extant, neq₃ ea obscura, de tua virtute
 humanitateq₃ testimonia. Sed nō sumam mihi impre-
 sentia, cuncta vt commemorem. Illa perstringā breui,
 qua tui amoris erga me propria sunt, quorum nunquā
 me quidem cepit obliuio. Sed cōmemorationē autē hac
 verecundia impediuit, cuius tu nunc non pratermitten-
 da necessitatem quādam mihi affers. Nam siue prima
 nostra familiaritatis initia spectemus, quid tua tunc er-
 ga me comitate, liberalitate, beneficētia illustrius? siue
 hac postrema, (nā media fortune vitio, occupationib.
 maximis vtriusq₃ nostrum, & locorū disiunctione, non
 tam testata esse potuerunt) quē ego possum afferre ex
 pluribus amicis, quos mea mihi officia quā plurima
 conciliarant, qui maius erga me ostenderit sui animi
 studiū, aut cui tantopere salus mea cura fuerit? Veni in
 Galliam, nudus rerum omnium, tāquā ex naufragio
 in terram eiectus. An me oblitum putas illarum litera-
 rum tuarum, quas ad me prior misisti? in quibus cū es-
 set suauissima recordatio veteris nostra necessitudinis
 & declaratio amoris in me tui: nōne cūm fortunas om-
 nes tuas in cōmunionem meorum temporum mihi ob-
 tulisti, tum humanissimis atq₃ amantissimis verbis pa-
 ria facta responderunt? Iuuisisti me opibus, instruxisti
 libris, quorum ego iactura (maximam enim feceram)
 non mediocriter angebar: omnibus & prudentia, & li-
 beralitatis tuae consilijs auxilijsq₃ fouisti. Quo quidem
 tempo

tempore, cū cetera mihi ex te iucundissima acciderēt, illud tantum submolestè ferebam, quòd maiora subire conabar is mea causa onera, quàm vt meus pudor facile pati posset. Hæc ego qui nosse debeam & in memoria habere, quid ita, quæso, sum à te in iniusta iracūdia crimen vocatus? qui etiam si iustam aliquam haberem succensendi tibi causam, non possem id sine nefario scelere, & sine magna commutatione meæ naturæ ac voluntatis facere: quam ita iam pridem habeo institutã, vt nullas cognoscat iniurias, significationibus aut beneuolentiæ maximè obligetur. Vide quæso dulcissime Federice, ne in hoc me aliquo inconstantia & leuitatis crimine cōdemnes. Quod etsi molestum mihi foret tibi ita videri: mea me tamen conscientia cōsolaretur. Mihi enim ipse sum cognitus, & scio nihil à me commissum, quod ad nostræ amicitia fidem, vel minima vlla ex parte violadã possit valere. Quāquàm ne tu quidẽ de me aliter sentis: nõ enim dubito quin me firmum & certum amicum esse cōstituas: potiusq; tua illa suspicio tota fuit amoris: & nimirũ ita est. Habet enim hoc illa animi affectio peculiare, vt quod maximè appetit atq; optat, eius amittēdi suspicione maximè stimuletur. Sed tu si verè de me existimare volueris, & cogitare cū animo tuo, quis aut ego sim, vel cuiusmodi esse debeat, præsertim aduersus te, cuius tot & tanta erga me extat merita: cognosces profecto, nihil fieri posse in omni amore & obseruãtia tui, studio meo et voluntate flagrantius. Nam quòd iã deũ nõ scripsi, primum, non fuit quod scriberem, nec per quos: neque

tu tamen in eo diligentior me fuisti. Deinde, nunquam ego in literis arbitratus sum iudicium omne amoris et benevolentiae consistere: vel eo argumento, quod tam diu antea cum nihil inter nos commeaerit literarum, incolumem tamen benevolentiam seruauimus. Et tamen recordor me statim ad eas tuas rescripsisse quas Aucionone cum essem acceperam: Psalmique impressi volumine vnum tibi misisse, cum si tum me aut tua Aristotelis reprehensio, aut cohortatio ad sacras literas commouisset, fuerim aliquod signum turbati animi tibi daturus. Ac cohortatio quidem tua mihi & sapientissimi consilij, & amicissima voluntatis semper plena visa est. Cum Aristotele vero nulla mihi est cognatio, nisi quod hominis illius acumen & doctrinam precipue miratus sum: ac maximus mihi ille quidem & doctissimus Philosophorum semper est habitus. Sed quid tam liberum esse debet, quam suum unicuique de re quaque iudicium? opinionum porro inter amicos dissentio aliqua aliquando est, voluntatum nunquam. Quamobrem de his tu et quemadmodum voles ita senties, & hoc nos animo erimus, ut Philosophiam cum sacra doctrina nunquam non coniungendam esse arbitremur. Sed haec satis, aut nimis fortasse multa. Ego his diebus accepi ex Germania aliquot doctorum hominum, et in his Erasmi literas. Psalmum nostrum ibidem de integro impressum statim divulgauerunt; vnum volumine miserunt ad me: rem mirabiliter probant. Erasmus quidem, ut sibi per se displicere, & sua iam scripta continere videatur. Litera scripta doctè & copiosè. Sed de doctrina nihil scilicet noui.

ui. De hominis probitate, ingenuitate, virtute, aliquid noni fortasse, vel enim non tantum, vel nō ita putares. Scito igitur ea in illius literis elucere signa integri animi, & probi, & alienam virtutem studiosè amplectentis: vt dignissimus sit, qui & ametur à nobis, & in honore habeatur. Cui ego me vt respondeam, paro: ne meo humanitate & ingenuitate vinci patiar. Spes est aliquid in ea natione à nobis profectum fuisse: Quod si benignitate Dei fuerit factum, ne ego maximum, & maximè optatum mei laboris premiū fuero adeptus. Sed aliās de his. Tu vt me ames, teq; à me & diligentissimè coli, & constantissimè amari, vt certum atque exploratum tibi habeas magnoperè à te peto. Vale. Pridie Idus Septemb. M. D. XXX. Carpentoracti.

IAC. SADOLETUS EPISC.

Carpent. Federico Fregosio Archiepiscopo Salerni. S. P. D.

Magna mihi delectationi fuerunt literæ tuæ: quæ mihi te cum abundare ocio, tum autem id ocium consumere in optimis studiorum lucubrationibus significarunt: benevolentiamq; erga me tuā, cuius mihi semper gratissima est cōmemoratio, etsi non apertius quā antea, vberius tamen aliquanto mihi declarauere. Gaudeo te eum esse, qui & tibi ipse summū bonum in vita, scrutandis & recolendis scripturis sanctis repereris: in quibus certè, huius boni, quod non maximum modò, verum etiam solum est, cunabula sunt posita: & mihi eum animā in amicitia præstes, vt mea tibi studia maxima cura esse ostendas. Quo quid potest esse amoris,

officij, humanitatisq; significantius? Sed quoniã de his,
 qua inter nos sæpè intercesserunt, officijs, deq; mutua
 nostra benevolentia, & aliàs crebro à nobis fuit di-
 ctum, & vt arbitror, etiam dicetur: veniamus ad lite-
 ras tuas. Ac primũ illud à te deprecor, vt in meis quod
 prius fuerat scriptum, multa me inuenisse in Paulo,
 qua fuerint prioribus seculis incognita, ne insolentia
 & elationi animi mihi attribuas: etsi piget me verbo-
 rum illorum, qua cum illas scripsi literas, minus ani-
 maduersa à me fuerunt: quod accidit festinatione qua
 dam accelerationeq; scribendi. Etenim non ad te solũ
 illo tempore, sed ad complures præterea alios literas
 dabam: in qua occupatione & turba, cura mihi reco-
 gnoscendi, & perpendendi ex animo excidit. Nõ enim
 volui incognita dicere simpliciter, sed de quib; mihi nõ
 constabat veteribus ea seculis à quoquã fuisse tradita.
 Nam hoc quidẽ planè, libereq; testor, me in abstrusas
 quasdam Pauli sententias penetrasse scrutando: quas,
 quoad nosse potui, adhuc intelligo fuisse vel occultas,
 vel certè minus dilucidè explicatas. Neq; id tamẽ meo
 ingenio, quod perpusillum est, sed diuino beneficio sine
 vlla hesitatione tribuo. Solet enim Deus ipse, fons bo-
 norum omniũ, sic interdum etiã indignis impertirè be-
 neficia sua: vt & hi, qui ijs fruuntur, & qui hos videt
 persfrui, non humanum in eo meritum vllum, sed tantũ
 diuinam liberalitatem & gratiam admirentur. Sic igitur
 sese res habet: vt ex illo meo labore atq; vigilijs,
 præferente lumen menti meæ sancto illo spiritu, qui
 in domo quamuis sordida suam tamen intactam & illi-
 batam

batam retinet dignitatem, sperem fore mysteriū fidei etiam incredulis, & prius ista continētibus, si modò rationibus acquiescere cōstituerint, clarum atq; illustrē. Nam quod me admones, vt interpretes eos legā, in manibusq; habeam, qui piē, & eruditē in Paulum cōmentati sunt: cōsiliū tuum mihi vehementer probatum est.

Quod quidem etsi mihi antea venerat in mentem, fueramq; in eis libris, quos tu mihi proponis, diu & multū accuratissimē volutatus: posthac tamen studiosius etiā faciā, quod tantopere tibi id placere intelligo. Veruntamen et Chrysoſtomus summus vir, atq; eximius Pauli interpres, magno mihi vsui fuit: & ceteri simili pietate ac ingenio non parum opis mihi auxiliūq; contulere. Atq; hic quidem, modo quem nominavi, lingua expolitus, copia abundans, sententijs creber, genere quodam dicendi incitato atq; denso, non docet solam nos ea quę sunt fidei in Paulo, quod ipsum sanē egregiē, & perquam doctē facit: verum animos præterea quoque nostros vsq; eò permonet, vt cum eum legimus, accurateq; attendimus: tum maximē probi & iusti cupiamus esse, imprimisq; continētes. Augustini verò, cuius ego ingenium præcipuē soleo mirari, inchoatam in hanc epistolam ad Romanos scriptiōnem tantummodò habemus: & quedam item epistola obscuriora loca quasi subcisiuis operis tractata. Origines redundat & effluit, maximi vir ingenij, excellentisq; doctrinæ: sed cuius in tanta vbertate & copia, vix queas aliquid certi cōprehendere. Huius sententias imitati recentiores pleriq; haud ita multum deinde de suo, quod accipere de-

beamus, attulerint. Ambrosius restrictus, & quasi resu-
 giendo se ostendens, summa tamen doctrina & sancti-
 tate vir. Laboriosus Thomas, idemq; magis aliena
 sententia narrator, quam demonstrator sua: qui tamē
 collectis omnibus ijs propè, quæ ab alijs dicta sunt, &
 laborem minuit nobis inquirendi, & curam acuit dy-
 dicandi. Hieronymus aliquanto demissior, (si tamen u
 Hieronymus) quam videar tantarum explicatio re-
 rum postulare. Nam collectanea Græca quæ esse pe-
 nes te scribis, (habeo enim ego ferè similia quedam cō-
 posita ab Eunomio) nihil aliud, ut ego conijcere pos-
 sum, quam Chrysostomi selecta & brevia dicta sunt.
 Unus est reliquus ex ijs, quos mihi nominandos duxi,
 Theophylactus: bonus nimirum autor, idem nudus ac
 venustus, et qui verū et germanum sensum Pauli bre-
 uiter atque aptè totidem penè verbis, quot ille scripsit,
 persequatur. Habes quorum ego potissimum subsidio
 et doctrina in hanc scribendi rationem ingressus sum:
 quibus tu, si habes alios meliores, aut quos mihi aequè
 existimes amplectēdos, si eorum me certiozem feceris,
 obediam, & parebo auctoritati tuæ: omniaq; te præmo-
 strante libenter exequar, quæ ipse consulueris, & ad
 quæ tu me fueris adhortatus. De questionum magnitu-
 dine, & difficultate, quæ in hac ad Romanos Epistola
 versantur, idem sentio quod tu: nihil esse illis implici-
 tum, neq; tamen excussum ac exagitatū magis: quæ
 longo penè temporū interuallo sopitas, Lutherani rur-
 sum in contentionem & certamen deduxere. De ijs q
 sententiam meam exquiris, nō est id vnus Epistola
 goti-

gotium: & satis tamen in commentationibus nostris de eis rebus disputatum est. Breuiter tamen sic habeto: Fidem à me distingui, & secerni ab operibus iustitiæ ijs, qua per legem præcepta sunt: sine tamen iustitia quadam sua diuiniore multo & præstantiore, fidem nullam à nobis posse constitui. Nam quæ verbis tantum uocæq; vsurpetur, si non sit radix in corde prius valide defixa, similem eam esse ramis non cognatis cum arbore, sed herentibus. Illa est fides Paulo, cum corde creditur ad iustitiã: sic enim demum ore confessio est ad salutem. Itaq; idem ipse Paulus ad Philippenses scribens, cum in stitiam se legis libenter reliquisse, ut eam quæ ex fide est iustitiã adipisceretur, exponit: fidem profecto ab humana iustitiã hac segregat, & in diuina illam iustitiã constituit. Quæ autem diuina sit iustitiã, & quæ humana, & in libris nostris perscriptum est, & nos te ad illorum lectionem reijciemus. Neq; enim fas tantis de rebus tam exiliter impræsentia scribere. De libero arbitrio, & de Gratia, quæ duo videntur inter se ita esse opposita, ut maximis olim concertationibus agitata in ecclesia Dei fuerint, & nunc ab his recentibus hereticis repetuntur. Ego & Pelagium grauiter accuso, qui dari nobis præmium pro meritum nostris sine gratia uoluit: cum nullum omnino meritum à nobis, nisi dono gratiæ prodeat, & proficiatur: & Augustino non usquequaq; assentior. Nimirum enim extremè ex contraria parte is diuersam mihi causam videtur defendisse: cuius ratio si vera sit, in maximas difficultates, & impeditissimas actiones consiliorum ac uoluntatum, hominum: me

tes incidere necesse est: ut nequeant explicare, quid optimum sit factu. Ego verò illam nostrī animi ac volūtatī assentionē ad arbitrium nostrum reuoco, quā præbimus nos Deo faciles & obtemperantes, ut is deinde nos fingat & flectat quod velit: omnem autē plenā actionem, omnemq; laudabilem boni operis fructū, & quicquid deniq; est in quo vis meriti insit, ad diuinam gratiā sine dubitatione vlla refero. Atq; hæc non modò sic ponuntur à nobis, sed validis (ut puto) rationib. argumentisq; firmātur, autoritate vbiq; scriptura adhibita, quæ cōmendat et corroborat rationē. Verūm de Paulo satis. Quòd scribis, damnari à me studiū Hebraicarū litterarum tuū: non puto ea mente me ad te scripsisse, ut operam tuā in ea re damnādam esse dicerē: potius illud non tam reprehendi equidē in te, quā desideravi, ut in Latinis & Græcis studiosius te exerceres. In quo ego non Hebraica studia contempsi, sed illis hæc anteposui: quæ sunt (meo quidē iudicio) ad id quod quarimus longè vtiliora. Etsi vereor, ne tibi videar arrogans, qui de incognitis reb. audeam iudicare. Sed (quæso) audi quid moueat me: Primū salus nostrā in Euangelio est: id autē est totū Græce traditum. Deinde si ex veterē scriptura testimonia querimus, quib. Euāgelio fides addatur, parūne multa ex ea percepta habemus? At enim illa è fontib. haurire cōducibilis multò est. Fateor: si possint haberi pura & liquida. Sed quid causa est, quòd oēs peregrini qui ad eam linguam se dedunt, tanquā ceteri nihil antea viderint, nouas conuersiones nominum ipsi reddere conentur? quod ipsum et in his libris cernimus,

qui

qui vim singulorum verborum explicant, qui nullius fermè vocabuli significationē & sententiam rēserūt, non multiplicem. Cur Paulus summus legis doctor, natiua lingua peritissimus, cū sacros scriptura citat locos, eos semper non ab isto ipso fonte, sed à septuaginta interpretibus accersit? Nam quod de semine mulieris & serpentis tu commodè exponis, non aliter video à septuaginta fuisse translatum. Duo cherubin, duo testamenta existere, perbellè interpretatum est, à numero videlicet cōiectura ducta. Nam si vtriusq; testamēti vis exprimenda fuit, decuit alterum cherubin, tanq̃ inferiorem & ministrum, alteri arcillari: qui ambo tamē penes arcam Domini pares effecti sunt. Vide potius, ne ministerium Angelorum, quo Deus in populo illo dirigendo usus est, eo monumento denotatum fuerit: qui duo statuti sunt, vt ab eo ordine vnitas, qua sola est adoranda, remota esse intelligeretur. Quāquam ego in his non pugno: licitum enim est vnicuiq; suo modo interpretari: cū ad ea quæ ex spiritu sancto perscripta sunt, omnes quæ ad pietatem faciunt, accommodentur sententia. Illud dico, esse quasdam predictio nes in sacris literis futurarum rerum, ita euidenter clarae et manifestas, vt nusquam aliò, quàm ad Christum referri possint: sicut illa est inter homines vcturi Messie diuersatio: mors quoq; eius & ignominia ab Esaiā prope depicta, & Zacharia illa crux: & Iacob propheta: conuocatio quoq; gentium, & sponsi sponsaq; conubium, quod in Psalmo quadragesimo quarto ita decantatum est, vt perspicuè appareat, duos esse, qui-

bus honos ibidem, & nomen Domini Dei attribuat. Multa pratero breuitatis causa, & quod tibi notiora esse arbitror, quam mihi. Nomen quippe Deo omnipotentis, Tetragrammaton ad miracula patranda etiam valere, his qui illud nouerint, veteres existimauerunt: totamq; eam scientiam appellauerunt Cabala. Cuius uis quacunque sit, (non enim scio, neq; didici) maxima sit quidem per me licet: non enim uolo à me cuiquam arti esse detractum. Quod tamen sentio id proferam. Primum, nō egere nos huiuscemodi arte ad salutem nobis comparandā. Deinde uisos à me permultos, qui ex hac scientia non religionem, neq; pietatem: sed aut uanas aut etiam impias superstitiones susceperint. Quod etsi accidere poterit, hominum, non artis uitio: tamen timidas mea eiusmodi semper fuit, ut nūquam passus sim eius rei nomen, nedum cognitionem & studium, ad aures meas propius accedere. Quid ergo est? num nam reprehendo ego eos, qui ista consecantur? Minime: omnē enim cognitionem et scientiam dignam homine libero iudico: nec si quid fortasse ex aliqua aliquando periculi impendet, non tuam grauitatem & sapientiam superiorem omni periculo statuo: sed meam imbecillitatem uereor. Itaq; aut non ualenti mihi, aut nō uolenti, illa esse aliena & remota studia nō admodū fero molestē. Qua etiā imbecillitate adductus, cum suasi tibi, ut Paulum assidue haberes in manibus: nō id eod feci, quod putarem illum minus tibi familiarem esse: sed quod arbitrabar, quod plus in eo opera studijq; poneret, in Hebraicis autem literis minus, quantum temporis scilicet

ex illis detraheres, ad Paulumq; trāsferes, hoc melius
 & præstantius studijs tuis consultum fore. Qua in re,
 & in cōsilio eiusmodi dando, si erratum à me est, peto
 à te, mihi vt ignoscas: bono quidem animo id feci, quan
 quam fortasse imprudenter: Sed æquum est nos inter
 nos & non agnoscere sape culpas, & benevolentiam
 semper adhibere. Etsi hoc quidem posterius tu vnum
 facis, ego cum amore culpam aliquā interdum in meis
 factis adiungo. Nunc venio ad quæstiones, de quib. sen
 tentiam meam sciscitaris, quarum dua locorum sunt,
 altera rerū. Queris q̄ fuerit Tertium cælum illud, ad
 quod sublatus est Paulus. In quo respōdeo tili: tertium
 ibi cælū à Paulo pro summo & vltimo poni, in quo nō
 sidera, neq; astra, sed diuina mens inhabitat: nā et Ter
 tium illud superlationis vim habet: & mox subiungit
 ipse, audiuisse se ibidē arcana verba, non contemplū
 spectacula fuisse. Quāq; autem ista cæli mentio, non
 tam loci, quam rei significationē habeat: nō enim in lo
 co habitat Deus, sed ipsa Dei virtus et potentia semeti
 ipsa continetur: cuius arcana qui audiunt, à Deo edocti,
 ad domicilium Dei extollūtur) tamen etiā si ordinis &
 loci reddenda est ratio, congruē cælum islud tertiuū esse
 dicitur: quando primū, ducto hinc initio, est aeris &
 ignis circumiens vnā cum cælo mundi inferior globus:
 qui non solum vulgō, sed ab omnibus poetis Cæli voca
 bulo nūcupatus est: vsq; eō, vt ne alienam quidem à na
 tura ignei elementi superiorū orbium naturā esse vete
 res existimarint. Quod idem & in Genesis principio
 videtur cōprobatum: quā firmamētum q̄ nominat cæ
 lum,

lū, inter aquas duplices cōstituit Deus: tametsi de hoc quidem nō tā mihi liquet. Alterum porrò cælum astra signaq; continet. Tertiū est Deo, & cœlestibus illis mentibus attributū. Sed vt dicebam, non tam locum, quàm rem notare voluit Paulus. Summū enim profectò cælū illud est, ex quo hausta illi fuit diuina sapientia. Quod item de sinu Abraha, in quo recumbebat Lazarus, intelligendum est: nusquam enim ibi locus, sed res tantū est descripta: cū is qui iacebat in miserijs, Lazarum vidit in beatitudine recumbentē. Aut si in eo locus quaerendus est, sinus Abraha regnum cœlorū est. Sicut ipse Dominus alio loco, Venient multi, inquit, ex ortu, & occasu, & recumbent cum Arabā, Isaac, et Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni eijcientur foras, Felicitas igitur eo loci, et miseria in euangelio est exposita: ea qua morientes dispari sanè exitu exceptura est. locorum autē propriè non est spectata ratio. Inter felicitatem porrò & infelicitatem maximum utiq; interpositum chaos est: quod etiam est impermeabile, iudicio Dei premijs iā, pœnisq; cōstitutis. Hactenus de locis. Nunc de rebus est dicendum. Ac primò, Auaritiam esse idolorum seruitutem, non vno loco dixit Paulus: ea ratione, quo qui pecuniæ student, totius vite suæ spem & fiduciam constituunt in pecunia. Quod in alijs cupiditatibus non fit: nam ceteræ cupiditates singulares sunt, auaritia vna reliquas omnes complexa est. Queritur enim ad eam rem pecunia, vt cupiditatibus omnibus suppeditetur. Porrò ponere vite totius spem alibi quàm in Deo, alium sibi esse Deum ad-

scisce-

sciscere, & adoptare: quod in auaritia precipuè quoque euenit, quando cupiditates alia subitis ferè motib. incitantur: auaritia habet certum & constitutum consilium. Ita & vitulum, quem dimisso Deo Iudei adorauerunt, nõ sine mystico sensu, auaritiã esse cultum Idolorum, legimus fuisse aureum. Alter locus est apud Lucam, quo Dominus rediens à nuptijs, seruis fidelibus, qui vigilauerint, mēsam appositurus est, eisq; ipsemet ministraturus. Torquet enim te verbum illud Transiens: quòd non à trãseunte, sed à permanente velles sanctis Dei et electis conuiuium exhiberi. Sed error est in verbo, non enim Trãsiens, sed Obiens, debuit transferri: id enim Gracè est $\omega\alpha\gamma\epsilon\lambda\theta\omega\mu$. Obire autem præter oculos discumbentium multa necesse est, cum qui plurius velit ministrare: eisq; verbum illud non abitus, sed sedulitatis. His sic expositis, dicendum tibi à me ingenuè est: in quo vereor, ne tu aliena sententia sis, qui humanam putes sapiētiam, bonarum artium et literarũ cognitionem esse, eam videlicet quæ est inimica Deo. Non enim ita est. Humana est illa sapiētia, quam refutat & aspernatur Deus, aduersusq; eam in honorem Stultitiã adducit, quæ illa sapit & meditatatur, quæ ad fructus rerum mundanarum comparandos apta, appositãq; sunt: quam nos Prudentiam vulgo appellamus: Solertiã quandam accuratè & cautè internoscenẽ molestias, & voluptates: eãq; adhibentem, quæ opes, honores, diuitias, potestatesq; sint allatura: contraria verò reijcientem, atq; euitantem. Hæc enim ad diuersum longè finem à Deo, tota directã est: & qui in his-

ce stultus est, hoc est, cui ista prae caelestibus cordi non sunt, ille Deo praecipue gratus & probatus est. Artium verò liberalium, & philosophia cognitio, in eximia parte vera sapientia statuenda est: si sit ea ad deum ascendere volenti tanquam gradus, non autem ad mundi fastum, praemiaque conuersa. Neque ego arbitror, quod audacter confirmare possim, quenquam in sacris literis, aut vlla denique, in arte scientiae satis vnquam instructum & eruditum fore, cui ignorata philosophia fuerit. Ad quae ego te adhortari pro coniunctissima nostra necessitudine non desino: vt quae te in adoleſcētia tua aluit & produxit, eadem prouectiore quoque, aetate ornent & comitetur: tuque artis praestantissima & optima, cuius adminiculo & viribus theologia est innixa, vberiores inde fructus feras. Vale & nos dilige. Carpentoracti, III. Nonas Aprilis, M. D. XXXIII.

IAC. S ADOL. EPISC. CARP.

Federico Fregosio Archiepiscopo
Salerni, S. P. D.

IN extremis literis tuis, quas abs te Nonis Iulij datas, ego tertio Idus Nouem. accepi, ratio à te reddita est, quare epistola tua sit longior, teque, velut excusando exponis, non potuisse propter rerum copiam, & huius in scribendo muneris inexperientiam, (sic enim loqueris) breuius & contractius scribere. Quod ego quae in partem proferas, constituere adhuc non possum. Etenim si mea id causa dicis, quod vere are, ne quid tuarum longitudo literarum offensionis mihi aut molestiae afferat: arbitror fieri à te nonnullam & mihi, & mutuae nostrae
coniun-

coniunctioni iniuriam, si putas me offendi posse tuis literis: aut si suspicari de me in animum inducis, quicquā mihi accidere abs te posse, quod non sit mihi omni cum latitia ac suauitate, & expectatum, & gratum. Imò verò tu, si quando breuiter scripturus sis, ad id tibi potius excusationem comparato: quasi inuideas mihi eximiam partē meae voluptatis, cui iucundissima sunt scripta tua, eadem quā longissima. Etenim cum te ipso carere mihi necesse sit, tuamquā, optatissimam, & mihi certē spectatissimā uirtutem, prudentiam, humanitatēquē quotidie requirere in mentem veniat: quid magis solatio potest esse, & leuamēto, quam in tuis literis, in tuis sermonibus, scriptis, quando uiua voce frui non licet, in tui memoria & cogitatione acquiescere? Quae tunc me maximum in modū delectat, cū aliquid de te, vel abs te, recens ad me allatum ut audio, aut lego. Sin autem illud ipsum, scribere diffusè, & abundanter, tibi ipse fortasse graue, odiosumquē est, plusquē in eo, quā multū scribis, laboris, quā ad me scribis, inest uoluptatis: equū dē tuo imprimis cōmodo esse consultū uolo. Sed tamen scito tua ista sententia (si modo ea tua est) nil mihi accidere posse incōmodius. Sed nequē, ut hoc tu ita sentias, persuaderi mihi potest: & ego initiū tuarū literarum sepenumero degustans, in quo suauissimè atquē amicissimè, tanquā deplorans disunctionē nostrā, & quotidiana nos mecū congressus expetens, scribis, postquā id nobis ereptum est, ut iā nequeamus esse unā, daturum te operam, ut sacris de rebus ac questionibus litera inter nos, et percunctationes nō conquiescant: cū facillè adducor

vt credam, te quoq₃ ad me libenter scribere: tū id certē
 tibi de me polliceor, & in scribendo ad te, & in tuas
 legendo, nullam à me percipi voluptatem, quæ quidem
 mihi maior esse videatur. Sed de his satis. Neq₃ enim du-
 bito, quin tu in amicitia nostra pari mihi & fide, et vo-
 luntate respondeas. Quod molestiam meam (sic enim
 appellas) tibi probatam esse dicis: gaudeo maiorem in
 modum, si quid fortasse imprudentius scriptū à me fu-
 it, id à te in bonam partē accipit: plusq₃ in hoc multo æ-
 quitati & humanitati tuæ, quā meæ modestiæ et mode-
 rationi tribuendū est. Ego enim omnino scripsi incōsi-
 deratius: visusq₃ sum præ me ferre (à quo certē abesse
 longè cupio) iactantiā quandā verborū, & animi leui-
 tatem. Neutrū horum quidē ex ingenio meo: sed tamē
 nescio quo pacto mihi illud excidit, cuius me quotidie
 magis pœniteret (etenim magis indies ac magis diffi-
 cultate suscepti oneris ac muneris retardor) nisi in eū
 hominem incidissem, qui cum summo & singulari iudi-
 cio, summam quoq₃ æquitatem & clementiam natura
 habet coniunctam. Quapropter si me amas, quantum
 profectō amas, aut illa de literis meis verba tollito: aut
 ipsas potius concerpito literas: ne apud alios non tam
 æquos homines, neq₃ tam amantes mei, meum mihi de
 decori erratum sit. De fide & Operibus, nec tuam sa-
 tis perspicere quivi sententiam, nec meam tibi paucis
 perscribere audeo, etsi eram tum, cum has literas dabā,
 in eo ipso loco & parte operis mei, in qua de Operib.
 legis agitur, recognoscenda, occupatus. Itaq₃ in id tem-
 pus hæc tantæ quæstionis disceptatio reijcietur, cum
 absolu-

absoluto libro, aut illum integrum, aut saltem particulam istam excerptam ex eo ad te mittam. Responsiones meas tibi probari lator: etsi id te magis confirmandi mei causa, quàm quòd tua illa approbatione digna sint, ita sentire puto. Certè quod prouidebam & expectabam, potuisses tu me in maximas difficultates conijcere: si quà sinum Abrahae regnum intelligi caelorum dixi, illud apposuisses, quaerendo & percunctando, num ante aduentum & mysterium Christi quisquam omnino homo in caelorum regnum introire potuisset. Scis enim his de rebus, quae sit, & quanta contentio. Tertium autem caelum sedem esse summi & prepotentis Dei, coniectura etiam magis, quàm cognitione certa suscipimus. Nam quòd ad omnia tu paratas velis scripturae esse sententias & auctoritates, sit id copia & intelligentiae tuae: nos enim in toto isto genere ieiuniores sumus.

Quòd Hebraicae linguae tantum tribuendum putas, ego etsi in alia solitus sum esse sententia, non quòd linguam illam vnquam improbarim, sed quòd Graecis semper magis fui deditus: tamen cum tantum tuum iudicium sit facile tibi assentior, rem ita se habere, ut tu dicis: hoc etiam magis, quòd tu vtriusque linguae egregie peritus et prudens, summam dyjudicandi facultatem habere potes. mea quidem pigritia huiusmodi est, ut eo quod habeam, quamuis pusillo & tenui, cogar esse contentus: neque ad maiora illa aggredienda, aut animus mihi, aut vires suppetant. Quamobrem tu & tuam vicem, & meam, si in his elaboraueris, quae tantopere nostrae religioni conducere existimas: mihi nil deperibit. Nam & utili

H tate

tate eadem tecum perfruar, & tuam gloriam (si modò est spectanda in hisce rebus vlla gloria) mihi quoq; tecum statuam esse communem. In tali enim amicitia et coniunctione, cuiusmodi nostra est, nihil viriq; nostrum ab altero seiunctum potest esse. Deo Cherubin neque ego inficiatus sum duo testamenta rectè posse & ἄκρογῶν, & tamen ratio illa veritatis, quam in ambobus eundè gradum tenere vis, aliquantum mihi diuersa videtur. Nam & vmbra verè sunt vmbra, & corpus verè corpus: interest tamen non parum inter vmbrearum & corporis veritatem: vtrunq; enim aequaliter verum est, sed non aequale verum. Sic & cælum scabellum pedum Dei, etsi de eo aequè verè cælum esse id dicimus, atq; Deum esse: longo tamè differt veritatis interuallo à scabello suorum pedum Deus. Verùm hac subtilioribus istis disceptatoribus relinquenda sunt. De arcana illa Hebræorum diuinaq; sciētia, quoniam nihil cognitum habeo, ne habeo quidem quicquā quod dicam: meam omnem sententiam ad tuum de illa iudicium accommodo. Quod mihi de ea submouerat aliquam suspicionem, & tibi ingenuè prolocutus sum: et tu scelus ac culpam nullorum in eo genere cōiūctis insectatus es. Mihi, his dimissis, illud potissimum cura est, vt in Euagelijis & Paulo abstrusos & reconditos indagē sensus. Vt or aut interpretibus nullis accuratius, quàm his autoribus ipsi, qui illa scripta diuinitus ediderunt, vt e fontib. magis, quàm ex riuis hauriam. Itaq; locum illum de Duob. gladijs in Luca meo quoq; sensu interpretatus: rectè, an secus, vt tu queas dijudicare, misi ad te exemplū me. e
luc-

lucubrationis, quam leges cum tibi erit otium. Quin & illud, quod pene fueram oblitus, scito datum mihi negotium à Pontifice Maximo, quem nos visum et salutatum Masiliam accessimus, ut totum illum sermonem interpreter, qui est à Christo habitus cum Nicodemo, cap. III. Ioannis, si ritè recordor: in quo de Spiritu spirante vbi velit, & quanquam uox eius audiatur, ignorato tamen unde veniat, aut quo vadat, obscura admodum & perdifficilis est narratio, tantis doctissimorum dissensionib. ut mihi videatur fieri posse implicatis. Itè et alter locus in extremo Euangelio mihi exponendus est, quo Christus Magdalenam ipsum agnoscentem prohibet ab amplexu. Noli me tangere, inquit: nondum enim ad patrem ascendi meum. In his duobus locis explanadis si quid tu mihi afferes subsidij, atq; opis, ac laborantem tuo praestante ingenio subleuabis: erit causa, cur hunc laborem mihi fuisse optandum putè. Quod obsecro te quidem ut facias, reque inspecta accuratè & diligenter participem citò me facias & sensus & iudicij omnis tui. Quid aliud tibi scribam? quid? illud nimirum, mihi esse molestissimum, quòd vsq; eo tarde coment inter nos litera, quippe cum recentes haec tuae quatuor menses ipsos in via morata sint: quòd si idem euenturum est in meas, qua spes est, nos posse hac incundissima, & mihi multum exoptata consuetudine scribè inter nos, curasq; comunicandi, perfrui? Quare si Lugdunū scripseris ad tuos ut studeant esse diligentiores, & illos credo expergesceris, & mihi feceris gratissimum. Vale, Carpent. Idibus Nouemb. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETUS EPISC. CAR-
pent. Federico Fregosio Archiepif-
cupo Salerni. S. P. D.

Accepi literas tuas, quas Bachij puer ad me attulit,
à quo cum percurrētatus essem de te ea quæ volebā,
atque is mihi omnia lata respondisset: alacriore ani-
mo conuersus sum ad lectionem literarum: in quibus
recognoui animum tuū pristinum erga me, & plenam
beneuolentia, atq; humanitatis voluntatem: qua nihil
mihi accidere solet optatius. Hortensium meum valde
tibi placuisse sanè gaudeo. cum enim iudicium tuum fa-
ciam tanti, quāti certè facio, tum verò homini amicissi-
mo, omniumq; grauissimo, probari labores meos maxi-
mum certè mihi fructum voluptatis & lætitiæ affert.
Siquidem ea quæ agimus, ab optimo quoque maximè
probari cupimus. Et sanè in hoc genere literarum nūc
studiosius versor: philosophiæq; magis inhereo quàm
antea. Recordor enim prudentissimum cōsiliū tuum,
quod quibusdam ad Paulum literis mihi dās: Videndū
nobis esse, qui sacras literas tractamus, quem admodum
eas in publicum proferamus: quòd tantum sit hominū
fastidium in hoc tempore, vt difficillimè reperiatur q̄
placere possit. Illarum verò tractatio etsi non hoc con-
silio à me erat suscepta, hominib. vt placere, sed quod-
dam mihi officium iustū ac debitum suscipi videbatur:
vt quoniam videbar mihi nōnullas Pauli sentētias pla-
nius & diligentius declarasse, industria et vigiliarum
mearum fructum cōmunicarem cum alijs. Tamè cum
videam rem secus euenire, quàm putarem: neq; reli-
gio-

gionis, & pietatis studium, quod ego maximè spectaram, sed lites, & disidia potius serui: abstinendum hoc quidem tempore opinor ab hac ratione scribendi, & ad philosophiam omnem operam conferendum. Quod sane ego facio: iamq; habeo mihi duo argumenta proposita, ad qua, cetas cū defluerit, magno animo sum aggressurus. In quibus etiam religionis semina & inuita menta quaedam ita aspergam, vt appareat nos Christianos esse, ceterisq; consultum in optima ratione agēde vite cupere. Effugiemus enim hoc modo calūnias obtrectantium, quorum argumenta atq; scripta si veram pietatem redolerent, animosq; hominum ad amorem Dei accenderēt: aut si deniq; ipsimet ea, qua tanto strepitu spiritusq; prouoluunt, mente atq; intelligentia ita conciperent, vt scirent planè quid loquerentur: essent eorum reprehensiones & monita cum summo honore à nobis accipienda, Sed quo animo ipsi contendunt, nouit Deus: quàm verò scienter agant, ac peritè nos quoque possumus aliqua ex parte iudicare. Verùm his omissis, de Hortēstio tibi respondeo, nullam n̄ tibi esse causam editionis festinanda: cum & multorum sententias ex Italia expectem, imprimisq; Bembi nostri, & ipse etiam accuratius librum suū retractaturus. Magnā enim rem, vt illa est, maiore fortasse animo à nobis susceptam, quàm consilio, volumus etiam atq; etiam considerare. Quod quādo facturi simus, nondum habemus exploratum: & tamen cū nobis constitutum id fuerit, certorem faciemus. De concilio verò scribitur ad me ex vrbe, rem decretam esse: ad annumq; nos Man-

tuam conuenturos: quò veniam equidem, neq₃ pro mea parte huic officio deero: et si maximo meo cum incommodo hinc summe commoturus. Veruntamen impius, atq₃ ingratus erga omnipotentem Deum essem, cui in corde meo purè seruire cupio, nisi meas eius officij partes susciperem. Vtinã modo agatur aliquid spiritu sancto dignum: nos quidem operam pro nostra exiguitate eam præstabimus, quam nobis præscripserit, & inspirauerit Deus. Quòd verò ibidem te visurum me confido, magnum erit id solatium meorum incommodorum. Itaq₃ iam nunc tecum ago. vt tu, qui propius abes ab illis locis, futurusq₃ es ad omnia expeditior, si tibi videatur, des operã, quò vicinitate coninneti esse possimus: maximeq₃ vt liberorum ad rem pertinentium copiã habeamus: quò communi ambo & studio, & voluntate, quantum in nobis erit, consulamus Christiana reip. Ac de his quoq₃ satis. Paulus te & veneratur & obseruat, idq₃ optimo iure facit. Is mihi adiutor in hac regenda ecclesia & successor datus est à Clemente VII. Pont. Max. eiusq₃ rei diploma habemus Massiliae confectum, nobisq₃ perliberaliter, & sine pretio vllò traditum, q₃ te scire volui. Auere enim videbare in tuis literis id cognoscere. Vale. VI. Calend. Iunij, M. D. XXXVI.

FEDERICVS FREGOSIVS AR-
chiepisc. Salerni, Iacobo Sadoletto E-
pisc. Carpentor. S. P. D.

QVARI velle mutua tibi amicitia nostra officia ex
meis studijs prestare posse: & te quã simillimo
munere remunerari. Sed quãdo pares tibi referre gra

tias minimè possumus, eò maiores habebimus. ¹ Quapropter hunc ad te ex nostris contubernalibus nuntiū deslinaui, vt esset cui tutò, ac sine viriusq; nostrum solitudine liber tuus committeretur, & ad nos quā celerimè perferretur. Mira enim auiditate teneor tuorum scriptorū, dum ea non lego, & dum lego voluptate. Gratū tamen mihi admodum fecisses, si superioribus tuis literis libri argumētum significasses. Sed hoc te puto facere voluisse, vt vna tantum, sed ea maiore letitia perfunderemur. Tua autem prudentia erit sic librum inuolucris, & operimentis munire, vt à pluuiarum iniuria integer atq; incolumis nobis reddi possit. Eum cū perlegero, sententiā de eo meā, atq; iudiciū diligēter perscribā: vt ex me cognoscere possis, quā in tua scripta atq; in te ipsum iniquus sis iudex. Nemo enim est (mibi crede) à quo ea probari malle debeas, quā à te ipso: nec grauius iudicium ad ea examināda afferi potest, quā quo in scribendo fuerint meditata. Scripserā ego quoq; his diebus meditationes quasdā in duos Psalmos quā breuissimos, in CXXX. et CXLV. feruenti sanè animi affectu, sed frigido atq; inertī stylo: meo scilicet: quas ad te olim misissem, nisi & eadem librarium penuria ac tu, hīc laborarem. Et (vt verum fatear) acrimoniam ingenij atque iudicij tui subuerius essem, ne tu ab alijs exigeres, quod prestare solus potes. Illudq; veniebat in mētem, huic quid mihi cū tam severo iudice, qui cū sua scripta ceteris probentur omnibus ac permagni aestimantur, solus ipse non probat ac reijcit. Sed si auiorem fore te in me iudicem,

quàm in te ipsum sis, pollicitus fueris, fortasse mittam,
 & aliqua ratione eas describendas curabo: ea etiam cō
 ditione addita, vt nulli omnino eas legendas concedas,
 nisi planè intimus amicus tuus sit, ac propè domesticus:
 ne antequam adhortationibus tuis de atterendis Tullia
 nis codicibus obtemperare cœpero, inertia ac tardita
 tis infamiam subeam. Nisi eas tamen Ludouico Baiu
 censi, episcopo, cuius iudicium non aded reformido. In
 quibus eum vrinam affectum deprehendere posses, quo
 scripta fuerunt: minus enim essent inepta: attamen a
 liquantulam in sacris literis exercitationem agnosces.
 Sed de his nimis multa. Profectionem meam in Italiam
 ex primo vere in vltimam aetatem reieci. Quid etiam
 tunc facturus sim, mihi nondum planè compertum est,
 ita omnia mea consilia incerta atq; implicata reddide
 re ea calamitates, quæ ex Italia nūtiāmur. Quicquid
 autem statuero, quam primū vt scias curabo. Illo enim
 suauū amicorum nostrorum conuictu atq; consuetudi
 ne ex qua summam voluptatem percipere solebā, vix
 tam diu careo, vitamq; meam eo nomine acerbissimam
 puto. Hic verò nouos parare, qui loco illorum substi
 tuti possint, quos vel mores eripuit, vel fortuna disun
 xit, mihi sanè est impossibile, his præsertim temporib.
 his regionibus, his moribus. Fac vt valeas: & amicitia
 nostram, vt literis mandas, ita etiam memoria con
 serues. Paulo verò nostro multam salutem. Diuione,
 pridie Non. Februarij.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Ioan. Matthæo Giberto, Episc. Veronæ

S. P. D.

Iam

Iam diu est, cum ego ad te nihil literarum dedi, quod accidit non oblivione tui mea, neq; pigritia, aut negligentia nostra: sed quod ipse meis occupationibus impeditus, dubitans de tuis, veritus sum ne mea sedulitas forsit an tibi molesta esset, si te à grauioribus & sanctioribus curis inanimum lectione literarum auocasset. Et si inanes nunquam epistola esse solent, quæ ut aliud nihil afferant, testes tamen sunt amoris, & conseruata optime voluntatis. Verum hoc testimonium neq; (ut ego arbitror) tu à me desideras: neq; ego abs te requiro. satis enim nostra vetus constansq; amicitia testimonij vtriq; nostrum prabet, esse nos inter nos quales esse debemus: amicissimo animo videlicet, & constantissima voluntate cõiunctos. Ego hys proximis mensib; audiuit, impressos esse tua impensa, et opera, optimos autores Græcos: quorum in sacris literis interpretandis egregia doctrina est & autoritas, quo nuntio valde sane letatus sum, animumq; tuum pristinum recognoui propensum ad bene merendum de artibus optimis. Quarum tuam princeps ista est, quæ ad Deum, et ad veram felicitatem est directa. Hoc si ita sit, quod ego confido esse, fretus tua animi præstantia et liberalitate, peto à te, ut me certio rem facias: ut, siue sit perfectum negotium, ipsis voluminibus & libris, siue in eo ut perficiatur, spe propinqui commodi oblectare possim. Nos hic commentarios in Epistolam ad Romanos scribimus: opusq; difficile & arduum ita tractamus, ut in eo præcipue laboremus, quo extare possit tibi, quod iam pridem sumus polliciti: obscuras ancipitesq; sententias in ea epistola per-

multas nostra cura & diligentia dilucidiores fore. Magno in eam rem animo incumbimus: maiore etiam labore. Sed neque animus noster, neque labor, sine Dei ope quicquam potest. Ad eum igitur confugiendum est, omnisque verioris scientia illuminatio ab eo vno poscenda, ac flagitanda. De cetero, sat recte nos valemus, tamen si ingrauescente iam aetate appropinquantis senectutis incommoda incipimus presentiscere. Sed illa feremus forti animo. Tua mihi cura est valetudo, quam cupio prosperam atque bonam tibi perpetuo esse. Et quanquam dixi paulo ante a neutro nostrum debere desiderari mutuum amoris & benevolentiae testimoniū, quod illud utriusque nostrum de altero exploratum est: tamen si quandoque ad me scripseris, de qua tua erga me voluntate certiore me feceris, nunquam non maximam capiam ex tuis literis voluptatem. Hoc si tibi erit difficile ipsi, poteris idem per tuos. Omnis enim de te significatio, & de statu tuo atque incolumitate, de qua recordatione nostra necessitudinis, semper mihi gratissima, atque optatissima futura est. Vale, & nos dilige.

Carpentora acti, VI. Calend. Nouembr. M. D. XXXI.

IAC. SADOLETUS EPISC.

Carp. Ioan. Mathæo Giberto. Episc.

Veronæ S. P. D.

Libros tuos accepi vna cum literis: quorum utrumque fuerit mihi gratius, constituere satis non possum. Nam & literæ tuæ benevolentiam, qua me complecteris, mihi declararunt: et libri virtutem animi tui, illam ipsam pristinam, quam ego antea in te cognoui: per quam tu
ad

ad illustrandas, & in honorem prouehendas optimas
 arteis semper fuisti propensus. Ac reliqua quidem duo
 volumina Damasceni et Enthymij mihi grata, illud ve-
 rò in Pauli Epistolae Chrysostomi peroptatū etiā fuit.
 Quid enim mihi accidere potuit optatius, & rationi-
 bus meis magis accommodatum, quam cū in eadem me
 exerceā palastra, in qua tantus vir tantopere insuda-
 uit, habere me eum & monitorē, & magistrum, cuius
 doctrina & autoritatis neminē possit pœnitere? Quā
 cū in omnibus operib. suis, quae multa sunt, vel penē
 dicā innumerabilia, & fluens semper sit, & dulcis, &
 sine labore cultus, sine deliciarū suspitione nitidus: tum
 verò in hoc opere ad ea ornamenta orationis, quae di-
 xi, nescio quid plus grauitatis addidisse mihi visus est.
 Cui ego palmā in intelligendis, ac enucleandis scriptu-
 ris sanctis, sine vlla dubitatione tribuo. Proximus huic
 mea sententia Augustinus: non ille quidem ingenio mi-
 nor, nec ad scrutandum atq; ad exponendū minus dili-
 gens. Sed Graecae linguae ignorantio, qua imperfecta Au-
 gustinus utebatur, vim in eo maximi ingenij, tāquam
 virgultis & vepribus impeditam aliquoties detinuit.
 Habeo igitur tibi, atq; ago, pro isto tuo munere, & ani-
 mo erga me, maximas gratias. In quo enim me hortaris
 vt in hac praecleara studia incumbam, benevolentiam
 tuam mihi ostendis, in quo vero opitulare, etiam libe-
 ralitatem. Ego verò magno animo operam do, vt quod
 opus inchoaueram, id ad exitum perducatur. Sed totis
 hic quatuor mensibus valetudine aduersa à scribendo
 fui retardatus, nunc valetudine recuperata, non comit
 tam

tam vt vllum mihi tēpus vacuum à literis prætereat. Quòd te multa deterreāt, quò minus susceptam istā p uinciam optimorum autorum in lucem edendorum sustinere posse confidas : ego rē totam tuo iudicio examinandam relinquo. Illud tamē confirmo, nihil fieri posse præclarius, neq₃ tuo nomini honorificētius. Meas epistolas tibi semp₃ gratas accidere lator: dabog₃ operā post hac, vt & ad te sapius, & liberiore animo scribā. Vale, et nos dilige. Carpent. III. Nonas Maij. M. D. XXXI.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpent. Ioan. Matthæo Giberto,

Episc. Veronæ S. P. D.

Reginaldus Polus ea vritute, nobilitate, et doctrina vir qua tu optimè nosti, cū reuertetetur in Italiā, pristinas (vt ego sentio) consuetudines doctorum hominum, & tuum imprimis cōspectum appetens, ad me diuertit: ostēditq₃ mihi eas literas, quas tu ad illum sanè quā amicè, eleganterq₃ scripseras. In quibus erat quoq₃ mentio mei & honorifica, & multa. quæ cū iudicium tuum de me, tum multum magis studium beneuolentiāq₃ declararet. Ego verò, & si subito penè ad uentum illius, ac festinatione discedendi occupatus, nec temporis satis ad scribendum, nec animi habere poteram: tamen putauit esse nefas, illum ad te sine meis literis accedere. Itaq₃ has continuò exaravi: nō tam vt gratias tibi agerem, quòd me assiduè in memoria haberes, (etsi ille quoq₃ iure optimo tibi à me debentur) quā vt indicarem tibi, summam me ex illis ipsis literis tuis cepisse voluptatem, q₃ me abs te intelligam amari. Quāquam

quàm hoc quidem minimè nouum mihi accidit, sed eius
 tum semper iucunda est commemoratio. In quo te arbi-
 tror existimare, me non posteriores in te amādo ferre
 partes. Verùm harum rerum affirmatio iam toties ite-
 rata inter nos, minus fortasse in hoc tempore necessa-
 ria est. Illud quod te magis auere scire puto, quib. ego
 nunc in studijs verser videlicet, quid mihi habeam pro
 positū, ipse Reginaldus tibi exponere poterit, qui exi-
 guum hoc tempus, quod mecum fuit, totum posuit in
 inquirendo, percontando, quæ mea studendi, aut scribē-
 di ratio, qui animus, quod consilium esset. Cui ego pla-
 nè omnium mearum actionū cogitationumq̄, rationem
 reddidi. Sed quod mihi in eo magnæ voluptati fuit, vi-
 deor cognosse in illo, cū summm ingeniū, & excel-
 lentem in Græcis Latinisq̄, scientiā: tum verò summā
 in moribus & congressu, elegantiam, atq̄, humanita-
 tem. Quem hoc etiam nomine pluris facio, quod intel-
 lexi te ab eo incredibiliter amari: vsq̄, eò ille de te, &
 de tuis rebus omnibus & amanter, & honorificè sem-
 per loquitur. Eum igitur habebis tu scilicet, nosq̄, in
 desiderio manebimus & ipsius, & tui, & aliorum mul-
 torum: quorum familiaritas, & amicitia, mihi et orna-
 mento erat, & solatio. Sed hoc feremus, vt poterimus.
 Illud tibi de nobis psuasum esse volumus, viuere apud
 nos perpetuè & memoriam & beneuolentiā tui, deq̄,
 tua mutua erga nos voluntate nobis vicissim explora-
 tum esse. Tu vt studia ea vrgeas, quæ præclara & exi-
 mia maximo animo es aggressus, valetudiniq̄, seruias
 valde te & hortor, & rogo. nihil est quod maius, aut
 accom-

accommodatius ad beatam vitam facere possis. Vale.
 III. Nonas Septemb. M. D. XXXII.

IAC. SADO LETVS EPISC. CAR-
 pent. Egidio Cardinali. S. P. D.

SI quantum ex tuis literis accepi voluptatis, tantum
 ipse meis literis exprimere posse considerem : nihil
 aliud agerē profectò hoc tēpore, quàm tibi miram quā
 dam ex eis animi mei letitiam, iucunditatemq₃ perscri-
 berem, per quam intelligeres, laboris tui fructum egre-
 giè tibi constituisse, cum amicissimo tuo, eidemq₃ tibi de-
 ditissimo, & vtilitatis tantum, & delectationis attu-
 lisses. Sed quoniam eo onere me oppressum iri planè
 video, si suscipere nitar, quod perferre non queam, i-
 gnoscas mihi, si ne conabor quidem id aggredi, quod
 perficere posse desperem. Illud tantum scito, tuis mihi
 literis nihil accidere potuisse optatius: nec solum ex ea
 parte, qua ad ea qua quasiueram & doctissimè simul,
 & humanissimè respondes : sed etiam ex eo, quod vi-
 dere videor in illis omnem expressam imaginem amo-
 ris erga me tui: tanta in illis suauitas, tantum studium
 satisfaciendi mihi : tantus & verborum, qua ad eam
 rem faciant, & optimarum electissimarumq₃ senten-
 tiarum inest lepos. Itaq₃ intelligo nunc quidem, atque
 experior, meū de tua præstanti eximiaq₃ virtute, sapi-
 entia, bonitate, verissimū semper certissimumq₃ fuisse
 iudiciū. Nec quodd anteā vnquam dubitarim, sed quia
 eas, res, euentus, quoridie id magis cōprobat. Nam si à
 mediocri viro, et mediocri dignitate prædito, hæc ami-
 citia officia præstaretur, laudandus ille vtiq₃ quicun-
 que

que esset, & in paucorum numero reponendus: rem enim vulgò haud ita multū vsitatam in se ipso ostenderet. Ab homine verò amplissimo, & omnibus ingenij, eloquentia, honorisq; ornamentis cumulatifimo, retineri hæc officia fidelis amicitia, & in absentem amicū nil benevolentia humanitatisq; prætermitti, hoc est mi Egidi vir maxime atq; ornatissime, q; in te habet laudis admirationem, non cum aliorum laudibus comparandam. Quantum enim te ex æquas inferioribus amicis mansuetudine, beneuolētia, familiaritate, tantū altitudinem animi tui, virtutis gloria exaggeras. Sed hæc hæctenus, sunt enim maioribus theatris proposita. Quod ad ea attinet, de quibus te consulueram, satis omnino abs te mihi est factum, doleo tamen te tua in eo genere scripta desiderare: quorum venustatem & elegantiam vel ex hoc conijcere possumus cuiusmodi fuerit, quòd illa barbaris idonea visa sunt quæ disjcerentur. Illud & optarim scire, postquam adsciscunt Moysis libros. Maumethani num & Prophetas suscipiant, multamq; in veteri legi aspersam esse existiment futurarum rerum prædictionem: & an ipsi quoq; Messiam aliquem expectent. Nam vsū quidem vini cur inter dixerunt, cum tantū vxoribus compluribus ducendis, pellicibusq; habendis, libidini ab illis sit tributum? Sed modo hæc vera sunt, de quibus cupio à te fieri certior. Ego, si mihi optata Deus conceperit, efficiam profectò, vt ne te pæniteat aliquantum hoc laboris mea causa cepisse. Sin aut (vt humana sunt) mea spes me fortè frustrata fuerit, tu tamen virtutis tuae et officij fru-

Etiam

Etū tecū auferes. Certè quod in obseruantia, omniq; amore, & meritorū tuorū memoria, prestari à me tibi, nomini, laudi, honoriq; tuo vsquam poterit, largè enim nero id & prolixè præsabitur. Vale. Carpentoracti.

IAC. SADO LETVS EPISC.

Carp. Ioan. Francisco Pico, Mirandulæ Comiti, S. P. D.

Summa voluptate affecerūt me litera tue, recognoui enim in illis tuam prislinam virtutem coniunctā singulari erga me beneuolentia: quarum alteram semper in te colui, atq; admiratus sum: altera cū me antea delectauit, tum verò precipuè in hoc tempore delectat. quo ego absens liquidius possum de vniuscuiusq; studio atq; amore erga me, & de amicitia fide iudicare. Quam quod in te egregiam esse conspicio, & ceterarum similem virtutum: tumq; tu is vir sis, vt tuū de quoquo homine iudiciū maximo illi ornamento sit què diligas; merito sit à me, vt ego omnium rerum charissimum habeam hoc testimonium tue erga me volūtatis. Quamobrem scito (iterandum est enim) nihil mihi potuisse accidere literis tuis optatius. Quòd autem scribis perhumanè atq; amanter, te non parum mea tui memoria letari: eosq; reprehendis, qui tanquā expertes omnium humani sensus, his amicorum beneuolentias signis atq; iudicijs nō moueantur: facis iure tu quidem. Quid enim magis est hominis, quā amare velle, atq; amari? Aut qui omnino fructus communis vitæ est dulcior, q̄ conuictus & consuetudo cū presentibus amicis, inter absentes mutua recordatio? Sed ego memoriam tui, ne

ſi velim quidem, dimittere vllō modo poſſum. Nō enim leuiter fuit impreſſa: nec tu is es, in quo quid non inſigne ſit ad recordandum. Sed cum & velle obliuiſci amici ſit neſas: & tu inaudito quodam, & ſingulari genere virtutis communem laudem & vſit atam multum antea ceſſeris: non in memoria ſolum noſtra, ſed in ore & oculis, & in intimis ſenſibus aſiduus heres. Cupe-rem nunc hic cōmemorare, quæ res me impulerunt in admirationem tui, & quam grauibus de cauſis ſim tibi deditus. Sed quoniam tu homo ſanctus & ſeuerus hæc ipſa contēnis, moderabor ipſe mihi, nec tibi oneri ero. Tantum dicam, hæc noſtra et atē, his hominum morib. adhuc nuſquā vidiffe me in eijs qui populis & cōtib. hominum cum imperio præſunt, vim cum iure, poteſtatem cum modeſtia, religionem cum armis, ſummam rerum atq; artium optimarum ſcientiam cum gubernandi labore atq; cura, niſi in te vno eſſe coniunctā: vt qui te ſemel nouerit, idē ſi fiat poſtea tui immemor, facile etiam probare poſſit, eſſe ſe oblitum ſui. Verum pauca hæc hæctenus, quæ tamen vereor, ne tibi nimium multa eſſe videantur. De cōmentario meo incredibiliter gaudeo, & operam & ſtudiū meū tibi probari. Quapropter ego, eſi ſponte mea ſatis in id ſtudiū animatus, tua tamen cohortatione, & monitiſ factus ardentior, enitar poſthac, vt plura præſtare poſſim. In quā eueſtigio curam & cogitationem incūberem, ni haberem in manib. veteres quaſdā lucubratiūculas meas, quas perſicere cōſtitui, ne omnis antea cta vita labor intereat. His quidē abſolutis, quod breui fore cōfido, omnis mihi

opera in sacris & rebus, & literis insumetur, Deus modo propitius sit, conabor efficere aliquid, quod si nō propter doctrinam, quā in me perexigua est, neq; propter vitā & morum sanctitate, à qua ego longissimè absum: at propter amorem & studium Christianæ religionis quo ego sum maiorē in modum incensus, afferre nonnihil luminis ad cōmunem vitā & utilitatis pos sit. Sed hæc Deus direxerit, is qui omnia vnus potest. Ego te mihi charissime, ac doctissime Pice, & amo colloq; tantū scilicet, quantū cū mea fides, tum tua exi mia virtus postulat, et me abs te amari vehemēter gau deo. Habeoq; Gregorio Lilio nostro gratiā, qui occasio nē hāc prabuerit, & tibi vt scriberes ad me, et mihi tibi rescribendi. Quē quodd foves & sustentas in eius af flictiis rebus, facis quidem quod te decet: neq; ego habeo exemplū aliud quid deceat, quā te ipsum præstantius. Sed et mihi facis gratissimū, qui illum nō mediocriter diligo. Erit igitur hoc quoq; in numero tuorū optimè sanctissimeq; factorum. Paulus meus, & idem tuus (te enim semper ferè habet in ore) mirificè literis bonis de ditus est: quas etiā sequuntur mores boni. Itaq; tantos progressus facit, vt mihi ipsi magistro iudicium eius in meis scriptis, nō modo exquirendū, verū etiā extimescendū esse videatur. Eum ego confido (Deus ita conata adiuuet) & meæ, & vestrum, qui illū amatis, expecta tioni cumulatè satisfacturū esse atq; in eam partē ma xime, quā tu pice rectè probas. Is tibi refert plurimam salutem. Vale, & nos dilige. Ex suburbano nostro Car pentoracti, IX. Calend. August. M. D. XXX.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-

L A R V M LIBER IIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CAR-
pent. D. Erasmo Roterot. S. P. D.

Nnus est, aut eo plus, cum binas
abs te literas accepi eodem ex-
emplo: quarum quae posterius scri-
ptae erant, cum priores mihi red-
ditae fuissent, esset autem in illis
tua de mea incolumitate, & op-
portuno ad meam ecclesiam receptu, gratulatio plena
amicissima voluntatis: recordor me tum, ut nosler a-
mor ferebat, diligenter tibi rescripsisse. Post mihi al-
lata sunt altera vna cum Psalmo LXXXV. & tua
eius interpretatione: cuius ego lectione fui mirifice de-
lectatus, tuamque illam admirabilem ingenij vim, et co-
piam, in eo etiam recognoui. Sed quo minus tibi de eo
tum aliquid sciberem, fecit occupatio, & par quidem
meus labor: quem ego in interpretando Psalmo XCIII
paulo ante susceperam. Sed ne utiquam par tuae facul-
tas neque, aqua ingenij ac doctrina vis, per quam cele-
riter opus a me institutum absoluerem. Sum enim in hunc
vsque diem, ut vides, retardatus. Sed postquam tandem
confecissem, nihil habui antiquius quam hoc quicquid
esset quod elucubraveram, continuo ad te mittere: χαλκ
κεορ & υτι χερσιν videlicet. Sed tamen siue tibi id
probaretur, ut singularem animi voluptatem ex homi-

nis omnium doctissimi ac mihi beneuolentis iudicio ca-
 perem, siue non probaretur, praeceptis tuis atq; doctri-
 na in posterum melior fierem. Quorū vtrum malim,
 & vtrum mihi vtilius sit, non queo satis constituere.
 Approbato forsitan incundior sit, quae sit ab amico fi-
 deli eruditoq; profecta: emendatio certè vtilior. Itaq;
 te vehementer oro, atq; rogo, vt si quid duxeris repre-
 hendendum, aut quoniam erunt opinor multa, quae tibi
 homini acutissimo minus placebunt, ne parcas agere
 mecū ingenuè ac liberè: fidemq; amicitiae, quam per san-
 ctè colī à te non dubito, in hac re mihi potissimum prae-
 stes: hocq; sic statuas, tuum mihi iudicium in vtramuis
 partem gratum atq; expectatum fore. Ego de tuo Psal-
 mo, ac de ceteris, quae in hoc genere plura, praeclearaq;
 edidisti, & quotidie edis, cum ingenium, & copiam, &
 facilitatē tuam mirari soleo: tum animi virtutē, atq;
 constantiam: quod plurimis aemulis tua laudi obrectā-
 tibus, ab insituto labore minimè deterraris: studesq;
 quotidie magis, vt bonis & literis, & moribus per te
 consulatur: in quo tua scientia et egregia voluntas ma-
 ximis mihi videtur laudib. ad caelum extollenda. Vnū
 est quod optarim, (quid enim me prohibet idem offi-
 cium amici praestare tibi, quod ego abs te requiro?) v-
 num est, inquam, quod velim, idq; tibi vehementer sua-
 deā, vt à contentionibus omnibus te auoces: & aliqua
 in scribendo praetermittas, quae vt non sint à vera pie-
 tate abhorrentia, contra tamen inueteratas populi o-
 piniones, & quorundam hominū, siue etiam ordinum
 studia tendunt: quib. se non opponere maioris arbitror
 fore

fore grauitatis. Quid enim te cogit hominem in omni doctrina summū, cum longè imparibus quasi altercando, & iurgijs concertare? cum præsertim sacrarū scripturarum paratus campus sit, latè in omnem partem patens: vbi te ad tuum arbitrium exercere, & omnes in eo ingenij tui diuitias explicare possis: quas admirerentur homines, non de quibus litem tibi intendant. Equidem quicquid scribo, scribo animo optimo atque amicissimo: & quod maiore in modū cupio, tantā virtutē, quanta in te est, ab omni nō dicā labe, sed suspicione labis etiam apud vulgus alienam esse. Verū hæc tu melius. Nos mi Erasme quantū possumus, vterq; pro virili parte, seruiamus opē labenti fidei Christiana, quæ vt vides ipse, nō solū vitiorū in hoc tēpore domatu, & multitudine facinorosorum hominum, quib. omnia re dundant, sed externis domesticisq; hostibus, omnibusq; & bellorum & impietatis machinis oppugnatur: estq; ad cadēdum procliuis, nisi eam, qui vnus omnia potest, fulserit & sustinuerit Deus. Cui quidem Deo ac domino si gratiam eam, quam debemus, conabimur referre, & beatam ipsi inueniemus vitam, & cæteris nos ter nō inutilis erit, neq; infructuosus labor. Quamquam tu quidem hortatione non indiges. Nos vt locum nostrū ne deseramus, debemus magis prouidere. Sed de his satis. Tu valebis, nosq; diliges, tibiq; persuadebis, esse nobis maxima cura & quietem, & dignitatem tuam. Vale etiam atque etiam mi Erasme. Amerbachio nostro plurimam salutem, à quo crebriores literas desidero. Carpentoracti, Pridie Idus Febru. M. D. XXX.

TVum de meo Psalmo iudicium, tanquam profectū
 ab homine omnium doctissimo, & viro maximo,
 magna quidem animum meum voluptate affecit. Sed
 cum tui nominis autoritas mi Erasme eiusmodi sit, ut
 brevis tua commendatio pro insigni laude ceterorum
 omnium valere debeat, facile perspexi, quo plus tu in
 laudes dixisti meas, quam quod mei ingeny tenuitas
 sustinere posset: tum id abs te amori in me tuo fuisse da
 tum, & tue prestanti eximiaq, humanitati: in qua tu
 mihi videris iam velle, sicut in optimarum artium tra
 ctatione & scientia, omnib. nobis antecellere. Etenim
 si meus frater germanus esses, qui potuisti magis, aut o
 stendere letitiam animi tui, q̄ ex mei ingenyoli partu,
 qualicunque illo quidem, percepisti: aut tuam erga me
 benevolentiam declarare: in quo ipso utiq, apparet &
 extat quedam rara omnibus seculis natura tuae probi
 tas, & singularis integritas, nullo insuscata obrectan
 di studio. Quod tamen est vera atq, perfecta virtutis
 proprium: cuius qui compotes sunt, cum ipsi sibi confi
 dant, alienas etiam solent virtutes exosculari. Sed ego
 me indignum tuo isto de me testimonio arbitraturus
 sum, si tibi cōcessero, ut tu in me amādo priores partes
 feras. Non enim aut ita tardo ingeniosum natus, ut nō
 cognoscā, quid requirant prestantissima virtutes tuæ:
 aut ita ingrato, ut tuæ optima erga me voluntati non
 parem gratiam reddā. Sed quoniam hæc factis melius
 præstanda sunt, quam verbis: sed hætenus de eis dictū.

Psalmum

psalmum tuum mihi redditum, cum in prandio essem,
 & aliquot graues viri mecū vnā essent, auide perlegi,
 cursim videlicet, nec potui illum retinere quin mihi ex
 torqueretur è manibus: tanta est cunctorum legendi
 tua cupiditas. Itaque expecto dum eum de integro le-
 gam. Quantum tamen ex illo primū aspectu percipere
 potui, duae meres in eo eximiè delectauerunt. Vna, &
 vbiq; serè, & omnibus in locis, stimulis quibusdam pie-
 tatis, ac religionis ex verbis tuis animum meum pertē-
 tari sentiebam: ita dulcis, & pia, & omneis deliniens
 sensus fluebat oratio. Altera, quod tu certè in hoc gene-
 re factus es constantior aduersus ineptorum hominum
 molestissimas garrulitates non tam refutandas, quàm
 contemnendas. Quod ego te prioribus literis cum hor-
 tabar, iccirco mi Erasme faciebam, quod tuae me digni-
 tatis studiū & cura stimulabat. Quanquam enim (vt
 tu scribis) altius vitijs dormiētes inclamare asperius a-
 liquando sit necesse: tūc id ita agere, vt non à stoma-
 cho neq; ab iracundiā illiusmodi reprehensio profecta
 esse videatur, si cuiq; in, tibi profectò conuenit. Diffi-
 cile omnino est, vel potius inusitatum, non commoueri
 cum odiosè sunt qui obstrepant: & quod ipsi aliquid sibi
 inanis gloriola aucupentur, inutilibus disputationibus
 tanquàm gladiatorijs libellis laceffunt amplissimos vi-
 ros. Sed ad tuam ceterarum laudum omnium excellen-
 tiam hanc quoq; accedere decorū tibi est, vt eos vel ne-
 gligas, vel si obiurgandi sunt, paterno quodam admo-
 neas affectu, quando tu quidem in sacris literis, ad anti-
 quum decorem splendoremq; reuocandis, & omnium
 I 4 nostrum

nostrum, et huius seculi es pater. Illud item censuerim,
 cum iam accepta vulgo quaedam sint, quae suapte natu-
 ra ita redolet pietatem, ut solum in eis, quod nimium
 est, subaccusare posse videatur, (cuiusmodi est quorun-
 dam sanctorum veneratio, & picturarum crebritas)
 non esse popularibus studiis obsistendum. Non quin mul-
 to sit rectius figere in Christo cogitationem summam:
 sed neq³ ista à fide nostra aliena sunt, & non queunt om-
 nnes ab sublimiora illa facile ascēdere. Hac ego teme-
 re scribo fortasse, & parum considerans quis ad quem.
 Sed ignosce, mi Erasme, audaciae meae. Summus quidā
 & incredibilis meus in te amor me cogit uti libertate
 in amicitia propè ad temeritatem: quanquam tu qui-
 dem pro tua summa benignitate in bonam partē acci-
 pis. Sed ego ne sim saluus, si quicquam aliud specto, nisi
 quietem, & dignitatem, & amplitudinem tuam: quā
 semper tutatus sum & quantum in me fuit etiam asse-
 ctam praemijs, atq³ ornatam esse volui. Itaq³ recordor,
 me quondam pontifici Maximo, ei qui nunc est sua so-
 rem fuisse, ut tibi insigne sacerdotium quoddam in Ger-
 maniam traderet. Quod ille, qua bonitate est & studio
 erga homines doctos, erat factururus, nisi certi contra-
 dixissent: hacq³ aduersus te nixi calumnia, bonum ani-
 mum Pontificis in aliam vertissent partem. Stunicam
 autem hominem doctum meditantem aduersus te & ὙΠΕ-
 ΡΩΒΙΜΑΤΑ quaedā autoritate et praecibus ab ea volun-
 tate sententiāq³ deduxi: nec quoad ego māsi Romae, quic-
 quam ille in te scribere est ausus. Quid ergo est? ego q³
 n hoc recente psalmo duarum illarum rerum, quas no-

tant,

tui, alterā video penitus prætermiffam, alteram leuiffimè tactā, mirificè sum tua moderatione animi & prudentia delectatus. Nam cætera tua in illo & admiranda, nec noua, orationis splendor, grauitas, copia, rerum quæ tractantur in eo, veritas ac dignitas, & quidem triplicata ferie: vt perfpicuum fit, orationis thefauros nõ exhauriri apud te, tanquā collectos, sed femper fcatere. Atq; ego cùm meum dicendi genus comparo cum tuo, aspicio planè me serpere humi, & nimis familiariter illa diuina tradere, quæ tu $\mu\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{o}\tau\epsilon\gamma\alpha$ esse facis, & ea in sua veneratione grauitateq; conseruas. Et tamen quicquid sumus ego & tu, à Deo ambo totum obtinemus: in quem grati esse, eiusq; honori & gloria perpetuò inferuire debemus. De Hefychio quod quæris, habueram Pſalmorum Græcum librum, vetustate inſignem: in eo proœmium Hefychij luculente scriptum in eam ſententiam, vt probare conaretur omnes Pſalmos Dauidis eſſe. Is liber mihi cum cæteris omnibus perijt. Reliqua ſunt apud me Græca collectanea in Pſalmos incerto autore: ſcripta non tam copioſè, quàm eleganter: quibus præcipuè vtor. In ijs interdum citatur Hefychius. Sed ego cùm illa legi, & Latinorum aliquos de eorum numero quos prædicās: non tam illorum explanationem valdè ſequens, quàm ſpiritus ſancto permittens me totum, ſeror quacunq; me ille vocat: cuius vtinam vt ſpirituālis in me homo, ſic etiam corporaliſ templum idoneum eſſe poſſet. Sed crede mihi mi Eraſme, noſtra nobis non parum adhuc obēſ infirmitas. Deus autem omnium potens, qui tibi labores,

& sollicitudines, & affectam valetudinem dat: quis scit, an maiore tuo bono id faciat, quam si quietem tibi & molle otium praberet? equidem confido ita esse, nihil laboriosa sollicitaq; vita, sed quae cum Deo prorsus cōiuncta sit, videtur reuera fieri posse felicius. Germanica nationi bene sit: amo enim gentem totam, dignissimamq; arbitror, quae in vera tuenda ac propugnanda religione suorum maiorum gloriam consequatur: cui qui obsunt, & contaminant patriae suae decus ad bonā eos mentem conuertat Deus. Tuae in Psalmum meum annotationes mihi gratissimae: itaq; cogito magnā partem illorum mē dorum tollere: nam aliqua sunt, quae auctoribus optimis nitūtur. De me mi Erasme, sic tibi persuadeas volo: quanquam ego tenuis sum, & magnis à fortuna detrimentis multatus: nihil me tamen habere, quod non tuum aequè velim esse ac meum. Neq; in hoc solū, sed in omni tua dignitate atque fama conseruāda hoc sum animo, vt sponte per me ipse, & abs te monitus, summam tibi fidem in amicitia ac beneuolentia semper sim prestaturus. Vale. XIIIICalend. Octobris, M. D. XXX. Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpent. D. Erasmo Roterodamo. S. P. D.

Quod litera mea ad te tardissimè perferatur, planè molestum mihi est. Cuperem enim illas mature reddi: nec tam, vt te delectarent, quod tu humanissimè atq; amicissimè fieri scribis, quam vt meum tibi officium celeriter esset cognitum. Tuas quidem tertio Calend. Martij datas, ineunte Maio accepi. In quibus quod

mibi

mihi de valetudine prospera gratularis, equidem libenter accipio hanc gratulationem tuam, tui amoris eximij erga me testem. Veruntamen scito à medio Nouembri vsq; ab Aprilem extremū minus me commodè valuisse. Itaq; toto hoc tempore & intermissa nostra studia cōticuerunt, & ego nihil dignum viro potui exequi. Ad meam nūc tamen pristinam prouinciam sum reuersus, de qua antè ad te scripseram, vt commētarios in Pauli epistolam ad Romanos conscribam. Quod opus etsi difficillimum omnium est, sicuti & tu sentis, & ego re ipsa experior: tamen animo non deficio. Vtinā sic euentum meorum consiliorum fortunet Deus, quemadmodum à mea parte nihil neq; laboris deerit, nec studij. Accidit autem mihi peropportunè, vt nanciscerer diui Chrysostomi commentarios in omnes Pauli epistolas Græca lingua impressos: qui mihi domo ab Episcopo Verona missi sunt: quorum ego famam, vel volumē etiā ipsum ad te puto peruenisse. Cupio quidem certè, vt quod tunc tibi defuisse scribis, cū hoc idem opus eses aggressus, id nunc suppetat, si fortè tibi libeat qua iādiu exorsus fueras, ea nunc pertexere. Frobenianam operam non repudiabimus, cū tempus erit excudedi: præsertim te tanto autore, vt res rectè geratur, curam adhibente. Sed mihi magis, mi Erasme, tuo iudicio erit opus, quod ego semper maximi feci, & facturus sum. Res ardua est, ego difficiliter & tardè scribo. Nouos etiam, neque eos paucos, inuenio sensus: qui boni sint, an secus, (ego enim mihi ipsi non satis fido) talium virorum, qualis es tu, (si tamen aliqui tales iudicium exquiren-

quirendum mihi est. Tuum certè imprimis, qui aut v-
 nus, aut præcipuè in hoc genere scribendi non doctri-
 nam modò, quæ in te summa est, sed copiam etiam &
 dignitatem orationis adhibuisti. Basilium Magnū sua
 loquentem lingua exisse à te, & in manus hominum di-
 uulgatum esse, vehementer gaudeo. Nam quòd mihi à
 te sit inscriptus, id maius est tui de me iudicij testimoni-
 um, quàm ego expectassem: aut quàm me dignum esse
 arbitrer. Sed tua humanitas & beneuolètia eiusmodi,
 vt non quid me accipere, sed quid te dare oporteat, po-
 tius expendas. Equidem maximas tibi de eo gratias ha-
 beo agoq, etiam relaturus si occasio fuerit. Te ita cre-
 bro, & à tam multis peti, & mirum sanè mihi, & per-
 molestum est: nec video quæ sit causa, nisi fortè ea, de
 qua iampridem ad te scripsi: existimatio tua uidelicet,
 quæ in tam alto sita est loco, vt omnibus statibus inui-
 diae proposita esse videatur. Nam qui in hanc theolo-
 gie palæstrā nomen suum profitentur, quòd sibi de prin-
 cipio commendationis aliquid in vulgus querant: no-
 men eligunt clarissimum, in quod inuehantur: auget
 deinde rixam ipsa contentio. Sed ego si isto loco essem,
 vna semel defensione, in vniuersum omnibus responde-
 rem: partim iuuenta facta consiliag, excusans, si quid
 fortè esset à me in illa ætate liberius scriptum: partim
 etiam modestè prudenterq, retractans, quæ eiusmodi
 essent: vt etiam si non verè, at saltem versimiliter an-
 sam aliquam possent præbere obtrectatibus: quod sum-
 mos doctores sanctissimos homines cernimus fecisse.
 Postremò verò, omnem sensum meū de fide catholica

ita exponens, vt non posset cuiquam esse dubium quid sentire: hoc opere edito, perenne mihi silentium suscipere aduersus maleuolos, quorū insolentiam iniquasq; calumnias, cum res ipsa & veritas, tum tua excellens fama, virtusq; refutaret. Sed ego hac non tam monendi tui causa loquor, (non enim tu eges monitore) quā testificandi sensus & animi mei. Oecolampadiū extinctum, vti nam possem dolere iure. Sic enim litera & doctrina hominis postulabant, nisi extitisset ille in alio genere perniciosus. P salmum tuum auidē expecto, eumq; perlegere cupio. Epistolarum tuarum volumen audio exisse, Lugduniq; haberi: id ego misi qui mihi emerēt. Tu interea, mi Erasme, si nos diligis, da operam vt valeas, et sustentens et aatem istam tuam ijs, quibus soles, optimarum artium studijs, & conscientia rectorum consiliorum. Nos qui te plurimum amamus, nullo vnquam loco deerimus, nec fama, nec laudi, nec voluntati etiam tua. Vale. Carpent. VIII. Idus Maij, M. D. XXXII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Des. Erasmo Roterodamo S. P. D.

IS qui tibi has literas reddidit, minus mihi sanè cognitus est: neque ego hominis mores, naturamq; perspexi. Sed cum adijisset ad me, diceretq; se celebritate fama, & amore quodam nominis tui comotum, velle ad te proficisci, vt sub te magistro lautioribus literis operam daret: nō potui nō probare hoc eius constitutum: nam & rem pulcherrimam, & doctorem prestantissimum appetere mihi visus est. Proinde petenti à me commendatitias literas, libenter conseruauī consuetudinē

me-

meam: & in his, quæ ad humanitatem pertinent, facilem ei me præbui. Commendo tibi eum igitur: sed ita, vt cum ipse de eo feceris iudicium, dignumq; statueris quem in amicitiam tuam recipias: tum eum sic adhibeas, & benignitate tua complectare, vt quod sine vlllo tuo incommodo fiat, aliquem ipse fructum sui huius relictissimi studij consequatur. Ego posteaquam ad te proximè rescripseram, bi duo illo aut triduo accepi libellos tuos, quorum iam bonam perlegi partem: imprimisq; sum tuis defensionibus aduersus illos obrectatores tuos mirabiliter delectatus. summam enim illa doctrinam, & illam, quam ego maximè probo, egregiè redolent animi moderationem. De Basilio iterum ago tibi etiam atq; etiam gratias: quod me ad eorum numerum, quos tui ingenij monumentis illustrare voluisti, aggregare dignatus es. In quo si tibi uon par opera rependetur à me, at mea aqua certe tuæ isti præstanti erga me voluntati reddetur voluntas. Vale mi Erasme, & Amerbachium nostrum meis verbis saluta. Iterum vale. Carpentoraet. VII. Idus Iunias, M. D. XXXII.

IAC. SAOLETVS EPISC. CARP.

Des. Erasimo Roterodamo S. P. D.

Noli amâbo putare, mi Erasme, quicquã mihi esse, naut gratius tua erga me beneuolentia, aut iudicio grauius. Itaq; & quicunq; istinc veniunt, tuumq; modò nomen, & nuntium de te aliquem ad nos perferunt, libentissimè à me accipiuntur: eoq; etiam magis, si quod afferunt monumentum tui præstantis ingenij, præclarèq; in rem & pietatem Christianam opera ac voluntatis

ratis, qualia saepe multa à te proficiuntur: vt tibi molestum esse non debeat: illos tenui à me munusculo affici, qui id laboris mea causa susceperunt. Et de tuo iudicio (ita mihi diuos omnes opto esse propitios) in ea sententia, vt nihil meorum mihi probari possit, quod ad religionem quidem, & ad literas sacras pertineat, si nō id antea tibi sit probatum. Quapropter cū confecissem commentarios in Pauli primam epistolam (quo labore, & quib. vigilijs, non dico: satis enim cognita tibi est illius Epistolae obscuritas) statueram aliquot mensibus quiescere, totumq; me ab illa cura & cogitatione auertere: vt deinde recens, atque nouus ad meam recognoscendam, & accuratius expendendam lucubrationem accederem. Qui tamen mos & mihi consuetus est, & à viris doctis solet vsurpari. Eratq; mihi in animo, neminē omnino participem facere, antequam ipse probassem. Sed cogitans casus humanos, & quanto mihi maior ac detrimento esse posset, si qua asperior fortuna, qua in vtrunq; nostrum profectō habet potestatem, cōmercium inter nos hoc literarium peremisset: librum è tribus primis, qui erat descriptus, dedita opera ad te misi, in quo maxima quidē sunt & pulcherrima fidei Christi mysteria. Quē peto à te mi Erasme & pro insigni ac mutua beneuolentia nostra rogo, eo animo vt legas: vti ita statuas, melius nāhi abs te multo consultum fore, si reprehenderis in eo, qua tibi reprehendenda esse videbuntur, quā si laudaueris, si qua erunt laudanda. Ausus equidem sum, id quod videbis ipse, ab itinere caterorum, iam diu trito atq; vsitato, de
 flecte-

flexere: aliāq, quadam ingredi via, quæ mihi visa sit magis emergere ex fluctibus questionum, fortiusq, & splendidius ad veritatem contendere: Deumq, vt mihi adesset, semper precatus sum. Sed falli tamē possumus.

Quamobrē mi Erasme, omnis in te spes mihi est, tuum iudicium quod tu modeste imminuis, ego aut plurimi facio, idq, non iniuria, nunc mihi quidem ipsum periculum & portus est, & totius mei laboris expositio. e-gog, in te vno, tuoq, in me amore, ac tu aspectatissima virtute, & doctrina acquiesco. Illud te nolo ignorare, deesse non pauca in hoc libro, quæ tunc adijciētur, cum opus totū acrius examinandum resumpserimus. Nā & multa in eo explicatius differenda sunt, quam nunc exposita sint: & collecta ex sacris literis testimonia aliquot sanē oportuna atq, illustria tū sumq, addituri, cū de vulgando opere cogitabimus. Nā nunc quidem huic parti, quā ad te misimus, ne lectionē quidē adhibui: veritus ne correctionibus ac lituris ante tēpus implicarer quando omnē eiusmodi curam (vt dixi) in aliud tēpus reieci. De impressione nihil malle, quā id quod tu mihi consulis, vt apud Frobeniū transigeretur res: certus enim sum, nusquā melius: neq, sumptu permouer, sed pudore quodā afficior propter bonitatem & modestiā Gryphij, qui mihi totus deditus planē est. Quāquā erit hac quidē de re spatium deliberandi. Illud te summe oratū volo vt hāc partē commentariorū ita ostendas cui voles, vt nemini omnino describēdi copiam facias: res enim nondum plenē perfecta est. Ego & familiariter ago tecum, & me id turd facere posse arbi-

ror: sūma enim mihi est et de tua humanitate opinio,
 & de integritate fides. Quamobrē si quid tibi oneris
 impono, id ea mēte facio q̄ tibi volo esse persuasissimū
 nihil tibi esse viciſsim in omnibus rebus tuis, & opera
 mea, et benevolentia paratius. Declarationes tuas, et si
 magnopere probaui prima illa lectione, vt ad te scripse
 ram, tamē de integro legā: nec dubito, quin sim omnia
 in illis, qua à te cōmutata sint, meliora ex bonis facta
 reperturus. Legi cōmentarium in Symbolum, quo mi
 rificē delectatus sum. Os enim profectō obstructū iam
 est litigiosis hominibus, et sibi iniustā laudē ex obtre
 ctatione aliorū quærentib. quos tua excellēs virtus &
 autoritas satis per se ipsa refellit. Vale Erasme, et no
 stri memoriā retine, qui nunq̄ tui esse immemores pos
 sumus. Ad Amerbachiiū nostrū do literas, cui lucubra
 tionem meā vel imprimis ostendi volo. Iterum vale.
 Carpent. V. Idus Iunij, M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carp. D. Erasmo Rot. S. P. D.

DIu est cum ego nihil de te, ne rumoris quidem, acce
 pi. Quod si tu ades in eisdem locis, in quibus soli
 tus es, tibiq; commoda valetudo est, sicuti cupio equi
 dem, & spero, nonnulla de eo me tenet admiratio. Ho
 minis enim πολυθροῦντος, καὶ πολυγραφοῦτος
 non est vsitatum hoc silentium. Sanè nos post librum
 illum tuū de Concordia ecclesie nihil aliud accepimus
 quod ab Erasmo scriptum esset. Itaq; non sine aliqua
 sumus suspitione, ne aut minus fortasse valeas, aut in
 Belgas tuos profectus sis. Videbare enim in literis tuis

K

postre-

postremo ad me scriptis significare, te id cogitare facere. Quod si ita est, mi Erasme, queso, ut certiore me de tuo omni statu facias, qui pendeo animi, donec exploratum aliquid de te habuero: nam mihi tua salus & tranquillitas mirabiliter cordi est. Non dedit nobis fortuna, ut in eisdem locis viueremus: quod utrique nostrum, arbitror, mihi quidem certè fuisset optatissimū. Potuissē enim aperitus tibi, atq; illustrius, omnē meū sensum & animum declarare. Sed quoniam id praterijt, actumne agamus, ut dicitur, animos certè virtus dedit in amore consentientes: in qua tu multo praestantior, maiores autē meae partes sunt, te summū virum colendi, et diligendi. Tanquam igitur ad hominem omnium tibi amicissimum, ut de tuis rebus omnibus interdum scribas, vehementer te rogo. Mei in Paulum perfecti commentarij sunt: itaq; eos prope diem cogito edere. In ijs plurimum mihi opitulatae sunt correctiones illae tuae, quas in primum librū adhibuisti. Vellem idem in reliquos fecisses, maximo mihi emolumento ea res fuisset. Sed fortuna nobis disiungendis, multis meis & magnis inuidit iucunditatibus: cui quidem à nobis non potest obsisti, ea enim summas frangit infirmatq; opes, nedum meas. Sed quod ad rē pertinet, potes perspicere mi Erasme ingenij tarditatem & imbecillitatem mei: qui tanquā κακιδης diutino cursu cubitum vix processi, ut ex hoc quoque maior tibi à tua incredibili nauitate & industria voluptas pariat. Verum haec haec tenus. Te mi charissime atq; optime Erasme oramus, ut semel amorē erga nos abs te susceptum

constantè & perpetuò tuare. Carpentoracti, Calend. Nouemb. M.D.XIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Bonifacio Amerbachio Basiliensi

S. P. D.

NOlo te vereri, mi Amerbachi, ne tua litera mihi aut intempestiua vnquam, aut minus grata sint, cum eas ego libentissimè legam, tuamq; in illis bene cognitam mihi modestiam semper mihi intueri videar. Quamobrem nulla te à scribendo eiusmodi suspicio re trahat, dum id tibi commodum alioquin sit: semperq; ita existimes, te mihi quoties scribis, toties re gratam facere. Tuam de cœna Domini sententiã, & cognosse mihi iucundum fuit, & eandem ego vehementissimè probo, illudq; præterea adiungo. Tot seculorum perpetuam consuetudinem à cõmuni Ecclesia vsurpatã, non sine approbatione spiritus sancti tantum roboris habere potuisse: cum præsertim tot ex illo numero sanctissimi viri extiterint, qui gratiam suam et amicitia cum Deo miris rebus et multis ita declararint, vt dubium de eo esse non posset. Qui certè impij, nefariq; fuissent, & ab Deo penitus alieni, si panem pro Christi corpore, & rem prophanam pro rerum omnium efflore sumpsissent sibi adorandam, atq; colendam. Quibus ipse Oecolapadius profectò nec sanctitate, nec doctrina fuit par. Atq; is antequã excederet è vita, cum audisset parteis suas, hoc est eorum qui impiè de sacramento corporis Christi sentiebãt aduerso prælo afflictas, quod praelium non humana vi, sed numine omni-

potentis Dei confectum esse constaret: si conuersus esset ad meliorem mentem, eius doleo morte: doctus enim sanè vir, & bonis literis apprimè erat ornatus: etsi ego nunquàm illi magnam eruditionem in theologia tribui. Sin autem aduersus Deum perstitit contumax, equidem nunquàm cuiusquam malo latabor: verùm non iniquo animo feram, sementem tanta prauitatis è medio sublatam esse. Utinam isti ciuitati, & ciuibus in ea omnibus, rectus infideat in fide catholica sensus: quorum ego alteri, propter nomen & nobilitatem vr- bis, alteris ex pietate charitateq; Christiana valde amicus sum. Qui si me audire volent, quod illis tu meis ver- bis (si videbitur, & si occasio dabitur) licebit dicas ma- iorum suorum potius in tuenda vera religione Christi laudem, quàm temerè nouantium res bene cõsilitas, insaniam pergunt imitari. Opera quæ scribis Erasmi valdè auide expecto, nec dubito cateris futura dissimi- lia: hoc est, plena doctrina & vbertatis. Quòd mihi Basilius tantus autor fuerit inscriptus, habeo equidem magnam vobis gratiam: sed tamen aliud erat queren- dus potior, qui tali munere honestaretur: nam ego in- genuè loquor, non huius mihi dignitatis conscius sum. Tamè tuã, et Erasmi mei beneuolentiã agnosco, eãq; gratissimã habeo: quam ego pari compenso voluntate. Carpent. VIII. Idus May, M. D. XXXII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Germano Brixio S. P. D.

Vperioribus diebus, cùm per incertos tabellarios li-
Steras à te accepissem: in quibus neq; locus vnde illa
data,

date, neq; dies erat ascripta, etsi ex orationis tue filo-
 styliq; elegantia, tū etiam amoris significatione aduer-
 sum me, non mediocrē cepi voluptatem: tamen diu su-
 spenso animo fui, quidnam mihi in tali re faciendum
 esset, cū ad rescribendum quidem officium me im-
 pelleret: quod autem, aut per quem literas ad te darem,
 nullum consilium capere sat certum possem. Pōst verò
 diligentius mecum meditatus, & illam faciens conie-
 cturam, tales viros, qualis es tu, Lutetia Pharrhisiorū
 libentius sapiusq; commorari: propterea quòd illa ci-
 uitas amplissimū est doctorum hominum domicilium,
 literas eò misi: vbi si te illa reperissent, esset & officio
 meo, et animo satisfactū. Sin minus ibi te offendissent,
 meq; in eo opinio mea & coniectura ratio frustrata
 esset: per Budeum tamen ad te, vbi cūq; esses, mitterē
 tur. Cui homini doctissimo atq; optimo, tu simili virtu-
 te & doctrina præditus, incognitus certè esse non po-
 tes. Verū quod mihi in literis tuis gratularis, quod
 me, quem diu antè mortuum existimasses, repente non
 modò viuere, verū etiā dignitate atq; honore auctū
 esse audisses, gratulatio tua, vt que ab optimo profici-
 scitur animo, sanè mihi probata est. Sed tu si vnā illam
 esse mortem arbitraris, qua qui natura & mortalita-
 tis conditioni satisfacit: planè nondū mortuus sum, ne
 que supremum fati diem adhuc executus. Si verò gra-
 uiolem & veriolem putas mortem, cū quis cogitur
 alieno viuere arbitrio, non suo: sanè & mortuus fui, et
 reuixi posteaquam in hunc portum orij & tranquillita-
 tis sum peruectus. Scito enim me his quinq; annis, po-

steaquam videlicet Romanis relictis rebus, in meam ec-
 clestasticam prouinciam me contuli, solis gustasse qui
 fuit fructus vere vite, nihilq³, expertum fuisse postea
 quod poenitendum mihi esset. Quare tu si musixq³,
 gratularis mihi, habes letandi de amico & gratulandi
 causam. Sin autem em vulgari consuetudine verbi locutus
 es: en tibi amantiſſimum tui hominem non modo non
 mortuum, sed uiuentem nunc quidem beatus quam an-
 tea: cui ista ipsa dignitatis accessio, qua te gaudere di-
 bis, utinam illa non magis oneri, quam honori esset. Sed
 tamen quoniam diuino numine in hoc loco positi, & in
 hoc honoris gradu locati sumus: demus operam, quoad
 possumus, ut nostra eidem Deo & opera parata sit, &
 voluntas. De te autem ipso mi Brixii, quando ex eorum
 hominum numero es, quos ego colere & complecti stu-
 dosè soleo, dedistiq³, mihi per literas tua & doctrina
 et humanitatis specimen: sic me existimare puta, te ef-
 se digniſſimum, quem omnes qui bonas artes sectamur,
 in oculis assidue feramus, nihilq³, vicissim accidere mi-
 hi posse tua erga me beneuolentia gratius. Qua quo-
 niam (ut scribis) a te suscepta iam diu est, ex quo me sci-
 licet primum Roma cognouisti: peto a te maiorem in
 modum, ut & veterem illam renouare, & si est augen-
 di locus, etiam augere & amplificare eam velis. In quo
 tibi polliceor, me curaturum, ut in nullo amicitie offi-
 cio, nec in voluntatis studio me vincas. Vale. Carpen-
 tracti, X. Calend. Iulij, M. D. XXXII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Germano Brixio S. P. D.

Non potuit fieri commodius, nec magis ut ego vel-
 lem, quàm quòd meus liber tibi redditus fuit: pri-
 moq; ipso in praelio, ut aiunt, cum homine disertissimo
 doctissimoq; congressus, non dicam cum laude, (abhor-
 ret enim mea mens ab eo quod insolentius videatur di-
 ctum) sed certè sine ignominia discesserit. Quanquam
 tu quidè etiam illum laudas: in quo agnosco vel beneuo-
 lentiam erga me tuam, vel comitatem naturæ, qua es
 præditus. Sed quòd epistolam meam desiderasti, hocq;
 genus officij quod in scribendis epistolis situm est, im-
 primis inter amicos vsurpari iudicas cõuenire: verè tibi
 dicã. Subitus discessus Giramandi, qui me festinare
 valde coegit, tũ autè hesitatio quadam mea, cũ nec qui-
 bus in locis planè esses, nec quid rerũ gereres satis nos-
 sem: illudq; etiã valdè vereretur ne tibi homini vehemẽ-
 ter in literis occupato obijcerem laborè: adduxit me,
 ut statuerem per nuntios potius, quàm per literas tecũ
 agendum esse: præsertim cum homini & amico, et præ-
 denti, id negotij cõmitterem. Qui, quàm mirificè fun-
 ctus officio sit, tum ex rebus ipsis, tum autem tuo im-
 primis iudicio testimonioq; cognoui. Illud verò mihi
 pergratum accidit, quòd meum consilium istuc nunc en-
 di librum & ad theologorum vestrorum iudicium de-
 ferendi, tibi quoq; esse intelligo probatum. Quod equi-
 dem, mi Brixi, ea ratione feci, quòd Christianam illam
 humilitatem animi, quàm maximè in scriptis meis ex-
 tollere, et in cœlum ferre, verissimis laudibus soleo: non
 solum verbis, sed ipsa re, quantum à me fieri potest, cu-
 pio semper mecum habere coniunctam. Cuius si ut no-

men, ita veritas Christianis hominib. in cultu & in honore esset, tot hodie pestilentissimarum haeresum erroribus, & hac religionis labe careremus. Sed quod scribiste curaturum, vt aequis iudicibus, & a politionum literarum cultu non abhorretibus, res permittatur, habeo tibi magnā gratiā: iamq; id perfectum à te video. Scripsit enim ad me ex illis quidā sanè quā liberaliter: vt mihi in mentem venerit letari, esse apud theologos vestros Musis etiam locum, verū illis sanctioribus: q; tamen tibi & Budeo nostro acceptum ferendum est. Certè id quod sentis, est omnino verissimū: nec res tam praclaras barbarè atq; absurdè debere tradi, et qua à me scripta in Paulū sunt, sine Latina & Graeca eruditione intelligi vix posse: aut ne vix quidem. Expertus enim sum ego, quae subtilitas rerū, quanta et cuiusmodi altitudo maximorum in illis mysteriorum insit. Quae tu quod breui, & subita lectione tam accuratè perpendis, nō rerum facilitati, sed tui ingenij magnitudini est ascribendum. Quo nisi tu eximio praeditus esses crede mihi, impediuus multo iter ad illa percipienda & intelligenda offensus es. Dies tamen, & mora, & crebrior lectio, quotidie magis indicabit, nihil fieri posse rebus illis reconditis. Quod tibi hoc libentius scribo, quod te quoque video in eodem stadio currere. Non enim mihi ignota neq; inaudita studia sunt tua: sed et ex plurib. cognoui, et legi ipsemet homilias illas Chrysostoni, quas tu è Graeco sermone in Latinum vertisti, eaq; elegantia verborum, et grauitate: vt non tam opulentiſsimū transtulisse autorem, quā imitatus esse
vide-

videare. Itaq₃ expectabimus alias : gratūq₃ mihi in eo feceris: si vt confecta fuerint, mihi eas afferrī. quā primum curaueris: etsi cū ad conciones erit ventum, grauior tibi labor videtur fore propositus. Nōsti enim profectō quā ardentē ille, quāq₃ incit atē solitus sit auditores non magis docere (mihi quidem videtur) quā aut obiurgare, aut accēdere: etsi vtrūq₃ quidem, idēq₃ cum magna cura. Verūm cū in multis interpretandis Pauli locis ab eius opinione disentiā, iccirco tibi visus sum eum minus legisse. Ego verō in ipso legendo, expendendo, interpretando Paulo, cū omnium ferē interpretum qui aliquo numero sunt, scriptis & commentationib₃ vsus sum: tum verō Pauli eiusdem ope et doctrina plurimum adiutus : qui quidem suimet longē optimus est interpres. Noli enim putare, me ad primā illam, quæ Romanis inscripta est, epistolam exponendam accessisse, nisi prius perlectis, diūq₃ volutatis, omniq₃ animi attētionē perspectis ceteris eiusdem doctoris epistolis. Quarum assidua & acri lectione in eos diuina sapientia fontes sum inductus, ex quibus si non hausisse puriorem doctrinam, saltem leuiter ex illis aspersus fuisse videar. Vnum est in quo miror, quod ita reprehendor à quibusdam, quasi deflectere vel tantulū à veterē trāslatione Pauli nephas sit. Cuius tu rei, mi Brixii, qui vtrūq₃ linguam probē nōsti, optimus poteris esse iudex. Mihi enim si quicquam in illis cōmentarijs est, quod probetur, illud precipuē est, quod visus mihi sum verba è verbis expressa verē Latina reddere, quæ autē nimirum alieniora pleraq₃ erant, vt vis Apo

stoli sententiāq; obscuraretur. Ea si conatus sum illustria & perspicua facere, quod ordine, & proprietate Pauli verborū accuratissimē seruata factum à me est: quidnam quæso ea in re admissum est culpa? cum præsertim gratius hoc etiā meum factum esse debeat, quod Lutheranis vt sua καὶ ἄλλοις facilius probent, imperitosq; in fraudem inducant, ad ignoratā plerisq; linguam sæpenumero confugientibus, hic vtiq; cāpus doli & fallaciarum intercludendus fuit. Si tamen ego non sum hallucinatus, quod fieri nimirū potuit, homo enim sum. Alia quidem via commodius istis contortoribus scripturæ sanctæ occurri, illorumq; præstigias et machinatiōes redargui vix potuisse existimo. Itaq; & initio mei operis hac potissimū de causa illam me sumpsisse enodandam epistolam sum testatus. Sed hac hætenus. Venio nunc ad eas epistolæ tuæ partes, quæ partim me delectarunt mirabiliter, partim pudore etiam affecerunt. Nam quod me a lucubrationi tantum laudis impartis, quātum non tā à summo iudicio, quā ab amicissimo animo profectum intelligatur: gaudeo equidem me abs te sic diligi, tuamq; istam præstantem atq; egregiam erga me voluntatem permagni æstimo. Sed res ipsa planè vt erubescam me cogit. Etenim quis ego sum, quo ingenio, qua doctrina, quibus ornamentis præditus, cui ab homine doctissimo atq; optimo tantum laudis tribuatur? Si enim in eo laudāndus sum, quod sim deditus optimis artibus & studijs: quā multi sicut vstra hac ætate, qui in eodem genere studiorum excellunt? nōne horum talium frequentia Italia, et Gal

lia, & ipsa quoq; Germania nunc referta est? Si verò
 q̄ optimas tueor et sustineo partes, ab antiquiorumq;
 scitis atq; decretis transuersum vngue non discedo: nò
 tam d̄ laudi vlli dandū est, quàm vitio, secus si fiat, ma-
 ximo. Nam quòd in portum me ex vrbani illis flucti-
 bus, & ex magna agitatione tràquillam in stationem
 recepi: ego sanè liberam & voluntariam vita agenda
 rationem obnoxys illis, & aliena sententia addictis ra-
 tionibus, ob eam primùm causam longè pratuli, quòd
 vni iam Deo liberius famulari, & cõmissæ mihi ab eo
 ecclesie officium præstare præsens possem. Deinde vt
 n. tibi cū Musis iam diu optatum habere liceret cõmer-
 cium. Cuius quidem vite suauitas & delectatio tanta
 est, vt non regem esse, sed regibus non egere, verè rega-
 liter viuere, & ipsa verè beata vita sit. Quanquã hoc
 argumentū nequaquam in vulgus edendum est, ne ad
 eos quidem, qui aliquam speciem bonorū doctorumq;
 præ se ferentes, eisdem nihilominus, quibus vulgus, ho-
 norum atq; opum cupiditatibus iactantur. Sed ego te-
 cum tanquã mecum hanc rationem puto. Nò enim mi-
 hi plus assumo in huius laude consilij, quã tibi ipsi tri-
 buo: quem & multis antea testibus, & tuis nunc ex li-
 teris planè intelligo in eadem mecum esse sententiã: nisi
 quòd tua virtus hoc apparet illustrior, quòd ego mul-
 tis diu curis, laboribus, vigilijsq; vexatus, quas ad alie-
 num arbitrium ferebam & suscipiebam, tandem tadio
 fractus, in quietis locum me contuli. Tu tua sponte, so-
 lutoq; iudicio, studijs ambitionis misis, in eundem por-
 tum es peruectus. De qua præclara animi tui modera-
 tione,

tione, rectissimoq; consilio, & eiusdem mecum societa-
 te muneris, & tibi gratulor, & mihi apprimè gaudeo.
 Nullo enim alio comite ornatior, aut hanc inire prius
 viam, quæ minime populo nota est, iamq; ob desuetudi-
 nem dumetis inhorruerat, et stirpibus, aut nunctenere
 eandem possum. Sed de his quoq; satis. Iulij fratris mei
 quoddam mihi mentionem facis, eode penè amore ac si frater
 ipsius germanus fuisses, veteremq; tuam cum illo familia-
 ritatem predicas: peream mihi Brixii, nisi cum meum erga
 te studium ad summum creuisse credere, maximus tamè
 hac de causa cumulus accessit: non enim existimarem no-
 stram coniunctionem iam inde ab illius tecum consuetudi-
 ne auspiciatam fuisse. Neq; verò aut te vrbani memi-
 nisse mihi videbar, aut post in Gallia tibi quicquam rei
 cum fratre fuisse meo noueram. Sed omnis tui cognitio
 principio mihi in Gallia oblata est, primum ex literis
 tuis, quas iam longo interuallo accepi iucundissimas.
 Deinde ex epistolis & Erasmi ad te, & ad illum tuis,
 illoq; imprimis opere mihi sanè probato, quod conuer-
 tendo Chrysostomo lucubrasti. Postremò verò Lugdu-
 ni, deindeq; Masilia, cum ad summos principes saluta-
 tum accessissem, sermones cum pluribus permultos &
 habui & accepi de te: cum tua virtus & doctrina, ma-
 ximeq; ista animi equitas, qua tu fortune & cupidita-
 ti tuæ modum constituissem, omnium vna & constanti
 voce laudaretur. Itaq; cum plurimas iam haberem tui
 magnificiendi causas: cumq; hoc nouissimum studium,
 quod tu in meis exhibendis scriptis honoris mei causa
 suscepisses, vehementer tibi me obstringeret: illa tamè
 mei

mei fratris cōmemoratio tam piè, tamq̃, amanter abe-
 te facta, prorsus effecit, vt te in illius penè loco diligā.
 Quam ob rē rectè feceris, idq̃, mihi erit gratissimum,
 si ita statueris, quacungq̃, à cōiunctissimio fratre officia
 sperari, aut expectari possunt: ea tibi à me prōpta esse
 & parata: vt si vsus venerit quòd memetipsum tibi pa-
 tesfacere penitus possim, non sis maiorem erga te bene-
 uolentiam cuiusquā, neq̃, fidem in amicitia integro
 rem cogniturus. Illud te rogo, vt quid theologi vestri
 de meis scriptis senserint, certiozem me facias: cura e-
 tiam adhibita, vt literæ ad me diligētius perferantur.
 Nam quas mense Aprili dedisti eas mihi scito extremo
 Iunio fuisse redditas: quibus vt debui, sine mora respon-
 di. Tuis addubitationibus, quæ ad linguæ Latine ratio-
 nē pertinet, altera seorsum pagella conor satisfacere.
 Vale mi doctissime Germane, & nos amare perseuera.
 Carpentoraçti, pridie Calen. Iulias, M. D. XXXIIII.
 IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
 Germano Brixo. S. P. D.

ET literæ tuæ, id quod aliàs quoq̃, conquestus sum,
 tardissimè ad me perlata fuerunt: (data enim pri-
 die Idus Februarias, post Nonas Aprilis denique mihi
 sunt reddita.) Et ego quòd minus ad eas continuò respō-
 dere, valetudine fui aduersa impeditus. Scito enim me
 octauum iam mensem pituita vsq̃, ed laborare, vt et o-
 doratum penitus, & vim etiam gustādi aliqua ex par-
 te amiserim. Qui morbus hyemis tempore lētior, coq̃,
 magis tolerabilis: quòd humoribus pigrè & segniter
 se mouentibus, sensum in nobis mali ob tustiozem aliquā

to facit. Vere nouo excitatur, & ad nocendum corpori acuitur. Itaq; & febricula aliquot diebus tentatus sum; & nunc capite frequenter languet: non tam dolore quidem, quàm grauedine quadam occupatus, atq; pressus. Sed mihi multis adhuc frustra remedijs adhibitis, recuperanda valetudinis spes, secundum Deum, reliqua est in appropinquantis caloris aduentu. Quo si nos sefellerit, seremus humaniter, omneq; Dei omnipotentis de nobis ipsis decretum in partem optimam accipiemus. Illud utiq; praestabitur à nobis, vt ne qua culpa nostra morbus vim ad ladendum, incrementum accipiat. Habes causam mea tarditatis. Nunc reuertor ad tuas literas, qua mihi mediusfidius extiterunt gratissima: vel quòd beneuolentia erga me tua eas mihi gratas semper efficit, vel quòd de libro meo quid actum fuerit, cognoui: de quo ad id tempus nihil acceperam. Eram autem non minimum sollicitus, quo pacto ex eo afficiatur animi vel audientium, vel legentium. Et nimirum hoc tempore, hisq; animorum opinionumq; dissentionibus, nihil tam nobis pertimescendum, quàm calumnia est, quae iam vulgare quidem videtur esse vitium. Sed mihi, vt concertatio omnis permolesta, sic animi aequitas tutissimum est perfugium: quo sum uti solitus, si quis falsam mihi litem aut iurgium intendat: nam beneuolis castigatoribus vltro magnam gratiam me debere confiteor. Quare quod mihi polliceris, vel potius recipis, te acturum accurate cum theologis vestratibus, vt meum hunc animum aequi boniq; consulant, id ego abs te non mediocriter cupido expeto. Nihil enim malo, quàm & suum

illis

illis honorem, & mihi meam pacem ac tranquillitatē incolumē manere. Præterea faueo etiā ordini illi atq; collegio, in quo video firmissimam anchoram fluctuantibus (vt nunc est) fidei nostra rebus constitutam esse. Sed hæc hæctenus; neq; enim dubito, quin iā officio functus fueris: nihilq; reliqueris loci neq; hortationi, neq; admonitioni meæ. quippe qui non studium solum amoremq; in amicitia, sed nauitatem etiam, & diligentiam afferas. Quo quidem nomine non mihi vni, sed prorsus omnibus carus iure optimo atque amabilis esse debes. De Episcopo Parisiensi nostro istud idē sentio quod tu. Nihil illo homine elegantius: nihil bonarum artium fieri posse amantius: in quibus ille ita ceteris fautor est, vt præcipuam tamen laudem ipse obtineat. Ei te gaudeo tam familiarem, quam tu scribis, existere. Neque illud est κολοῖός πρὸς κολοῖόν, sed ad summum virum vir ingenio & doctrina præstans eos aditus habet, quos germana virtus illi patefecit. Eum ego etsi mirabiliter amo, coloq; idq; ipse nō nescit: tamen mihi erit pergratum, si tu hoc idem in sermonibus crebro illi inculcaris. Cetera, quæ in tuis literis plenissima amoris atq; officij sunt, iccirco à me prætereuntur, vt ne videar aut meis nimium oblectari laudibus aut tuas blandius sepiusq; commemorare, quàm ingenuitas amicitia, et nostra firma iam atque constans necessitudo postulat. Illud habeto, tantum tibi tribui à me, quatum & doctissimo homini, & in officijs omnibus constantissimo, ab homine item officij doctrinaq; studioso & peramante debeat. Cuius mei de te iudicij nunquā me profecto

pæni-

pœnitebit. Vale. Scriptis his literis, venit mihi in mentem requirere ex te, eequem tu forte isthic haberes liberalibus inſtitutum artibus, qui & Latinis et Græcis docendis literis idoneus eſſet, idq; ipſe profitetur munus. Similem enim quempiã ego naçtus, libeter eũ huc ſat bona (vt opinor) conditione accerſerem: quodd ciuitas hæc noſtra publico id, vti fieret, decreuit conſilio. Vellem autẽ eum maximẽ, qui in Ciceronianis ſcriptis exercitatus eſſet, atq; eruditus. Hac in re ſi quid eſt mihi quod præſtare, & ciuibus in eo meis prodeſſe poſſis: petò à te, vt ne grauerẽ ſuſcipere aliquã curã, et te in eam cogitationẽ conferre. Certẽ enim ſi aſſequemur quod cupimus, magno nos oẽs abs te affectos eſſe beneficio ſumus arbitraturi. Iterum vale. Carpentoraçti.

IAC. SADOLETVS EPISC.

Carpent. Gulielmo Bollaio Langæo

S. P. D.

CVm hoſce plures iam menſes vehementer de te & de tua ſalute ſolicitus fuiſſem, q̄ ignorãs vbinam eſſes, te in illis Italia fluctibus etiam nunc verſari arbitrabar: ſummam repente accepi letitiam ex optato nũrij aduentu, qui ex aula Regis nuper huc profectus, ſaluum ac valentẽ te ſibi viſum eſſe cõfirmavit. Quod ſi ita eſt, (vt ego ſpero & opto) cùm mihi ipſi gratulator, tum ago Deo immortalĩ gratias. Facit enim incredibile ille amor, quo te iam pridem ſum complexus, vt nihil mihi abs te neq; ſecundarum, neque aduerſarum rerum, eſſe ſeiunctum poſſit. Quanquam quas tu ſecundas tibi eſſe res putes neſcio, præter Regis tui gloriam
atque

atq; amplitudinem. Vidi enim te in maximis illis misere Italiae turbinibus ac procellis, non ferentem modò omnibus labores, & omnia pericula constanter, ac fortiter: sed aduentem etiam vltro, & plenè exposcentem pro tui Regis dignitate atq; gloria, vsq; eò quidem, vt nemo secundis suis rebus tã iucundè ad cõmodum et utilitatem suam perfruatur, quàm tu in turbulentis & asperis alacri animo versabare, quò fidei tuæ officioq; satisfaceres. Quod etsi iure ac merito pro tanti honore Regis faciebas, tamè rarū nos in te, propeq; inauditum fidei ac virtutis exemplum conspicientes mirabamur. Nunc aut si in portum peruectus es, insit uisq; commorari inter tuos, et ea artium optimarum studia quibus à pueritia mirificè fuisi deditus, in aliquo otio recolere: nuncio tibi me futurum socium eiusdem et voluntatis, & iudicij. Dedi enim me penitus & dicaui literis: neq; aliud quippiã iã cogito dies noctesq;, quàm quemadmodum possim veram & dignam Christiano homine immortalitatem consequi: cuius rei iudicium, & fructum etiam aliquem, velut otij mei primitias, celeriter, vt spero, in manibus es habiturus. Sed non audeo scribere de his nũc pluribus, donec sciero, vbi tu sis, quid agas, ecquam mei absentis memoriam beneuolentiamq; conserues. Quod vt facias, mihiq; aliquando aliquid de tuis rebus scribas, te vehementer etiam atq; etiam rogo: imprimisq; tibi vt persuadeas, nullum vnquam tempus fore, quo tuorum meritorum erga me, et nostræ mutue insignisq; beneuolentiæ, memoria moriatur. Vale. Carpent. XV. Cal. Martij, M. D. XXXV III

IAC. SADOLETVS EPISC.
 Carp. Gulielmo Bellaio Langæo
 S. P. D.

Non puto te mei oblitū esse, id enim humanitas tua mihi perspecta & cognita, & mea constans erga te voluntas suspicari vetat. Cum enim ego tantum te diligam, quantā literis exprimere non possum, & meus in te amor omnem verborū vim, & orationis copiā longè vincit: non duco posse hoc accidere in natura ingenua, & liberali, cuiusmodi tua est, vt posteriores in amando ferre partes velis. Quamobrem certus sum me tibi esse cordi, quē admodum quidem antea semper fui. Quod autē lacepsitus à me toties per literas, nullas mihi adhuc rescripseris, id occupationibus tuis totum attribuo: etsi vel versiculis abs te duobus, vt aliās tibi scripsi, poteram esse contentus: qui mihi amanti, cupienti, de te multum cogitanti, maximi muneris loco accidissent. Siquidem in illis imaginem & animi, & amoris erga me tui, cōplecti et osculari mihi licuisset. Sed quādo id praterijt, adest noua occasio, qua nauare mihi beneuolentiam tuam possis. Paulus Sadolet, fratris mei filius, is qui tibi has literas reddidit, adolescens est apprimē institutus artibus honestissimis, à meq; in filij loco diligitur. Is iam pridem flagrans cupiditate visenda Aule Regiæ, & ipsius Regis salutādi venerandiq; tā suo, quā meo nomine, hoc tempore à me potissimum dimissus est: quo mea quoq; intererat, aliqua perferri ad Regem meis verbis: ex quibus ille pluribus suis beneficijs in me iam collatis, animum meum erga se & memo-

rem et gratum cognoscere posset. Etenim iam dudū ve
 reor mi Langae, ne me rusticum hominē iā quendā, &
 parum vrbānum esse existimetis, qui officium iustum
 mehercule & debitum, ad vos isthuc veniendū, et corā
 memet Regi offerendi tādū distulerim. Sed eius me mei
 facti oppidō quā puderet, si aliqua in me resideret cul-
 pa, ac non totum hoc crimen fortuna sustineret. Quib.
 aut de causis vsq; adhuc retardatus sim, & quid potissi-
 mū velim in hoc tempore, cuncta ex ipso Paulo cogno-
 sces. Quem peto à te Langae mi suavisime, teq; ma-
 gnopere rogo, vt omni tua humanitate, tua in quā illa
 prestante atq; egregia, cōplectare. Nihil mihi omnino
 facere gratius potes, quā si in hoc adolescente quan-
 ti tu me facias, & quid mea causa cupias, ostenderis. Is
 à me habuit in mandatis, vt nihil omnino ageret, nisi
 de consilio tuo. Quamobrem eum totum suscipias oportet:
 et non solum illi introductor, sed monstrator etiam
 sis, & monitor, quomodo, & quando, aut ad Regem a-
 dire, aut reliquas eum res agere & tractare conueni-
 at. Hoc cum mihi feceris (vt dixi) gratissimum: tum
 tu virtuti & humanitati tuae seruiers, quemadmodū
 quidem solitus es: ipsumq; adolescentem dignum & si-
 de et benevolentia tua etiam experire. Nos hīc de nup-
 tijs tuis nescio quid audiimus, easq; plenissimas digni-
 tatis esse intelleximus. Id si ita est, quod quidem cupio
 esse, tibi eam rem feliciter & prospere euenire opto: ac
 Deum quaeso, vt eos ex te gignas liberos, qui tibi & vo-
 luptati, & generi tuo sempiterna laudi esse possint. Va-
 le mi Langae, & me vt soles dilige. Carpentoracti.

Diu est, quodd nihil ad te dedi literarum: non obliuio
 ne amicitia nostra, sed quod cum nihil haberem q̄
 scriberem tua lectione dignū, nullas volui potius, quā
 inanes esse meas literas. Nunc verd cum se mihi occa-
 sio, & propè dicam necessitas quadam obtulerit scriben-
 di ad te, libenter hac oportunitate sum vsus. Etenim
 quibus in rebus egere mihi videor cum eruditi hominis
 doctrina, tum amici fide, tu mihi statim occurris ad v-
 trunq; aptus, cuius iudicium & integritas à me maxi-
 mi aestimetur. His diebus absolueram commentarium
 in Psalmum XC. sanè maximo cum labore atque cura,
 quod mihi serè scribenti semper accidit, vt propter te-
 nuitatem ingenij omnia difficillima esse videantur. Eū
 librum cum cuperem communicare tecum, & cum ali-
 quot viris doctis, vt quā maximè emendatus in ma-
 nus hominum exiret, difficultate librariorum sui retar-
 datus, quorum est incredibilis in his locis inopia. Itaque
 ad impressores me necessariò contuli, ne nunquam quic-
 quam ederem quod laude dignum esse posset Nam cum
 non insistendum mihi in hoc vno opere sit, sed ad alia,
 Deo bene iuuante, progrediendum: visum est fore vtile
 mature intelligere, quid quisq; in hac lucubratione mea
 prima ex me requirat, vt ex his, in quibus iure nunc re-
 prehendar, in alijs posthac cautior & sapientior fiam.
 Hac spe & fiducia libello exitum permisi, eumq; euesu-
 gio nisi ad te: vt siue tibi probaretur, singularem ani-
 mi laetitiam ex hominis doctissimi, atq; amicissimi ap-
 proba-

probatione acciperem: sine minus probaretur, tua castigazione & monitis in posterum fierem melior. Quorum utrumuis ita mihi gratum futurum est, ut utrum malim nesciam. Utile est reprehendi, cum erres: Iucundū laudari, præsertim à laudato viro. Sed si hi sumus, qui esse debemus, hoc est veri rectiq³ cultores, potior esse debet voluptate utilitas. Quamobrem à te peto, idq³ maiorem in modum, ut cum hac nostra leges, reperiesq³ aliquid quod tibi non satis probetur, sensumq³ acris iudicij tui aliqua in re offendat, ne parcas monere & reprehendere me, fidemq³ amicitia, quam à te sanctissimè seruari non dubito, in hac re mihi potissimum præstes. Ut enim dico, si minus in hoc volumine, quod iam editum est, at in alijs ad quæ ego me paro, plurimum mihi & tua eruditio proderit, & autoritas. Tibi equidem hoc confirmo, me in hac scriptura & lucubratione mea, non tam meam spectasse laudem, quam eorū utilitatem, qui legent: si fortè in hac tanta vitiorum ubertate, quibus hodie terrarum orbis laborat, aliquid ferre opis possim labenti iam, & graviter affectæ religioni Christianæ. Quod optatum etsi maius multo est, quam ut conueniat meis viribus: per quos tamen vult, omnia quecunq³ vult, & potest, & potuit semper omnipotens Deus: qui à pecore pascendo, & à sycomoro, reges populo suo & prophetas accersuit. Cuius nos honori, & nomini toto animo inseruientes, satis habituri sumus, si cui inter legendum nostra, aut Dei ipsius omnia intuentis timor solito maior, aut acrius desiderium rectè faciendi incesserit. Sed de his satis. Tu ut

me diligas, tibiq³ persuadeas, te à me & coli summopere, & amari, magnopere à te peto. Vale. Carpentorastri, Calend. Martij, M. D. XXX.

IAC. SAOLETVS EPISC. CARP.

Aug. Grimaldo Episc. Grassæ S. P. D.

Omnibus in rebus tuus amor erga me semetipsum ostendit: quod etsi mihi est peroptatū, re & factis sapius apparere quantopere tu me diligas: tamē quōd tibi nihil adhuc possum reddere præter benevolentiam, & memorem pro tuis iam pluribus officijs erga me voluntatem: aliqua cura afficior, ne cui indignus talis viri tanto erga me studio esse videar. Quod ego à te peto, ut ne ita credere animum inducas. Crebrior tibi, & felicior data est occasio bene merendi de me, & propter amplitudinem potestatis, & propter excellentiam virtutis. In quo verò & fides agitur, & officium, & fidelis amicitie firma coniunctio, mori millies malim, quàm quoquā in eo esse inferior. Sed quorsum ista? Paulus fratris filius, quem ego mihi pro filio duco, nuper reuersus ad nos, mihi narrauit, quo pacto fuerit acceptus à te: ut non solum amorem, quo me prosequeris, sed humanitatem etiam, et liberalitatem tuā, quæ summa est, totam effuderis in eū: aliquotq³ locis ea de me presentibus audientibusq³ compluribus dixeris, ex quibus perspicuè pateret, & quantum me amares, & quā amice de me atq³ honorificè non sentiret ipse solū, sed alios etiam velles sentire atq³ existimare. Hæc tua recentia officia: quæ alijs iā plurimis accumulata sunt, si obliuisci aut dissimulare velim, ingratus & nefarius: si ver-

si verbis compensare, ineptus sanè existimer. Sed in re difficili ad capiendum consilium & dubia, malui tamè scribere ad te aliquid, & gratias tibi agere, quàm omnino me videri mutum. Eas igitur tibi et ago & habeo quàm maximas, habiturusq; sum semper, donec vita superabo mea. Et quoniam alia mihi non est de te bene promerendi facultas: illud quod sperare nonnihil posse mihi videor, si hoc ocium quo nunc fruor, Deus mihi fortunabit, tibi polliceor, me omnem operam daturū, vt & tua eximia virtutis, & mea erga te summa benevolentia ac voluntatis, aliquod non obscurum iudiciū prodatur posteritati. Sed & hoc parum est, & tu multò maioribus es dignus. Nos tamen id quod possumus libenter præstabimus, in quo animus tibi noster, non res ipsa est spectanda. Vale, & nos amare ne desine: tibiq; persuade vicissim, te à me non amari solum, sed mirabiliter etiam obseruari, & coli. Carp. XV. Calen. Octobris M. D. XXIX.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-
LARVM LIBER V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Ioan. Saluiato S.R.E. Cardinali, S.P.D.

Cognoui ex literis meorum, id quod mihi magnæ voluptati fuit, te saluum ad urbem, & ad Pontificem Max. reuertisse: atq; vtinā vt virtus tua mihi planè perspecta & probata semper fuit, sic habeat lo-



tum his duris temporibus, quo Reip. & ecclesiastica auctoritati possit esse adiumento. Quod tamen confido fore, fretus prudentia tua, & optimi Pontificis sapientia atq; consilio. Ego cum tu etiamnum in Gallia esses, memoria teneo, me tibi scripsisse, excudi à me nescio quid in sacris literis: & simulac absoluissem, cōtinuò tibi misurus essem. Id nunc mitto, commentarios videlicet in psalmū XCIII. aliquanto serius, quàm volebam: quòd expectatio mea quoad scirem vbinam locorum cōstitis ses, studium mittendi meū retardauit. Nā quin tibi in omni laude doctrinae ac literarum plurimum tribuā, ne tu quidē dubitare quicquam potes. Nosti enim iam diu animum meum erga te, & perpetuum iudicium, quod ego cū de ingenio tuo, tum de praestantissimis virtutibus, omniq; tua integritate & modestia semper feci. Quae hoc maiora ornamenta putanda sunt, quòd rariora in hoc tempore cernuntur. Itaq; gratū quidē mihi fuerit tibi probari lucubrationem meam, si tamen probanda sit. Verūm illud quoq; gratius, me abs te admoneri, si quid inerit quod reprehensione dignum esse videatur. Tendenti enim mihi ad similia alia, admonitio tua praecipi in posterum, & doctrinae apud me locum obtinebit. Sed de hoc satis. Reliquum est, quod ego nescio quam obrem hesitem petere à te, cum à tali viro, eodemq; patrono ac defensore tum meo, tum meo rē omnium, si qua opus sunt, audacter postulanda sint: neq; tamen (vt ego arbitror) mea modestia in petendo fines transiliam. Habeo sororis filium de tuo Ferrariensi populo, Paulum Sacratum, bene ac liberaliter edu-

eductum, optimisq; institutum & moribus, & literis: qui mihi cordi vehementer est, & propter necessitatē sanguinis, & multò magis, quòd ex indole bona virtutis ac ingenij spem de se maximam omnib. nobis assert. Is ecclesiasticam sectam secutus, dedit in sacrā militiam nomen, & à me iam pridem sacerdotio quodā donatus fuit. Verùm pater eius Ioan. Baptista, cuius tibi virtus, pudor, integritas, nota est, tam multorum liberorum onere premitur, ut nequaquā id illi subsidij satis sit. Quare cum ipsius Pauli egregia indoles, & optimarum artium ac literarum studium, tū domus illius ac familia nobilitas digna est, quā tu tua humanitate ac liberalitate cōplectaris. Feceris igitur rem tua virtute vehementer dignam, si sacerdotio alio quodam in ipsius patria illi deferendo eum iuueris, quòd & studiosius colere bonas artes, & patris fratrumq; onera, quae multa & magna sunt, queat subleuare. Quod ego à tua amplitudine vt efficiat summo opere cōtēdo atq; impetris, si tibi videatur, vt eum in illius Ferrariensis ecclesiae canonicorum, quos vocant, collegium ascribas. Erit hoc mihi ex multis tuae erga me benevolentiae indicij maxime gratum, prorsusq; honorificum. Tu verò cum illam familiam honestaris, in bonoq; statu collocaueris: tum egregiam illam, quae de te est, et de tua singulari sapientia ac religione, confirmaris opinionem: tanquam sic statuas, sacerdotia, non ad temeritatē & arbitrium efflagitantium, sed ad ornandos homines idoneos, & ad bonorum mentes studio virtutis ac doctrinae accēdendas, dispensari oportere. Ego si hoc (vt spe-

ro) impetraro, maximo me abs te affectū beneficio, & perpetua debitione gratia tibi deuinctum esse arbitror. Vale mi Patrone, et patre tuum charissimum virū meis verbis saluere iube quā plurimum. Carpent.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Ioan. Saluiato Cardinali, S.P.D.

SAepius mihi iam contigit, vt ad te scriberē, aliquos tibi commendans: quod & dudum in sororis meae filio feci, cum petij abs te, vt quoad commodo tuo fieri posset, aliquo eum sacerdotio in patria sua honestares. Et proximè his literis, quib. commendauit tibi causam meorum populorum, quorum est mihi salus, & meae fidei potissimum ab Deo credita. Sed verè hoc loquar, tuum in me studium, et praestans in omni genere humanitas, longè vicit expectationem meā. Sic enim ex eorum literis intelligo, nullum tibi dari locum declarandi amoris tui erga me, quin id ita aperte prolixèq; efficias, vt facile appareat, tibi esse cordi & voluntatem, & commendationem meam. De quo gratias tibi ago quantas possum maximas, atq; vtinam referre possem: eundem me re ipsa esse erga te experirere, quem oratione pra me fero. Sed crede mihi, si amor, si cultus, si obseruantia, si tuarum plurimarum, earūdemq; praestantissimarum virtutum praedicatio, aliquam partem obtinet referenda gratia, te nullum meum officium desideraturum, quod proficisci ab homine gratissimo possit: daturumq; me operam, quantum in me erit, vt qua tua sit integritas, quod ingenium, quae virtus, & in conseruandis ac tuendis clientibus, etiam absentium, & vete

veterum amicorum fides, non praesens solum aetas,
 sed etiam futura intelligat. Non enim parua laus, sed
 meo quidem iudicio omniū prope maxima: homini po-
 tenti, & maximis opibus praedito, charam praecipue
 esse & humanitatem in omni agenda vita, & in tuen-
 dis amicitijs fidem: atq; hoc maior, quod rarior. Verum
 haecenus de his: vberiore enim ea orationem deside-
 rant. Quod ad sororis filium attinet, accipio excusatio-
 nem tuam, & in seruandis promissis virtutem animi,
 constantiamq; collaudo. Cum autem poteris, cum erit
 tibi commodum, tunc de eo cogitabis, si voles, & si tibi
 pro liberalitate tua, amplectenda probitas adolescen-
 tis, & ad optimas artes ad quas propensa est, adiuuan-
 da esse videbitur. De meis quidem populis te rogo atq;
 obtestor, vt cogitationem aliquam suscipias. Incredibi-
 le dictu est, quantopere eos diligam: in quo mihi ab il-
 lis refertur gratia. Non enim suam penes salutem mea
 ipsi salute habent chariorem. Sed tamen multis iam du-
 dum incōmodis affecti, & inter nationes externas quasi
 exemplum quoddam praeserentes, quid sit sub aequita-
 te & ditione Romana ecclesia viuere: digni sunt, qui-
 bus maiore cum indulgentia imperetur. Itaq; ego nec
 tot procuratorum ac iudicum missionē, nec minas for-
 midinesq; probo, quibus hominum mentes à uoluntate
 obtemperandi potius abducuntur. Ecclesiastica man-
 suetudine agendum cum illis est: id quod etiam magis
 puto profuturum. De quo si tibi videbitur, vt cum sum-
 mo Pontifice loquar, aliquidq; ad me quàm primum
 rescribendum cures, magnopere à te peto. De meo ad
 vrberē

urbem reditu, quem tu iam pridem exoptare videris, agnosco equidem benevolentiam tuam. Veruntamen confirmo tibi, si quis vsquam est, quem sui status minime peniteat, me eum esse. Nullam enim rem possim optare de eis rebus, quae ad sedandum animum pertineant quam non mihi penè vltro diuina bonitas obtulerit. Absunt opes à me, & eximij illi honores, & concursus hominum negotiorumq; : quibus ego in rebus nullam nuquam partem beatae vitae repositam esse putauis. At multa adsunt, quae ego statuo esse potiora: pax animi & tranquillitas, & mens mediocribus contenta rebus, tum amor cūctorum qui circum me sunt: imprimis verò studiorum, & literarum voluptas, ac delectatio: quae & maxima est, & latam & rectam ad immortalitatem munit viam. Deniq; si mihi vitæ ratio esset ex omnibus vna eligenda, ea quae maxime faceret ad felicitatem: non videor aliam fuisse electurus, quam hanc quae mihi singulari Dei beneficio nec opinanti tributa est. Quamobrem redeundi istuc quidem meum nullū consilium est. Sed mens certè et voluntas summo pōtifi ci & Sanctae istius sedis honori & autoritate vehementer dedita, tuūq; imprimis peramās: quem ego patrēq; vna tuū virum clarissimū, atq; vniuersam familiā uestram, omni semper studio & obseruantia sum profecutus. Quae in sententia etiam quoad viam permanebo; nec vllō vnquam loco, aut sedes à me apostolicae boni episcopi, aut vos amicissimi ac benevolentissimi hominis officium requiritis. Vale. VI. Calend. Martias M. D. XXXI.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Iohanni Saluiato Cardinali S.P.D.

Um in omnibus dictis factisq;, qua tu pro me vn-
quam, aut mecum egisti: tum verè in his precipuè
literis, quas proximè accepi à te, omnis tua humanitas
patefacta mihi est, plena amicissima erga me volunta-
tis. Nam & comprobatio tua mei de Paulo iudicij, ve-
hementer grata mihi extitit. Et quod tu eum in amorè
tuum, & in familiaritatem tam libenter receperis, id
quoq;, intelligo meo amori te fuisse datum. Quàquam
meum quidem de eo testimonium, illius actionibus, in-
genio, modestia, apud te confirmatum esse summè gau-
deo. Certè enim aut nemo est, aut omnino perpauci,
quibus meas actiones atq;, consilia, equè ac tibi proba-
ta esse cupiam: quem ego & propter insignem pruden-
tiam, ac integritatem, omni honore cultuq;: & pro-
pter enimum eximium erga me incredibili quadam be-
neuolentia prosequor, atq;, complector. Quod autem
scribis gratum tibi à me fieri, quod nomen tuum meis
scriptis concelebrare sim aggressus: non est de eo cur
mihi gratiam debeas. Ego enim id reputās quod verū
est, ex tuo nomine & commemoratione clarissimi atq;
ornatissimi viri, omniq;, virtute præstantissimi, non pa-
rum luminis in mea scripta deriuatum: suscepi negoti-
um non tam tui (non enim virtus tua eget testibus) quā
mei honoris causa: atq;, vt litera mea, qua sua sponte
obsoletiores sunt, tua & autoritatis, & laudis gloria
illustrarentur. Nec me tamen oblitum existimes velim.
eius orationis, quā habui tecum, cum tu apud nos Car-
pen-

pentoracti esses. Non enim si in alio argumento nunc
 versor, illud propterea abieci, quod tibi ostenderam me
 suscepturum esse. Sed cum & difficilius illud opus, &
 longioris multo temporis existeret, nostra autem festi-
 natio amoris mei erga te aliquo indicio tibi declarandi
 moram tantam non ferret: ad id elucubrandum me co-
 uerti, quod videbatur mature confici posse. A quo tamen
 ipso & hyemis asperitate, & tenuitate mea valetudi-
 nis aliquandiu sum retardatus. Sed repetam cursum, ut
 opinor: hoc quoque acrius instabo & conitar, quod maior
 mea cupiditas perficendi facta est. Tua in mea sororis
 filium propensa beneficamque voluntas gratissima mihi
 est: eaque cumulum avertit tuis erga me meritis, quibus
 iam plurimis tibi sum obstrictus. Ego tuis literis serius
 respondi, quod cum te Neapolim profectum esse consta-
 ret, de reditu tuo ad urbem nihil ante hoc tempus au-
 dieramus. Vale. IIII. Cal. Aprilis, M. D. XXXVI.

IAC. SADOLETUS EPISC.

Carpent. Alberto Pio Carporum

Principi, S. P. D.

Nollem te existimare, aut negligetia fieri mea, aut
 oblivione nostrae veteris amicitiae, ut raras ad te
 dem literas: non enim ea causa est. Sed tui saepe numero
 summa cum benevolentia memoriam recolens, habeo
 tamen & temporis, et valetudinis tuae rationem. Nam
 & duriores adhuc res tuae, quam tua virtus & digni-
 tas postulabat, me saepe conantem scribere retardarunt:
 non habentem praesertim opis atque auxilij aliquid, quod
 tibi possem asserre. Et in valetudo tua ita mihi molestae
 est,

est, ut non tu interdū corpore grauius affecto sis, quā
 ego tua causa perturbato sim animo. Quod cū com-
 munis humanitatis est, aliorum incommodis commoue-
 ri: tum verò beneuolentiæ proprium, æquè ac suis. Sed
 te quamuis iactatum fortuna iniuria, & valetudinis
 imbecillitate laborantem, tua tamen grauitas sapien-
 tiæq; consolatur. Etenim multa tibi in te ipso præsidia
 sunt aduersus tales casus comparata, literarum, inge-
 nij, philosophiæ, atq; in omni genere rerum agendarū,
 consiliorumq; & capiendorum & dandorum pruden-
 tia, summæq; autoritatis. Quibus rebus fit, ut tu in ad-
 uersis multo maior appareas, quā in secundis hi, qui
 existimationem bonam ab hominib. nec dignitate me-
 reri, nec per virtutē consequi potuerunt. Accidit, quod
 isti omnium maximo & præstantissimo Regi confido
 magna cura esse quietem et tranquillitatem tuam: qui
 ut liberalis ac benefici erga omnes, sic grati aduersus
 de se bene meritos summam iam dudū laudē obtinet.
 Sed ut hæc tibi possūt esse solatio, quæ à me dicta sunt,
 etsi qua alia sunt huiusmodi ad firmandū animum ap-
 ta atq; accommodata, sic te experiri non dubito, id quod
 ego quoq; facio, in cunctis casibus humanis, maximum
 et certissimum perfugium esse Deum. In quo qui ratio-
 nes & spes suas collocant, hi placatam in omni fortu-
 na, & letam præcipuè degunt vitam. Equidem quod
 ad me attinet, cū ipse quoque fuerim multis (ut tute
 scis) fortune iniurijs incommodisq; affectus: patrioq;
 relicto solo, in alienas & pene ignotas regiones me con-
 tulerim: tamen hoc vno solatio semper maximè susten-
 tatus

tatus sum, quod Deo certo reputans nostra cura esse, cetera ferenda omnia fortiter & patienter duxi. Quā quidem rationem & persuasionem meam (si tamē persuasio, ac non certissima potius sciētia appellanda est) ut ne sola cogitatione, sed scriptis etiam & literis usurparem: confeci his mensibus commentarium quendam in Psalmū XCIII. sinē quā laboriosē, quō enim meum tenuius est ingenium, hoc mihi maior in scribendo cura ac diligentia adhibenda est. Sed cum viderer in Psalmo illo multa perspicere lumina iustitia & providentia summi Dei: at a tem aut nostram intuerer (dubitatione credo, et quasi dissidentia rerum divinarum) in tanta & scelerū & heresum, ac propterea etiam calamitatem velut tempestate iactari: suscepi negotium ut quoad possem Deo adiuvante, aliqua de ipsius altissimis consilijs explicarem: per quā & veritas magis hominibus illucesceret: & qui iam aberrassent à via recta ad iter, si vellent, tutum converterentur. Qui meus labor, quid alijs profuturus sit, ignoro: me quidem certē non parum consolatus est, valdeq; confirmavit. Tibi vero ipsi quanquam domi tuae ista iā trita sunt, vel vberiora etiam, & præstantiora multo, quā tu in tuis habes doctrina & sapientientia thesauris recondita, tamē unum volumen pro amicitia duxi esse mittendū: ut si fortē tu alijs curis impeditus, minus hæ ipsa cogitare in presentia posses, mea sedulitate facilius admonerere. Sin hoc nihil fuisset necesse, ego tamen fungerer officio amicissimi ac benevolentissimi: neve scriberē quicquam talium rerum, quod non ad tuum arbitriū iudiciumq;

ciumq; deferrem. Vale, & nos tui amantiſſimos dilige
XV. Calend. Auguſti, M. D. XXX.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Rodolpho Pio Epiſc. Fauentię S. P. D.

Post acceptas literas tuas, quas vnà cum indice libro-
rum tuorum iamdudum ad me miſiſti, cū me ad re-
ſpondendum pararem, gratiasq; tibi agere inſtitue-
rem, quod laboris tantum mea cauſa ſuſcepiffes: factus
interim ſum literis amicorum certior, legationem tibi
in Galliam decretam, teq; primo quoque tempore iti-
neris faciendi cauſa Roma exiturum eſſe. Quæ res me
tenuit, quò minus ad te tunc darem literas, veritus ſcili-
cet, ne, ſi ad vrbem miſiſſem, te minimè ibi conuento,
meus irritus labor & inanis diligentia exiſteret. Nunc
cum arbitror, te (non enim certi quicquam poſtea hac
de re cognoui) iam eo perueniſſe quò fueris miſſus:
eaque munera apud Regem obire, quæ tibi mandata
ſunt: non exiſtimauit hoc à me officium iuſtum ſanè &
debitum differendum amplius eſſe, quin & ſcriberem
ad te, & tibi agerem pro tuo ſingulari erga me ſtudio
gratias. Eſt enim tua in me beneuolentia cum alijs ſæ-
pe locis atq; temporibus, tum verò in hac cura & cogi-
tatione copioſiſſimi indicis mittendi mihi planè perſpe-
cta: cum ea præſertim illud quoq; indicet, nihil in tua
inſigni bibliotheca ſic tibi ſepoſitum eſſe, quod non idè
mihi commune eſſe velis. Atque ego quidè hoc animo
ſum, vt liber alius mecum agi arbitrer, ſi quis mecum li-
bros ſuos, quam ſi diuitias communicet, quanto ſcilicet
doctrina & ſapientia, quàm auri præſtantior & præ-
cioſior

ciosior est possessio. Itaq; nullo maiore beneficio cuiquã
 homini possum esse obstrictus. Cuius quando mihi copi
 a & facultas abs te parata est, vtar equidem ea cum fu
 erit commodum, & cum tu ad tuos reuersus fueris.
 Interea autem quod mea gratissima natura memo
 risq; voluntatis propriũ est, & gratias tibi ago, & me
 eo nomine non mediocriter tibi deuinctum cõsitor: hu
 iusq; mea erga te voluntatis declaranda, si res tẽpusq;
 tulerit, occasionem vtq; non prætermittam. Et quoni
 niam qua cõpisti erga me liberalitate, eadem agere vti
 pergas, cum mea spes de te, tum tua imprimis virtus et
 constantia postulat: peto à te pro nostra amicitia, si in
 Regia es, inq; illis negotijs iam versaris: cum mihi ibi
 dem agenda res quadam sit, ad ius ecclesie mea magno
 pere pertinens: hominẽ mihi vt comperias & exercita
 tum, & fidelẽ, qui tibi notus aut familiaris etiam sit, et
 cui ego meum negotium cõmittere tutò possim. Nam
 quominus dedita opera hinc aliquem mittã, rei dome
 stica angustijs sanẽ prohibeor: & tamen confido, tua au
 toritate & gratia, quod cupiam, a quẽ cõmodè hoc mo
 do posse consequi. Quod vt factas, mihiq; aliquid de
 eo rescribas, magnopere te, omniq; animi studio rogo
 atq; oro. Vale. Prid. Idus. April. M. D. XXXV.

IAC. S ADOL. EPISC. CARP.

Francisco Guicciardino. S. P. D.

ET si ego te semper antea amaui, tuamq; industriam,
 consilium, animi virtutem plurimi feci: tamen cum
 modo venisset ad me Alfonso Sadoletus frater, mul
 taq; mihi de te narrauisset, qua insignem tuam quandã
 erga

erga presentem eum, meq³ absentem benevolentiam, tum autem optimum in nostram omnem familiam animum declarabant. Crede mihi, amore eo quo te pridē diligebam, vehementius etiam sum inflammatus, magnaq³ mea opinioni accessio de te facta est: quod perspexi fidem amicitia, quae inter presentes quoq³ raro admodum colitur, eam à te erga absentes sanctissimè conseruari: quo genere laudis vix vllum meo iudicio reperiri maius potest. Atq³ ego, qui cum a deram istic, vivebamq³ vobiscum, tuoq³ interdum aspectu & sermonibus perfruebar, sauebā tibi maiorem in modum, magnisq³ gerendis rebus hominem te imprimis idoneum esse arbitrabar: nunc altero hoc tuae virtutis & humanitatis praeclaro testimonio confirmatus, habeo iam nō quae laudem in te solum, ac diligam, verum etiā magis quae admirer: quāto scilicet maiore admiratione digna virtus ea est, quae prudentium bonorumq³ iudicio, quāam quae popularibus laudibus expenditur. Quod si in eisdem locis, eisdemq³ in negotijs, quod serè antea faciebamus, versari vtrunq³ nostrum contingeret: declararem tibi profecto benevolentiam meam: omnibusq³ meis dictis factisq³ ostenderem, quāam mihi chara esset & necessitudo nostra, & dignitas atq³ amplitudo tua: nullumq³ à me officium nec fidelissimi amici, nec coniunctissimi hominis desiderares. Sed quoniā longè absūm, magnisq³ locorū interuallis distracti inter nos sumus: cetera quidem amicitiae officia tibi ex me prompta esse non possunt, quae corāam praestari solita sunt, & expectari. Illud vnum vero, quod vel precipuum est, &

reliquorum omnium longè primū, à me certè non deerit: quo tuum semper nomen in intimis sensib. geram, conseruemq̄, memoriā tui, et te colam beneuolentia sempiterna. Etenim cetera, amoris signa, & indicia quaedā sunt: hic est ipse propriè amor, qui ea fide & veritate tibi à me prestabitur: ut nunquam tu, quæ in me atq̄, meos studia contulisti, ea tanquam in indignos collata, sis reprehensurus. Ego tanquam procul absum à vestris grauiorib. istis actionibus atq̄, curis, quæ sonitum, atq̄, turbam, et pompam quandam præ se ferunt: habeo tamen & ipse hīc quoq̄, delectationes meas, qui bus tranquillo animo mirificè fruor: quòd assiduus sum in studijs artium optimarum, & præclarissimarū: quæ me tanta iucunditate afficiunt, vt nihil omnino sollicitudinis neq̄, molestiarum ad animum meum sinant intrare. Quam ego vitam etiam si minus illustrem, aliquanto tamen beatiorem esse iudico. Sed de his aliās. Reliquum est, vti te rogem, vt quam iam pridem erga me suscepisti, in eadem perpetuò maneas voluntate: meosq̄, tueri tua beneuolentia non desinas. Vale. Carpent. XIII. Calend. Aprilis, M. D. XXXIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. PAV-
lo Iouio episcopo Nuceriæ S. P. D.

Et si mihi dubium nunquam fuit, quin abs te summo pere diligerer: tamen & literæ tuæ plenissima amoris atque officij, & ea quæ tuis verbis Polus ad me detulit, quæq̄, ipse præterea commemorauit de te, planius mihi ostenderunt, tibi esse cordi & quietem & dignitatem meam: atque ea quæ quotidianis ex lucubra-

tioni-

tionibus à me proficiſcantur, pluris à te eſtimari propter amorem, quàm fortatſe digna ſint. Quam ego tuam erga me volūtatem, ne viuam mi Paule, niſi omnium rerum habeo chariſſimā. Nam cū tu ſingulari doctrina, virtute, eloquentia præditus, is vir ſis, vt tuum de quoque iudicium maximi fieri debeat: tum verò incredibilis illa comitas, et quadam rara iucūditas, quæ tibi à natura data atq; inſita eſt, facit vt nihil te fieri poſſit amabilius. Ex quo facile poteſt eſtimari, quantum ego mihi ornamentum in tua amicitia eſſe conſtituam: cū & propter ingenij ac doctrinæ præſtantiā, me ornare, & propter humanitatem ſuauiſſimam, naturæ delectare etiā poſſis: non nolis autem vtrunq;: cuius quidem tui animi erga me plura habeo indicia ac teſtimonia. Sed accidit præteritis temporibus, vt cū & tu meam conſuetudinem appeteres, & ego tuæ eſſem ſitientiſſimus, potentioribus tamen concedere fuerit neceſſe, qui te totum ſibi arripuerunt: cū tamē inter nos ſalua ſemper manſerit amicitia coniunctio. Non enim ego vnq̄ permiſi, neq; permiſurus ſum, vt tu in amore me vincas. Multa me adducūt, vt neminē te pluris faciā, paucos pari atq; te beneuolentia proſequar. Sed eo nihil eſt ad meum vinciendum animum arctius, quòd me à te amari intelligo. Eius rei duo ſigna habeo certifiſſima: vnum, quòd locorum diſiunctio non imminuit beneuolentiā: alterum, quòd me tuis quotidie ſcriptis condecoras. Quæ ſi hoc ſolū afferrent, vt teſtificarentur te de me ſepiſſimè cogitare, ferreus nimirum eſſem, niſi te amarē efflictim, ferremq; aſiduè in oculis.

Cum verò scripta tua eiusmodi sint, vt immortalitatem mihi polliceatur: quid aut tuo hoc in me officio maius, aut mea in te beneuolentia debet esse flagrantius? quàm ostendam equidem tibi aliqua in re, mihi crede: & si defuerint cetera, eodem te genere remunerabor: euentu fortasse impari, pari certè studio ac voluntate. Itaq; & alia tantisper studia intermittam, sicuti tu mihi suades, et ad philosophiam me referam, quem admodum idem tu mihi es autor: omnibusq; in rebus tuo iudicio atq; consilio vtar libentissimè. Vtinam liceret nobis esse vnà. Sed quando diuersis non solùm locis, sed etiam opinionibus remoti absumus, quòd ego in portu libenter maneo, tu illis adhuc vndis & fluctibus delectaris: epistolis misit andis inter nos assequamur, vt nūquam non esse vnà videamur. Quod te oro mi Paule suauissime, vt in eo me non deseras. Nihil mihi potest esse dulcius, quàm aut loqui tecum, quod iam ereptam est: aut tuas legere literas, in quo morem mihi gerere tua est potestatis. Quapropter tu qui omnes venustatis atque humanitatis articulos tenes, noli pati (obsecro) me hac tanta & tam exoptata voluptate tuarum literarum carere. Vale, & nos dilige, tibiq; persuade, te à me mirabiliter amari. Carpentoracti.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. IO.

Francisco Ripæ Iurisconsulto S. P. D.

TVa præstans doctrina, & summum ac singulare ingenium, quod non modò in hac iuris ciuilibus laude ac scientia, sed omnibus bonis in literis artibusq; excellit: faciunt, vt quicquid proficiatur à te, id non solum

Tum utile & commodum, sed etiam optabile omnibus
 esse debeat. Cum verò nuper voluminibus quadragin-
 ta editis, viginti interpretationum, totidemq; respon-
 sorum, omnem ferme ciuilem prudentiam explicare
 & proferre in medium institueris: remq; totam, qua
 nulla ferè subtilior, neque enucleatior excogitari pos-
 sit, summo studio & cura, summis laboribus vigilijsq;
 confeceris: diuq; sub eadem expolitam lima adhuc con-
 pressam domi continueris: quid mirum mi doctissime
 Ripa, si ego, vt eam aliquando ederes: & ad publicam
 utilitatem inuulgares, non hortator solùm, uerùm etiã
 rogator accessi: cùm de tuo præcellenti & admirabili
 ingenio sentiens id quod necesse est, non aequo ferrem
 animo, tamdiu differri commune omnium doctorum
 & bonorum virorum commodum, cùm præsertim ex
 eo egregia quadam laus & expetendus honor mihi
 ipsi quoque pareretur? Quo quidem nomine duplices
 tibi ago gratias: vnas cum cæteris hominibus commu-
 niter, quod ipse quoque tuis eruditissimis laboribus &
 monumentis ad fructum meorum studiorũ vsurus sum:
 alteras proprias iam & singulares, quòd sum hoc tan-
 to abs te & tam præclaro munere honestatus, quo me
 um nomen per tua scripta commendari immortalitati
 voluisti. Cui muneri si referri ea gratia posset, quã ego
 libenter redderem, crede mihi, cognosceres & experi-
 rere, in hominem memorè & gratum tua te officia &
 studia contulisse. Sed in hoc etiã tua humanitas & for-
 tuna illustrior fuerit, quòd ea dare potuisti, quibus par
 recipere mihi posses. Ego tamen ad eam beneuolentiã

qua te semper maxima complexus sum, & ad id iudicium, quod de tuis ingenij & doctrinae ornamentis eximium semper feci, adiungā vinculum officij & obligationis, qua tibi perpetuū deuinctus futurus sum: quantum hęc quoq; ipsa in vero amore & fideli amicitia, qua iam pridē copulati sumus, satis per se omnia insunt. De cetero quicquid ab utroq; nostrum in alterū profectum fuerit, id non nouam constituere, sed veterem & mutuā beneuolentiā nostram declarare videbitur. In quo ut tecum omnibus officijs certē, ita adnitar, ut siue victor, seu victus, in eadem & pari laude utrunq; sim positurus, quando non vinci beneficijs quibus plerunq; tempus & fortuna occasionem dant: sed in amore, & fide amicitiaē inferiorem esse, id probo viro maximē sciendum est. Tu valebis, & perges quae praclarē instituta sunt, ea quā primū emittere: meq; amabis, si tamen te à me vnice amari vere existimas. Vale, Carpentoracli XVI. Calend. Octob. M. D. XXVII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Lazaro Bonamico S. P. D.

O Gratas tuas mihi: iucundasq; literas: quae etsi tardissimē ad me perlatae sunt, (scriptae enim V. Idus Maias, extremo ferē Octobri mihi sunt redditae) tamē quod primae mihi de te, & de tua nihil commutata erga nos voluntate optatissimum nuntium attulerunt nō dici potest qua à me letitia & gratulatione fuerint acceptae. Nanque scito, has vr̄as mihi abs te post nostrum digressum ex vrbe fuisse redditas: per breues illas quidem, sed plenas officij, suauitatis, beneuolentiae: quibus
etiam

etiam præsertim liber adiunctus fuit, & propter philosophiam gratus, & quod à te profectus, est aliquanto gratior. Agnosco enim prædicatione tua esse factum ut ille mihi honos potissimum haberetur. Tu enim facis tuo grauissimo testimonio, ut nos aliq̄d esse uideamur: cum ea sit de tua eximia doctrina, singularique iudicio apud omnes homines opinio, ut quem tu laude coonestas tua, de eo non possit nisi honorificè & amplè iudicari. Agerem gratias si hoc non alienum nostra familiaritate esse existimarem. Sed perinde sit atq̄, si essent acta. Ad Franciscum Afulanum dedi literas, gratissimū mihi illius munus, multoq̄, magis quod de me facit iudicium, fuisse significans: conaturumq̄, me, ut referā gratiam, si occasio fuerit. Quod idem illi abs te ipso cōfirmari, teq̄, meæ naturæ memoris atq̄, gratæ, apud illum testē, & si opus sit, etiā sponsorem esse opto. De me autem, mi suauissime Lazare, sic habeto, nihil aliud iam mihi esse in optatis, quàm quo pacto queam hoc, quod mihi reliquum est tēporis, totum in optimis artib. studijsq̄, consumere. Multa adhuc me impeditū tenuerūt, quæ ego partim iam remissiùs curare cœpi, partim penitus abieci: ut tandem aliquando solutus & liber, in hęc unam curam me conferrem. Itaq̄, mihi ipsi non desum: assiduè lego, scribere etiam sum ingressus nescio quid: quod quidem si processerit ex sententia, maiore animo ad reliqua sum perrecturus. O si te haberem, quos mihi spiritus tuus ille doctissimus sermo, et familiaris uultus excitaret? Paulus mihi in studijs mirificus comes, rari alij, vel potius nulli: quāquam Auenione est Alcia

tus, vir omni cultissimus doctrina, mihiq³ amicissimus: nonnulli praterea, sed pauci: verū vt iam sint qui mirari incipient, & contentur idem facere. Cum Fregosio nostro frequens nobis scribendi commercium occupationibus distinemur, quo minus vnum in locum conueniamus. Hæc quod ad doctorum hominum consuetudines attinet. Cætera sanè iucunda & placata. Ora hæcquā incolimus, ventis paulò infestior: cætero quin amabilis, & imprimis amœna est. Nos hortos suburbana sic diligenter instruimus & ornamus, vt appareat in illis spem omnem ocij & oblectationis nostra nobis esse repositam. Quos si aliquando viseris, reperia Quirinalibus illis nostris nequaquam inferiores: aquarum quidem abundantia, & vbertate pomorum etiam superiores esse: Habes statū nostrum. Tu de tuo vt nos facias certiores, idq³ crebrius, magnopere à te peto. Nihil est enim mihi iucundius, quàm & sæpe de te audire, & loqui. Bembum, Nigrum, Michaelem, Teupulum, ceterosq³, quos tute nostri esse amantes nostri, iube meis verbis saluere quàm plurimum. Et tu salue ac vale mi charissime & optatissime Lazare: nosq³, amare perseuera tui prorsus cupidissimos. Carpentoraçti, prillie
Calend. Nouemb. M. D. XXVIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Lazaro Bonamico S. P. D.

Cum iam diu ignorarem quibus in locis esses, propterea quod recordabar, te postremis literis tuis, ad me nescio quid de tua quadam peregrinandi voluntate scripsisse: neque hi, qui istinc ad me literas dederant, ul

lam tui omnino mentionem fecerant, accepi literas tuas, ex quibus te apud tuos esse, & memoriam nostri pri-
 stina cum beneuolentia conseruare cognoui. Quae quidem mihi iucunda cognitu fuerunt, sed illo nihil mihi
 iecundius, quod intelligo te ita gerere, atq; augere rem
 literariam, vt tua eximia virtus atq; doctrina, & tibi
 maxima laudi, et plurimis vtilitati emolumentoq; sit.
 Etenim quid est (quae so) praclarior, quam videre florē
 collectae ex omni Italia iuuentutis, incumbere ad opti-
 mas atq; honestissimas artes: atq; ad illud summū per-
 fectūq; contēdere, in quo hominis virtus sita sit? Quod
 quidem facit, vt dijs simillimi esse videamur: idq; te do-
 ctore magistroq; contingere, vt qui tuam eruditionē,
 ingenium, probitatēq; cognoscimus, facildē coniectu-
 ra prospicere iam possimus, quantum de noua sobole do-
 ctorum bonorumq; virorum sperandum nobis sit: quae
 maximē his literis, & his studijs potest frequentari.
 De qua re tibi hoc etiam scribo accuratius, quod visus
 sum aspicerē in literis tuis haesitationem quandā tuā,
 tibi ne in ea sententia permanendum, nec ne sit. Quae
 me certē haesitatio molestia afficeret, si putarem tibi,
 aut per tuum, aut per aliorum consilium, vt ab isto mu-
 nere descisceres, licitum esse. Sed cum neq; videam
 causam, cur te tam praclari instituti; non dicam pœni-
 tere, sed non summopere cupidum esse oporteat, & ni-
 hil sit quod agere melius possis: non est cogitandum ti-
 bi, quid in eo laboris insit, sed quantum reliquis com-
 modi: cum praesertim munus nullum hominis magis sit
 proprium, quam sua bona communicare cum ceteris,
 pluri-

plurimumq³ utilitatis & commodi ex se in alios profe-
 ctum velle. Cuius generis cum maxima tibi facultas et
 à natura, & ab industria tua data sit: non debes profe-
 ctò desistere, nec defatigari, quoad plures per te Laza-
 ri Latina & lingua & sapientia sublatis sint. Atq³ ego
 qui te hac adhortor, & moneo, non equidem consulo
 mihi: spes enim mihi esset maior fruendi aliquãdo te ip-
 so, tecumq³ viuendi, si ista cura vacares: sed habeo fru-
 ctus publici rationem. Quanquã scribit ad me Niger,
 constitutũ sibi tecum esse huc proficisci, duosq³ menses
 mecum ponere. Quòd vtinam videam illum diem, quo
 vos complectar ambos, aliquantisperq³ explear con-
 spectu atq³ congressu duorum mihi amicissimorum &
 coniunctissimorum hominũ: quos ego nõ minus diligo,
 magniq³ facio, quàm ab ijs sentio me & magnifieri,
 & diligi. Sed de his hæctenus, non enim animus meus
 erga vos longa oratione mihi explicandus est, quando
 eum vos de vestro expendere sat potestis. De consuetu-
 dine & conuictu Poli nostri tantum capere te volupta-
 tis, quantum scribis, & minimè miror, & tuum de illo
 iudicium vehementissimè probo. Quid enim esse po-
 test homine illo humanius, eruditius, sanctius? Eum e-
 go cum hac iter haberet, paucis illis horis vix degusta-
 re quidem potui: sed tantas tamen ab illo omniũ orna-
 mentorum diuitias tum mihi perspexisse visus sum, vt
 postea illum non amore modò, sed insigni quadam ob-
 seruantia semper sim prosecutus. Nam cum illa mihi à
 mabilia in eo sunt cognita, ingenium, probitas, litera,
 in quib. ille non mediocriter excellit, tum id præterea
 admi-

admiratione summa dignum (quod ego primū status omnium) quod cum tanta generis amplitudine & nobilitate, tanta natura bonitas atque humanitas iuncta sit. Itaq³, quanti fieri à me putas, quod à te scriptū est, nomen saepe meum versari in sermonibus vestris? Ego verò vobiscum, o amicissimi homines, & animo semper & cupiditate illa sum, vt si detur facultas, vobiscū viuere potissimū velim. Etenim si essemus vnà, Deus immortalis, quantas, & quàm varias caperemus suauitates? quæ studiorum coniunctio? quæ communicatio voluntatum? qui deniq³, ardor existeret animorū? vt ad illa præclara atq³, sancta philosophia adyta copulati introiremus? in quo Paulus nobis non iniucundus esset comes: qui (aberat autem ille à me cū hac scriberem, sed quod verè testificari de eo possum) vtrunq³, vestrum mirabiliter obseruat, et diligit. Sed quoniam optare nobis ista licet, sperare fortassis non ita licet: retineamus incolumem beneuolētiam mutuam, stimulum autem et sollicitudinem animi deponamus: quodq³, est dignum ijs maximè quæ profitemur studijs, fidem amicitie etiā absentes colamus. Sed de his quoq³, satis. Hortensium, de quo instas, absoluere adhuc non potui: fui enim maximis occupationibus impeditus, & id ipsum diu. Retuleram me autem ad eam cogitationem atq³, curam, vt conficerem: sed iam calores me obturbant. Enitar tamē vt & fidei in eo mea, et vestra expectationi satisfiat. Partem eam literarum tuarum, quæ te de literarum missione excusas, non ducō dignam responsione, ne tua integritati & constantia videar diffide-

fidere, quā nihil est apud me certius, nec exploratius. Vale, & summis viris Bēbo, Polo, ceterisq; quos à me amari scis, plurimam meis veris salutem dic. Carpentoracti, Nonis Iunij, M. D. XXXIIII.

LAZARVS BONAMICVS IACO-
bo Sadoletto Episcopo Carp. S. P. D.

LAm penè constitueram leuare me hoc impedimento
verius, quàm onere, in quo biennium fui: cum tua li-
tera perlata ad me sunt. quæ summa quidem sententia-
rum grauitate, verborumq; copia, admista incredibili
quadam suauitate ingenij, excellentisq; bonitatis tuae,
(quid autem dicam de beneuolentia, quæ nusquam tã
efficax, tamq; perspicua, quàm erga uos, vehemen-
ter ab hac ratione me reuocabant. Sed erat in his nihil
quo cuperem mutare sententiã, quanquam omniapru-
dentissimè & amicissimè scripta non ignorabam. Nam
quòd videbaris suspicari, me id velle, aut leuãdi, aut su-
giendi laboris causa: hoc tibi persuade, nihil tam alienũ
à me. Contra verò, hoc mihi semper animo in sedisse.
Homini turpissimum esse, labore frangi, industriã ue de-
bilitari, qui ceteris vsui ad virtutem esse, aut ipse ma-
gnam consequi præstãtissimarum rerum cognitionem
posset. Qua ex causa cum nobis à publico negotio in-
otio esse licet, tum maximè in studijs bonarum artium
toto animo versamur, multoq; plus laboris toleramus.
Cognosce igitur, & iudica, quàm falsa fuerit suspitio
de me. Tu putas me Patauine cõditioni renũciare velle,
laborem vt vitæ: ego me cupere id scio, vt plus labo-
ris impendam. Nam quod proponis cõmunem utilita-
tem,

tem, eam nunquam deferendam existimaui. Sed cum maiora onera in re literaria nonnulli ex amicis me sustinere posse crederent, id consilium dabant, ut leuiora relinquerem, maiora amplexarer: idque boni viri esse docebant, atque ipsum mihi me dissidentem impellebant, ut non uiuentium solum, sed etiam posteritatis memoria consulerem: quam rem in hoc publico impedimento nihil eracut quispiam optaret. Video & tibi & his idem placere, ut utilitatibus hominum inuigilem, idque mihi persuasissimum est. Sed imbecillitas ingenii venit in dubium. Alteram utilitatem multo maiorem esse animaduerto: ad utram minus ineptus sum, explicare non queo. Scio tamen in altera plus laboris & ingenii inesse: quod ut perexiguum est in uis, eoque deterreor: ita labore nunquam impediri soleo, & propterea sum alacrior. Hæ erant deliberandi causæ, cum ad te scriberem: sed non audebam aperte scribere, quod erat scribendum aliquid de me ipso: quod facio perinuitus. Quamobrem multa prætermisi, quæ ab amicis dicuntur: falsa quidem illa, sed dicuntur tamen. Utinam hæc esses, ut aut te illi, aut illos tu in tuam sententiam adduceres (si modo alia esset tua) re quasita inter uos, & disputata: de qua iterum uelim audire quid sentias: hoc est, ad utram me hominum utilitatem potius cohorte ris. In quo tuo iudicio, obsecro te, ut nihil dubites, nos esse ad omnem laborem paratissimos. Scripsi proximè ad Hippolytum Medicen Cardinalem carmen, nondum misi: id cum hac epistola leges, raptim descriptum propter occupationes: de quo qualis sit, tuum, Paulique nostri iudicium valde scire cupio: eo enim nihil politius esse

arbi-

arbitror, Bembus tuus tibi salutem plurimam dicit. Va
le, Patauij. VII. Calend. Sept. M. D. XXXIIII.

LAZARVS BONAMICVS IACO-
bo Sadoletto Episcopo Carp. S. P. D.

Bonitas natura tua omni ex parte se effert in ijs li-
teris quas ad Nigrum scripsisti de querendo Græca-
rum & Latinarum literarum doctore & magistro.
Nam tibi satis non est officio tuo non deesse, vt summa
cum religione, pietate, fide episcopatum geras tuum, et
in omni Christiani muneris administratione eū te præ-
beas, qui charus sis omnibus, atq; admirabilis: sed qua
alijs cura esse debent, docendo, admonendo, cohortan-
do, vt rectissimè curentur, omni contentione elaboras.
Commouisti prouinciam à studio pulcherrimarū lite-
rarum abhorrentem. Hoc non solum bonitatis fuit, sed
cum sapientia atque eloquentia coniuncta bonitatis.
Ego & quia rem honestissimam esse, & tibi placere vi-
deo, & sum ipse ad communes vtilitates propensior, in-
uestigando mentem & cogitationes meas figam. Mira
est paucitas horum hominum, quod te fugere non arbi-
tror: in ea tamē studium extabit nostrum. De Horten-
sio caue ne longius tam præclarum opus ducas, quàm in
dialogo de educatione puerorum promissisti. Turpe a-
lijs, datam fidem non præstare: episcopo verò, et Sado-
letto quidem episcopo, turpissimū: præsertim cū sis ha-
biturus huius mēdacijs nostrā ipsorum memoriā, atq;
ad eodē posteritatē testem. Vide quāta cupiditate ardeā,
qui timeam ea qua ne suspicari quidem de te possum.
Ignosces autem mihi, tua propè gloria fauenti magis,
quàm

quàm mee. Hic de bonis literis bene mereri nō desino:
 & in eo me planè nauasse operam intelligo, quòd vn-
 diq; concurratur. In hoc numero si quis erit idoneus, et
 impetrari id poterit (quod tamen difficile iudico) eum
 ad te mittam. Vale. Paulo nostro plurimam salutē ad
 scribimus, Patauij, XVIII. Calen. Sext. M. D. XXX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CAR-
 pent. Lazaro Bonamico. S. P. D.

PVpugerunt me nonnihil literæ tuæ VII. Cal. Septē
 bris Patauio datæ: meq; in eā suspicionem adduxe-
 runt, vt vererer, ne quid à me antea imprudentius fuif-
 set scriptum, quasi tu mihi in opinionem inertie desi-
 dieq; venisses. Quod ego non modò eo animo scripsi
 nunquā, sed ne cogitare quidem potui. Quid enim mi-
 nus, quàm quod nusquam quicquā est, idq; ego scio ni-
 hil esse? An te ego nō noui? tuaq; mihi virtus, industria,
 nauitas parū perspecta est? aut quisquā omnium mor-
 talium est, qui audeat affirmare, tuos sibi sensus melius
 quàm mihi, perceptos esse, et cognitos? Crede mihi, mi
 Lazare, memetipsum turpissimè inscitia accusarē, si
 tibi ignauie notam vllam attribuerem. Sed quod tūc
 scripsi me existimare, laborem illum docendi et tibi ho-
 nestum esse, & alijs permultis fructuosum ac vtilem,
 nec videri mihi causam cur defugiendus esset: non scri-
 psi iudicans te laborē omnem velle fugere: sed cū te
 in illo munere cōtinere cuperem, iccirco illa à me tum
 suscepta cohortatio est: sic enim sentiebam, maximam
 laudem virtutis esse, prodesse quàm plurimis. Quod tu
 latius in posteritatem patere putas, quàm si tantum

praesenti saeculo seruiatur: propterq³ eam causam se-
 creta & libera studia requiris: oiumq³ in illis, maiore
 etiam laborem & maius negotium appellas: neq³ arbi-
 traris vtrunq³ abs te praestari posse, vt & priuatim ti-
 bi satisfacias, & ceteris publice. Concedo: teq³ ad illa
 alta & magnifica philosophia studia aspirare plane
 video. Quid ergo, nonne commodissime poteras istam
 ipsam artem omnium nobilissimam publice profiteri?
 in eaq³ instituerè adolefcetes, vel separatim, si tibi ita
 fuisset visum, vel etiam cum Cicerone, & cum eloque
 tia studijs coniuncto? quam ego viam rationemq³ do-
 cendi potissimam semper sum arbitratus. Hoc enim cer-
 te abs te si factum fuisset, vel etiam si nuc fieret, Deus
 immortalis, qui concursus praestantium ingeniorum,
 quantus amor sapietia in animis hominum existeret?
 Tu quoque qui nunc te quereris distrahi, coniungeres
 domestica tua studia cum forensibus, & laborem vtru-
 que in easdem operas lucubrationesq³ conferres. Sed
 ego tibi non praescribo, satisq³ in te ipso statuo esse con-
 silij. Hoc dico, quod habeo exploratum, te vtro verte-
 ris, praclare id quod susceperis esse effecturum. Qua
 mea de tuo ingenio, & excellente doctrina opinio, no
 noua neq³ reces, sed ia diu ante mihi suscepta est. Legi
 carme tuu, idq³ admodu probaui: valde enim mihi gra-
 ue et elegans visum est: vtinam fructum eiusmodi asse-
 rat, vt quod de Pericle scriptum est, aculeos relinquat
 in eorum animis, ad quos maxime ista pertinent. Tuas
 à Ioan. Caracciolo viro clarissimo literas, de quibus in
 quadam epistola fueras conquestus, iam pridem accepi.

Ille

Ille verò Brunus, doctus (vt ego conyicio) adolescens, scripsit ad me, se Georgio Selua Vaurēsi Episcopo, regio istic legato, contubernalem factum esse. Quem hominem, mi Lazare rogo te vt nosse velis: talē enim offendes, ingenio, humanitate, probitate, doctrina, vt pluris tibi propter eum Gallia futura sit. Polus ad me scribit, vberimis elegātissimisq₃ literis, multa ille quidem digna illo ingenio et sanctissimis ipsius morib. Sed plurimū tamen & precipuē de te, quē ipse admodum cuperet ad Theologiae studia iam aliquādo animū adijcere. Quam ego cupiditatē eius vehementer probo, tibiq₃ suadeo, vt hanc diuinā imprimis facultatem et ad salutem nostrā necessariā, diutius à tui ingenij thesauris ne habeas segregatā. Sed de his aliās. Nunc tempus interpellat, luxq₃ & negotia instant, nam hac manu mea scripsi ante lucem. Valebis igitur, & omnibus amicis, imprimisq₃ Bembo meo, plurimā à me salutē dicere. Vale. IX. Calend. Decemb. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CAR-
pent. Lazaro Bonamico
S. P. D.

EX tuis literis Idib. Martij datis, quas ego paulò antè Idus Maius accepi, illum facio quæstum, quod optimi & doctissimi viri Aonij Palearij amicitia auctus sum. Quem ego me hercule hominē plurimū facio, vel propter eius virtutem atq₃ doctrinam, in suoq₃ genere scribendi elegātiā: vel quod ea sunt illius animi erga me indicia ac monumenta, vt non modò amare, sed gratiam illi etiam habere sim compulsus, si tamen compellitur,

litor, qui libenter quid facit, & studiosè. Amo certè illum, & gratiã præterea habeo, ita de me ipse meritus est. Qui etiã si nullo suo officio me sibi deuinxisset, propter ingenium tamen, propter optimarum artium scientiam mihi erat amandus. Nunc quid me facere oportet, cum tanto me obstrinxerit merito? Atq; is quod tuam commendationẽ intercedere voluit in nostra amicitia concilianda, quanq̃ tu illi vere ac cõstanter id esse opus negasti: tamẽ ipse nonnihil vidit. Siue enim quod ita iure fieri à me debere intelligit, siue quod animum meũ erga te habet exploratũ, sensit id quod verissimũ est, nullam esse tantam virtutis commendationẽ apud me, quæ non tuo testimonio multo fiat vberior. Itaq; illum, quem sponte & per se iure quidem optimo antea dilexissẽ, tua nũc commendatione habeo chariorem. Quid autem de eo, deq; eius scriptis sentiam, scribo ad ipsum quidem copiosius: sunt enim illa à me diligentissimè perlecta. Sed tibi quoque breuiter dico, probari mihi mirificè cum ingenium hominis, & in scribendo elegantiam: tum illud imprimis religionis studiũ, quod præ se fert: quod quidẽ vbicunq; adest, illa mihi et plena & grauiã & pererudita videntur esse. Phædrum meum, quod sis ad calculos iudicij et prouidentia tua de nudò reuocaturus, valde lator: magnamq; in tua consideratione & diligentia eius expoliendi spẽ habeo. Tantum à te peto pro iure amicitia nostræ, vt ne ambitiose, neue erga me nimium indulgẽter eum corrigas. Matcum Fortiacum gaudeo tibi esse cordi: certè mihi magna voluptati est tuum de illo adolescẽte iudiciũ cum

ea opinione quam semper de eo habui, conuenire. Eum tibi ne commēdo quidem, video enim esse satis commēdatum, vel ex eo quòd contubernio tibi coniunctus est. Paulus & te amat, & memoriam tui seruat quam debet, tuq; crebrò in sermonibus nostris versaris, queis & consuetudo tua, & suauitas à nobis requiritur. Quæ posteaquàm carēdum nobis necessariò est, tuas saltem optamus crebriores, mi Lazare literas: quòd ijs desiderium tui nostrum aliqua ex parte leniri sentimus. In quo nobis vt morem gerere ne graueris, equidem te vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale, & amicis nostris communibus plurimam meis verbis salutem dic.

VI. Calend. Iunij, M. D. XXXVI.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Aonio Paleario S. P. D.

Serius accepi literas tuas. Data enim illæ III. Idus Februarias, mihi medio ferme Maio sunt redditæ. Quibus perlectis equidem valde letatus sum, cum tali ingenio, quale tuum mihi iam perspectum est, talem etiam animum erga me plenum amoris & desiderij, conuinctum esse. Quid enim est rerū omnino omnium, quod mihi bonorum & doctorum beneuolentia videatur optabilius? Itaq; cū epistolam tuam primò legissem, eaq; mihi vehementer placuisset, (est enim & suauiter, & ornatè, & peramanter scripta) ab illius statim lectione ad poema tuum me contuli, totumq; perlegi triduo: singulis videlicet libris in singulos dies collatis. De quo, vt tibi verè exponam quod sentio, hoc iudicij feci: eorum, qui in eo genere voluerunt esse, sanè quàm

paucos, & nostra, & superiore memoria, aequè eleganter scripsisse atq; tu: eruditius certè neminem. In quo mihi illud mirificè probatum est, quòd hæc tua scripta non accersitis, fucosisq; argumentis, neq; quòd magis poetica videantur, à fabulosa illiusmodi Deorum veritate repetitis: sed sancta, et vera religiõẽ cõdit a sunt. Ut quemadmodum vultus pacatus, & constans in homine, bene affecta mentis, & probi animi est iudiciũ: sic tua ista eximia erga Deum pietas, quæ sese in tuis scriptis primam offert: nos cogit de te, deq; omni sensu animi tui, excellereq; doctrina præclare existimare. Ac cætera quidem tuum carmen mirè mihi satisfecit: video enim quos imiteris, quid referre in tuis scriptis et exprimere conere: tibiq; neq; in eligendo iudicium, neque in conando fructum laboris tui abesse intelligo. Perspicio etiam verborum elegantiam, sententiarũ acumen, numeriq; apta et varia compositione delector. Sunt enim ista omnia in te ita studio et cura elaborata, ut sint ubiq; nihil ominus ingenij luminib. litã. Illud vnum interdũ (quanquã admodũ raro) desidero: quòd cupissem nonnulla à te diserì explanatius, quibus nũc percipiendis mens nostrã aliquantulum laborat. Atq; illa (ne forte mihi Lucretianum modum dicendi opponas) non sunt ex eo genere, quod difficultate rerũ tractantur, suapte sponte obscurum propè necessariò sit, in quo solet iustã esse scribentibus excusatio: sedẽ medio quadam sumpta, compressius abs te dicta sunt, quæ dilatari, et patere melius voluissem. Neq; ea tamẽ tã multa, ut pertimescas. Sed fortã se ut nodus robur,

& vt nauus decus aliquando, atque ornatum, pulchro
 corpori afferre solet: sic plerisq₃ illa poterunt videri
 iccirco esse quesita: quòd cursus nostra cogitationis,
 fluentis in facilitate orationis, aptè illis interdum, tan
 quam salebris, retinetur. Quòd quidem ad veras lau
 des egregiè compositi carminis pertinet, totum tibi i
 ta tribuo, vt hoc planè confirmem, nihil me his aliquot
 iam annis in eo genere editum legisse libentius. Itaque
 te iam ne hortor quidem, vt quo itinere instituisi, eo
 dem porro pergas. Satis enim tibi incitamenti, cum iu
 dicium de te, expectatioq₂ hominū, tum fructus ille in
 genij suauissimus, qui in pangendo maxime & in com
 mētando percipitur, debet afferre. Qui etsi omnib. eru
 ditus datus est, cum hi aliquid ex sese procreant atq₃ gi
 gnunt: vberior tamen adest poetis. Quanq̄ ego te non
 poetam magis, quàm oratorem esse statuo: cuius rei fa
 cio ex epistola tua coniecturā. Ea enim ita cōmodè, &
 concinniter scripta est: vt facile intelligā, te vtruncūq₂
 velis, & suscipere & posse praestare. De me verò, quò
 tu tantopere in tuis scriptis ornas, eoq₂ honore afficis,
 quo maiore nemo afficere quenquā potest, quid dicam,
 vix reperire mihi posse videor. Nam si eas in me laudes
 agnoscam, quas tu mihi tribuis, timeo, ne arrogans: sin
 repudiè planè atq₂ reijciam, vereor, ne ingratus aduer
 sus te sim, cum de tuo iudicio ipse detrahā, eo ipso vnde
 sim ornatus. Quamobrem vt in difficili eiusmodi cau
 sa, ad id me vertam, quod meo pudori maximè est con
 sentaneum: vt tibi agam pro tua ista humanitate et er
 game beuuentia gratias, meq₃ tibi hoc nomine ob

strictum esse confitear. Quod facio equidem, & libēs facio: tibiq; persuasissimu esse cupio, te à me singulariter amari, vel ingenij, & virtutis, et probitatis tuæ causa: vel eius officij atq; amoris, quo me ipse prosequeris: vel q; eorum & temporum, & hominum, in tuis literis mentio facta est, quorum meam & memoriã, & erga illos beneuolentiã, dies nunq̃ delere obliuione vlla potest. Vt præter id, quod tuo nomine tibi debeo, quantũ etiã illos dilexi, totum in te persequar. Quo me in te animo esse, si vsus venerit, re ipsa, experiendoq; cognoscet. Vale. Carpētoracti, VI. Ca. Iunij. M. D. XXXVI.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. SE-
bastiano Gryphio S. P. D.

Superioribus proximis diebus, cùm esset allatus ad me liber Aonij Palearij, de immortalitate animorũ, præclaram inscriptionem præ se ferens, eamq; rem totam heroico carmine complexus, legere eũ statim perquam auide cœpi: quasi tētaturus, an promisso satisfaceret, qui tam sublimem titulũ operi suo præposuisset. Atq; ibi video, id quod mihi primũ summæ voluptati, deinde penè incredibile admirationi fuit, rem tantam quanta altera nulla est, quæ quidem scriptorum ingenijs proposita sit, tã grauitè tam eruditè, tam etiam & verbis & numeris aptè atq; eleganter tractatam esse, nihil vt fermè nostrorũ temporum legerim, quod me in eo genere delectavit magis. Nam nec sententiarum orationisq; vbertas, in tam difficili ac penè spinosa materie, vlla desideratur, nec in exponendis reb. reconditis lux atq; facilitas. Numerus porro carmi-
nũ

nis is est, vt videatur Lucretium velle imitari, redolet
 enim antiquum illud: sed ita sapore humanitatis condi-
 tus est, vt asperitate dimissa, vetustatis tamen autori-
 tas salua remaneat. Atq; hac in vniuersum. Illa iã par-
 tium singularum propria, nihil non Latine dictum, ni-
 hil non accuratè, quòue iudicium & diligentiam adhi-
 bitam esse non pateat: multaq; præterea vbig; nitètia
 ingenij & venustatis luminibus. &, quod ego pluris
 quàm reliqua omnia facio, Christiana mēs, integra, ca-
 staq; religio, erga Deum ipsum honos, pietas, studium,
 in eo libro vel maximè, non solùm docere mentes errã-
 tium, sed etiam animos incendere ad amorem puræ re-
 ligionis possunt. Sed quorsum hac, mi Gryphi? Primũ
 volui dare testimoniũ apud te doctissimo viro, vt quid
 de eo sentirem tu planè cognosceres. Deinde à te pete-
 re, id quod ipse quoque cuius volo causa, & petit à te
 per literas, & summè flagitat, vt eius hosce treis libel-
 los tuis formis exprimēdos cures. In quo ille valde suo
 honori, ego mea cupiditati satisfactum fore abs te ar-
 bitraturi sumus. Noli enim putare non apud Italos o-
 mnes tuum esse nomē in magna gratia. Quicquid pro-
 dit ex officina tua, id ita demum & rectum & proba-
 tum habetur omnibus, si in eo tuum nomen sit præscri-
 ptum. Nota est enim probitas, & diligentia tua, nota
 eruditio. Quid igitur restat, nisi vt tu & bonis et amã-
 tibus tui morem libenter geras? Quod tamen semper
 sponte tua facis, nunc mea etiam causa facere propen-
 sius debes, qui meam fidem atq; officium in hac re agi
 iudico. Sum enim, vt tu scias, in hoc ipse libro honorifi-

centissimè appellatus, secundo (vt opinor) volumine, vt tibi hac opera mihi quoq; vnà cum Aonio, non ipsi soli præstanda sit: quandoquidem tu me amore iam pridem, atq; obseruantia tua mirificè es complexus. Nec erit cur te pœniteat, hunc talem librum Actij Synceri, & Vide doctissimorum hominum, ac præstantissimorū poetarum scriptis adiunxisse: cum quibus certè hic iure comparari potest. Nam & in eadem argumenti sententia sanctitateq; ornatissimè versatur, & philosophia præterea rationibus vberius est instructus. Sed hoc tu per te aequè bene cognosces. Illud utiq; tibi persuasum habere debebis, quicquid in hac re ex mea & Aonij voluntate effeceris, id utriq; nostrum fore gratissimum. Eadem hac de re, quò eam magis mihi cura esse intelligas, meis verbis tecum aget vir optimus, ac veterem mecum amicitia coniunctus, Thomas Sertinus: sic enim ei à me mandatum est. Qui & vt in me semper per officio sus fuit, & pro eo studio, quò probos & eruditos homines sui similes prosequitur, non dubito quin diligenter officio functurus sit. Vale mi Gryphi. Carpentoraçti. III. Calend. Iulij, M. D. XXXVI.

IAC. S ADOL. EPISC. CARP. GA-
leatio Florimonti Suesiano S. P. D.

BInas à te eodem tempore accepi literas: quarum altera ex coenobio Ferrariensi, vt scribis, VI. Calend. Ianuarij erant data: altera Baucis pridie Calen. Iulij, quæ me vtraq; mirificè delectauerūt, multis enim sunt & amoris tui erga me, & ingenij ac doctrinæ significantionibus referta: ac, vt verum tibi confitear, longè
aliam

aliam personam mihi, aliud specimen ingenij obtulisse
 visa sunt, ac priores fecerant: quibus fueram adductus,
 vt te admonendum putarem, vt omisis leuioribus illis
 studijs, ad grauiores arteis te conuerteres. Quod etsi
 tunc à me optimo fuit factum animo, tamen nunc pla-
 nè intelligo, non fuisse necessarium. Te enim id ita fe-
 cisse, multumq; in omnibus artibus optimis profecisse
 sentio. Sed quæ tu de sacris literis, deq; earum summis
 doctoribus ad me scribis, ea mihi vehementissimè pro-
 bantur. Omnis enim nostra salus, omnis beata & im-
 mortalis vita spes, in illo potissimum studiorum gene-
 re posita est. In quo verò aspernari videris philosophi-
 am, & grauisimos illius autores reijcere, id mihi tecum
 conuenire nõ potest. Ego enim cum me ex illius studio
 non admodum hebetem sentio esse factum, tum verò sic
 statuo, non lapidem lapidi, neq; parietem fastigio vllum
 tam congruere, quàm theologia & diuinis literis phi-
 losophiã. Itaq; illud ipsum qd inducis tanquam illudens,
 tanti est, vt absque eo persuaderi quidem possit, &
 εἰ ἀνάγκη πᾶρ τὸ κινούμενον ὑπὸ τινος κινῆσαι,
 existimari esse Deum, sciri autem nequaquam. Sed hac
 hæctenus: non enim huius sunt scriptiois, & temperis.
 Tu qd videris vereri, ne tua mihi litera molestæ sint,
 facis mihi nonnullam in eo iniuriam: parum enim com-
 modè de mea humanitate existimas. Scito igitur, tuas
 mihi literas, & antea gratas extitisse, & in posterum
 fore semper gratiores. Commentarios meos in Psal-
 mum XCIII. remitto tibi, quando me illius fefellit
 diligentia, cui primo negocium dederam. Facies au-

tem tu mihi pergratum, si quando his studijs apprimè deditus es, si qua tibi non bellè in illis videbuntur se habere, de ijs me admonueris: hominisq; amici verissimo officio fueris functus. Quod vt agas, studiosè abs te peto. Vale. Carpentoraçti, X. Calend. Martij.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Angelo Colotio S. P. D.

SAepius iam literis meorum certior factus sum, viue-
re apud te & ceteros istic aequales nostros, quos fortuna nobis reliquos fecit, mei memoriam absentis: sanctumq; illud fœdus amicitia, quo vetusto admodum coniuncti inter nos sumus, suã apud vos religionem obtinere. Quod mihi cognosse fuit iucundissimum: etsi hoc verbum, propter eas ruinas quibus oppressa sunt omnia, iamdudum ex vsu atq; animo nostro sublaturũ esse videatur. Sed tamen cum mihi scribitur (id autẽ sit ferè quotidie) te & Petra sanctam meum, cuius ego excellens ingenium & naturam liberam atq; ingenuam dilexi semper, & Thebaldeum magno honore ac laude dignum hominẽ: Curtium quoq; nostrũ, cuius plura iã extant cum literarum atq; ingenij, tũ amoris erga me atq; officij indicia ac monumenta: amanter sæpè percõtari de me, meãq; pristinã desiderare consuetudinem: profectò hominum cum mihi mea voluntate et iudicio charissimorum, tum sua virtute ac dignitate honestissimorũ, crebra de me mentio, eademq; plena amoris & desiderij maximã mihi voluptatem affert. Nihil enim est homini cum fide amicitias colenti, quo me ex genere hominum esse profiteor, pari amicorum erga se volunta-

luntate optatius. Ac mihi recondanti spatium prateriti temporis, & vetera animo repetenti, cum & plures conuenire soliti eramus vnà, & erat etas nostra ad omnem alacritatē animiq; hilaritatem lōgè aptior: quoties venire in mentem putas eorum cœtuum conuiuiorumq; quæ inter nos crebrò habere solebamus? cū aut in hortis tuis suburbanis, aut in meis Quirinalib. aut in circo maximo, aut in Tyberis ripa ad Herculis, aliàs autem alijs in vrbis locis conuentus agebantur doctissimi morum hominum: quorum vnumqueng; et propria ipsius virtus, & communis cunctorum predicatio commendabat. Vbi post familiares epulas, nò tam cupedia multa conditas, quàm multis salibus, aut poemata recitabantur, aut orationes pronūtiabantur, cum maxima omnium nostrum qui audiebamus voluptate: quod & summorum ingeniorum in illis laus apparebat, & erāt illa tamen quæ proferebantur plena festiuitatis ac venustatis. Quo in genere recordor pressum & acutum Casanouam, Capellam latum sonantē, magniloquum Vidam, & cuius proximè ad antiquam laudem carmē accederet: castigatum & prudentem Beroaldum: vberes autem et suaueis Pierium, Granam, Mathalenum, Blossum, quosq; complures nostra perspexit etas, partim carmine, partim soluta oratione eximios: cuiusmodi Nigrum nostrū Tulliana in dicēdo grauitate: Antoniumq; Venantium, et Binum in vtraq; enitentem lingua. Acres autem in iudicando, et imprimis acutos, Vbaldinum, & Antoniū, cui Computista cognomen est. Quo è numero multi in vtroq; genere dicendi egregiā sibi

sibi laudem à doctis omnibus comparauerunt. Nam illa ornamenta & lumina Rommana lingua, Phadrus et Camillus Porcius, magno cunctorum incommodo iam diu morte erepta nobis sunt: in quibus sedem sibi videbatur statuisse eloquentia. Cuius nunc honorem atque nomen, consensu iã vrbanoꝝ omnium, retinet Paulus Iouius, & in scribenda historia grauis & elegans, & in omni genere literarũ perpolitus. Quin & duorum summorum hominum me admonet recordatio fuisse quoq; eorum conuentu nostras aliquãdo cœnas atque epulas exornatas: quorũ est vnus Petrus Bemus, cuius in omni virtute laudeq; eloquentia summa et singularis semper fuit gloria: alter qui nuper in Hispania decessit maximo cum mœrore omnium quibus fuerat notus, hoc est planè omnium, Balthasar Castilioneus, magnus vir imprimis, nec solùm nobilitate & genere, sed magnitudine etiam animi, et omni eximia virtute præstans: quiq; quod militari viro erat admirandum, omneis omnino arteis libero homine dignas, & omnia doctrina genera comprehenderat: quem ego recordor sæpe atq; hilarè nostris cœtibus interfuisse: & ipsum, & eum qui paulò antè est mortuus, summa indole ingenij & spe maxime virtutis, Ioan. Franciscum Furnum ciuem meum. Namq; hos qui modò secutus supremum in Gallia obijt diem, pari cum illis virtute & nobilitate præstans, Andreas Nauagerius, tametsi nostris cœtibus minus sæpe interfuerat: propter excellentem tamen in literis & scientiam & gloriam, à nobis est perhibendus. Lazarum autem qui nunc abest à uobis

cuius

cuius in Græcis & Latinis singularis est eruditio, quique philosophia & sapientia studia non solum scientia, quod faciunt permulti, in quibus tamen excellit: sed vita & moribus, & vera virtute complexus est: credo equidem vobis in desiderio esse. itemq³ Marium Volaterranum, hominem grauem iam & dignitate, & annis: sed cuius admirabile ingenium, summamq³ optimarum literarum cognitionem, nisi vrbs & vrbanæ curæ præpediuisent, plurimum lucis allaturum nostro seculo non dubito fuisse: à quo potissimum exhilarabantur cœna nostræ: cum & in lacescendo acutè, & in respondendo, omnes ex eius verbis atque vultu effluerunt lepores. Nam Marium Buccabellum quoddam audio esse incolumem, maximopere letor: hominem cum omni virtute ornatum, tum mihi amicissimum. Atque inter hos tot & tales viros, aliosq³, compluribus, quorum omnium nomina persequi non huius est scriptio- nis, dulces quoque Corycij iracundias, & gratas ineptias Donati spectare haud displicebat: quos noster Sauoia homo omnium facetissimus & prouocare solebat studiosè, & ridere. Nam de te mi Coloti quid ego dicam? Cuius in animo, ac natura mihi videntur Muse effigiem sui moris ac decoris insculpisse, vt esses pudore, virtute, liberalitate ornatissimus: cuius pectus atque ingenium, doctrinis omnibus domus aut ipsa tua omnibus doctis pateret. An est quicquam in rebus ad conciliandos natum animos, quod meam in te benevolentiam non accendat, præsertim cum me abs te tanto pere intelligam amari? Sunt quidè & multa præterea.

amoris cause: vetusta necessitudo inter nos. Societas
 etiam eorundem studiorum, tum cum dabamus Græco
 doctore Carteromacho simul operam. Quo quidem ex
 tempore rec ordor nec meam tibi insignem beneuolen-
 tiam, nec tuum mihi studiū vnquā defuisse: tum autē
 multa sæpe nobis communia, lusus, conuictus, deambu-
 latio: par propè atq; idem in amicis delectus, ex eis-
 dem rebus delectatio. Sed quorsum ista? omnino lon-
 gius sum lapsus, meq; veterum & rerum & hominum
 cogitatio vltèrius prouexit, quàm fuerat volūtas. Sed
 tamen illud intelligi à te volo, non vēstrum solū, qui
 valetis & viuitis, (quorum quidem salus mihi ita iu-
 cūda est, vt mea sit vita propter vos mihi charior) sed
 eorum etiam, qui fato functi sunt, quorum maior lōgē
 est multitudo, memoriam cunctorum mihi in intimis
 sensibus inherere: quorum equidem omnium, (si hoc
 ocium, quo nunc perfruor, Deus mihi fortunavit) no-
 men non patiar apud posteros ignorari. Atq; hæc tem-
 pora, & has vitæ iucūda ac beata suauitates, infecuta
 clades & acerba fortuna reipub. disiecit. In quibus de-
 trimētis, etsi maximum cept ex vrbs graui casu, et vē-
 strum omnium iacturis, quos illa calamitas oppressit,
 dolorem: tamen id mihi accidit non incommode, quod
 consilio & voluntate reliqui res Romanas, antequam
 illa me istinc tempestas extruderet. Direpta me-
 quidem omnes, dissipataq; fortuna: idq; nō semel, sed bis,
 aut etiam tertio: quodq; durius visum, libri vnā erepti.
 At nihil tamen indignitatis, nihil fœditatis in corpore
 passum sum. Nudus in has oras, tanquam ex naufragio
 sum

sum compulsus, ac liber animi, & placatus tamē: utpote cui iā non in his rebus externis, non in honore & gratia populari, non in diuitijs atq; opibus: sed in alia quadam certa ratione viuendi, animi sit quies, et vita beatitudo reposita. Itaq; facile patior, meum constitutum procul ab vrbe manendi, vinculis iam ineluctabilib. cōstrictum esse, non solum voluntatis mea, verum etiam necessitatis: cuius numini non repugnare ne Deos quidem ipsos vetere prouerbio iactatum semper est. Etenim cum consilium cepi Roma exeundi, noli putare nō multa extitisse, quae me debortarētur, & quae animum meū quodam dolore flecterent: amor, consuetudo, spes honorum amicorum & necessariorum lacryma, ornatissimorum hominum familiaritates: quibus ego (quod liceat sine arrogantiā dicere) egregie praeter ceteros florebam: atq; illi ut me ipsum, nō ut fortunam meam appeterent. Dices, quid ergo? quae te ad discedendum causa compulit? Illa, mi Coloti, quod magna mihi vita parte in alienis rebus iam acta, ad ea quae me attingunt propius, & in quibus mea salus & vera vita consistit, mihi aliquando tandem reuertendum intelligebam. Dederam satis principibus, dederam satis amicis, dederam Reipub. mihi quando darem? si iam quinquagesimum attingens annum, non ex illis fluctibus in portum, & ab terrenis ad caelestia et curam & animum meum reuocarem? His ego de causis vrbi salutē dixi: non amorem et charitatem christianam deponens, sed contactū rerum turbulentarum reformidās. Sed quod dicebā modō, me ut absim ab vrbe, non solum voluntate

tis, verum etiam necessitas vinculis constrictum esse,
 id eiusmodi est: Nulli vnquam sua patria, solumque illud
 in quo quisque natus, & alitus, gratam incunabulorum me-
 moriam secum perpetuo fert, tam charum fuit, tam amabile,
 quam mihi urbs Roma, et sancti illi penates tot claris-
 simorum fortissimorumque hominum, quorum penes in passus sin-
 gulos, cum per vicos & plateas urbis vadebamus, aliquod
 in monumentum, aliquamque in historiâ pedem ponebamus.
 Cur autem tantum amarem, & vetustatis admiratione facie-
 bat, & presens civitatis maiestas: & me hercule etiam
 magis, quam quicquam est in me humanitatis atque ingenii (si
 modo est aliquid) omne hoc illi referere acceptum. Hanc igitur
 urbem mihi dilectam & charam versus eo, ut nihil in amo-
 re fieri possit ardentius, deformatam ruinis, exinanitam
 frequentia, plurimis claris viris, illustribusque orbatam,
 quorum in suauitate & benevolentia mei (quos pro re-
 publica capiebam) labores requiescebant, ut videre velim,
 animam inducere non possum: iactatam præterea etiam nunc
 procellis, obiectam tempestatibus. Ita quod prius amo-
 re repugnante, iudicio tantum adductus faciebam: nunc
 eodem amore autore firmiter facio: ut sedem mihi in his
 locis perpetuo domicilio constituerim. Si quidem aman-
 tis est non solum appetere congressum eorum quos a-
 mat: sed si quid illis accidat miseria & calamitatis, cui
 ferre opem ipse non possit, non modo aspectum tanti do-
 loris, sed mentionem quoque ipsam deuitare. Quam ob rem
 immota hæc quidem et in omnem partem stabilis est a-
 nimus mei sententia, tempus reliquum vite quod super-
 est, non in urbe Roma, sed Carpentora acti: neque ad homi-
 nis

nis vllius arbitrium, sed ad summi Dei honorem atq³ cultum, mihi impendendum et consumendum esse: ita, vt optimis artibus & literis suam partem sim daturus.

Qua spe, et quo euentu, quoniam nihil magnum de me polliceri possum, totum in aliorum opinionib. relinquo.

Quod aut mihi vehementer cordi est, & de quo plurimum laboro, vt saluū maneat mihi et praeipuum ornamentū praeiterita vita, & futura solatiū: hoc est, vt vestra erga me voluntas incolumis permaneat, quādo ex vestro amore erga me, vestroq³ iudicio, omnis prope mei animi latitia pendet: id vos vehementer oratos & rogatos esse volo, vt mei absentis memoriā retineatis: quāq³ ego fide, quāq³ constantia, fidem vere amicitiae conseruās vos in oculis atq³ in animo asiduē gero: eandē vos mihi fidē beneuolentiāq³ praestetis. Quod nō vt diffidens postulo, sed vt amans, & quod omnium rerū mihi est optatissimū, me ab illis diligere, quos cunctorū amore dignissimos, ipsorum virtus, et doctrina, & summa humanitas facit. Valete. Carpent. M. D. XXIX.

IAC. SADOLETI EPISC.

CARPENT. EPIST. LIBER VI.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Ioan. Bellaio Episc. Parisiensi S. P. D.



MOR meus erga Langaum fratrem tuum eximius & singularis, (quem ego propter eius multas & magnas virtutes diu antē susceptum, sanctissimē, fidelissimēq³ conseruo) fecit, vt simili in

te quoq³ voluntate semper fuerim, eamq³ tibi beneuo-
 lentiam præstiterim, quam & fratris tui mihi perspe-
 cta, & tua sæpe audita, omniumq³ in primis probata
 testimonio, virtus postulabat. Sed accidit in hac con-
 iunctione nostræ amicitia, vt vos essetis, q̄ ego multo
 fortunatiores. Cū enim nihil sit, neq³ natura ipsa præ-
 stantius aut clarius, nec bono viro iucundius, quàm be-
 nefacere: vos omnis vestræ liberalitatis exponenda oc-
 casionem in me sæpe habuistis: ego autem ne semel qui-
 dem facultatem sum nactus, quo fratris tui merita er-
 ga me paribus officijs compensare possem, & ostende-
 re vtriq³ vestram, concedere me homini profectò ne-
 mini, qui maiore animo & ad promerendam & ad re-
 ferendam gratiam, aut propensiore ad benefaciendum
 natura sit paratus. Sed tamen quoniam vos quoq³ in
 primis digni estis, quibus instrumentum fortuna suppe-
 ditet vestræ declarandæ virtutis & bonitatis: sit sanè
 in hoc sors vestra felicior, ego ad ceteras causas diligen-
 di tui, hanc quoque habeo non minorem ceteris, quod
 in eiusdem collegij munus atq³ officium à Deo pariter
 vocati, huius sacri honoris societate coniuncti sumus:
 quem & tu summa cum laude geris: & ego id adnitor,
 vt ne omnino improbandus sim. Hec cum ita se habe-
 ant, nulla iā apud me residet dubitatio, quin ego vicif-
 sim abs te diligar, quod tu quidem facere debes, vel fra-
 tris eiusdem tui causa, vel etiam tua. Conuenit enim
 natura et humanitati tue, vt in amore respōdeas his à
 quibus diligare. Quod cum ita esse mihi persuaferim,
 id à te institui petere, quod mihi hoc tēpore maximum
 esset,

esset, maximeq; necessarium. Paulus Sadoletus mei filius fratris, adolescens institutus sanè quàm liberaliter, mihi iam pridem à patre traditus, à me pro filio educatus est. Is affectus cupiditate visenda aulæ Regiæ, & eius cognoscendi, ac meo etiam nomine venerandi Regis, de cuius plurimis ac maximis virtutibus quotidie & à me permulta, & à multis sepe audit, istuc venit: quedam illi etiam expositurus, quæ à me mādata sunt. Eum ego & tibi, & Langæo fratri tuo potissimum commendo. Quamquàm enim non ego aliorum amicorum & benevolentium copia, vel abundo etiam potius: tamen omnium hominum nemo est, quem ego malim adhibere in meis negotijs atque rebus, quàm alterutrum vestrum. In quibus mea omnis reposita est fiducia, vos fraternè & amanter curaturos, ut ea quæ ego volo, quæm admodum quidè volo, ita maximè fiant. Quid autè velim, et quamobrè istuc miserim, ex Paulo ipso cognosces. Ei porrò mādavi, vt nihil omnino agere aggredetur, nisi conuento prius Langæo: quem fortè in aula si non offendisset, ad te adiret, omniaq; gereret de vestra potissimū auctoritate ac sententia. Quapropter peto à te, vt hunc adolescentem, mihi & charum admodum, & probatum, omni humanitate tua excipias. Ego si ea abs te officia expecto, quæ tibi vicissim si casus ita ferret, libentissimè tributurus essem: non tibi id mirum videri aut nouum debet. siquidem ex illis artibus literisq; liberalissimis, in quibus instituti ambo atq; educati sumus, sic didicimus, inter bonos agi liberè omnia, & familiariter oportere. Quorum verborum

uim si attenderis, hoc profectò statues, & tuam mihi paratam benenolentiam semper praesto esse debere, & meam tibi: quod à parte tua sperare, à mea polliceri tibi possum. Vale, & nos dilige tui amantissimos. Carpentora acti, M. D. XXXII.

IAC. S ADOLETVS EPISC. CARP.

Ioanni Bellaio Episc. Parisiensi S. P. D.

Um aduentus Pauli summa me latitia affecit, propterea quòd paterna illum iam dudum charitate complexus, eius ingenio, probitate, modestia, sic delector, vt omnia quae parentibus à bene moratis liberis iucunda accidere solent, ab illo mihi accidant: tu muerò cumulat^{us} sum maximo gaudeo, cū de tua erga me atque illum voluntate, deq^{ue} omnibus officijs, quae mihi absenti in illo praestitisti, ipsius testimonio & verbis sum edoctus. Quae quidem non solum illo exponente cognita mihi sunt, sed tuis etiam humanissimis & elegantissimis literis confirmata. Ego verè (sic tua et mea salus perpetuo mi Bellai Deo cordi sit) vt istum animū tuum erga nos, amorem, studium, omnibus fortune premijs & honoribus antepono. Non enim quicquam duco in rebus humanis esse optabilius, quam diligi ab his, qui propter virtutem & nobilitatem, dignissimi ipsi sunt ab omnibus qui diligantur. Quod quando mihi in te contigit, & tibi qui es mihi charissimus, ego quoq^{ue} vicissim (vt video) non inamabilis sum: & mihi ipse gratulor, & tibi gratias ago. Quod nobis tū opè et operam paratam defers, si quid mihi, vel Paulo istuc fuerit opus, ego promissionem tuam neque contemno,

& tamen istam tuam voluntatem omnium promissio-
 num exitu habeo chariorem. Te enim ipsum potius ex-
 peto eximiumq; in te bonum, & in Langao fratre tuo
 mihi constitutum est. quos habeo ambos, quibus non
 beneuolentia solum, sed vero etiam iudicio sum amicissi-
 mus. Quod quidem latius etiam manat, & in illum fra-
 trem vestrum, qui Lutetia in senatum est cooptatus,
 & in vniuersam domum familiamq; vestra. E qua cum
 videam qui exoriantur viri, quibus ingenij et animi or-
 namentis præditi, de generis vestri indole ac disciplina
 id statuo quod necesse est, esse illam in laude virtutis
 raram, in exemplo prope admirabilem. Quid enim ve-
 stri ista comitate, & in obsequendi studio, diligentia,
 sedulitateq; spectatius? Sed hæc, quæ maiorem copiam
 orationis desiderant in aliud tempus differenda sunt.
 Regi isti maximo, ac præstantissimo, ego iam pridem o-
 mni obseruantia & amore me addixi: cum alijs quidẽ
 etiã de causis, vel quod ita debeo (sum etenim illius iuri
 potestatiq; subiectus) vel quod ipse humanitate, ben-
 ficentia, magnitudine animi, omniũ cultum amoremq;
 demeretur. Verùm illa tamen præcipue me induxit ra-
 tio, quod ipsius animum prope sum erga bonas literas,
 dignũ esse arbitror cui ab eisdem literis & artibus quas
 amat, honos & gratia referatur. Quarum ille artium
 causa cum mihi non nihil de sua beneuolentia impartiat,
 ut & tu scribis, & ipse ex multis indicijs cognoui: eni-
 tar, atque contendam, quoad efficere poterò, ut tanti
 Regis nomen per me quoque propagetur in posterita-
 tem. Omnino opus habeo in manibus vnum omnia dis-

ficillimum: de quo (vt video) ex Pauli sermonibus satis cognosti. Sed tamen in maximis conflictationib. altissimarum questionum, dabo operam, vt mea diligentia ac laboris fructus aliquis appareat: etsi, quod mihi per quā cecidit incommode, quatuor iam mensib. valetudine aduersa ab illo opere & cura fui distractus. Sed & ego incipio ex morbo recreari, & te depulso morbi periculo, tuam prisinam valetudinem recuperasse, vehementer lator: neq; me meā sperare propinquam iam salutem, quam te tuam adeptum esse iucundius mihi est. Verum de his haētenus. Ego & tibi & Langeo fratri tuo pro vestris singularibus officijs maximas gratias ago: & par vobis studium, similemq; xoluntatem polliceor. Quod aut est fidelis veraq; amicitia proprium, vt nunquam vestrorum exeat mihi ex animo memoria meritorum: id ita praestabo, vt vos nobis eiusmodi studia amorisq; indicia tribuisse ne vnquam poeniteat. Valete. Carpentoracti, X Calend. April. M. D. XXXII.

IAC. SADO LETVS EPISC. CARP.

Ioanne Bellaio S.R.E Cardinali S.P.D.

Nihil quidem ad me nouum, sed tamen & optatum semper, & gratū ex vrbe rediens attulit Paulus, cum de tua erga praesentem se, meq; absente in humanitate, beneuolentia, comitet. q; plurima commemorauit. Qua ego audiens, meaq; vetera & perpetua studia erga te, & fratres tuos, animo recogitās, facile mihi persuadebam, quod tantū vobis honoris semper atq; obseruantiae tribuissem, quod tantum vos ad amassem, omnibusq; meis officijs vestram praecipue familiam ex
 omni

omni Gallica nobilitate fuisset profectus, positam à
 me operam perbene, idq; iudicium, quod de vobis fecis-
 sem, non tam vobis laudi, quàm mihi ipsi ornamento esse
 intelligebam. Fortes enim viros, et liberales, eosdemq;
 magni animi, etiam consilij, tum aut omnibus artibus
 ingenuis egregie institutos, florètes gratia, honore, no-
 bilitate, cum amare occæpi, non solum faui illorum uir-
 tutibus, sed mea quoque laudi consului: cum ex eorum
 amicitia factus ipse sum honestior. Neq; hoc tamen ma-
 litiose spectavi, ut ad meum cōmodum ista reuocarem:
 sed verò vestri memores, vestra virtus, vestra dignitas
 ad singulare quoddam de vobis iudicium adduxit. Et
 si (quod cum pudore quodā loquor) eos ex tua beneuo-
 lentia fructus percipio, ut quasi hoc ipsum ante prou-
 disse & spectasse quodammodo videar: ut quod egisti
 proximè in altero illo fratris mei filio, quem in cliente-
 lam & domum tuam receptum, non solum opibus su-
 stentat, quod ipsum per se magnum est: sed & (quo nul-
 lum signum amoris nobis illustrius præbere potuisti)
 consilium ipse dedisti Paulo, autorq; fuisti, ut eum po-
 tissimum familiaritate tua deuinciret: quò mores ado-
 lescentis, qui videbantur esse inconstantiores, tua gra-
 uitatis nutu coercerentur. Hæc res, etsi præter animi
 mei sententiam sic acta est (ego enim aliam quandam
 vitæ rationem adolescenti ipsi præscripseram) tamen
 postquam id ita uti fieret tua grauißima intercessit au-
 toritas, debeo existimare, nihil non optimo à vobis fa-
 ctum esse consilio. Tantum à Deo peto, ut adolescens,
 quem ego certè diligo, dignum se tuo hoc beneficio, &

in signi humanitate præbeat. Quod autem ego plurimi facio, quodq; mihi ad letitiam animi, & ad voluptatē maximū est, habere tam illustre monumētum tui erga me amoris, de eo tibi optime atq; amplissime Bellai, tātas habeo agoq; gratias, quantas maximas & animus meus capere, & lingua verbis proferre ac nūcupare potest. Sed tu fortasse hos vocabulorum sonitus non postulas, animum meum requiris: quem tibi semper dediisti, quod tu die etiā magis magisq; constrictum atq; obligatum habiturus es. Qui quidem ita tuus est, vt ferē sine te, & sine dulcissima recordatione tui, mecum nunquam esse possit. Eum ego mecum vnā, cumq; omnibus meis, qui omnes tui sunt, dedo tibi atq; trado: teq; oro, vt tuam istam voluntatem erga me, quæ est mihi reuū omnium charissima, conserues & tueare. Fratrisq; mei filium, ætate etiā nunc & moribus adolescentem, ita tibi commendatum habeas, si se dignum patrociniatuo præbuerit. Vale III. Id. Martij, M. D. XXXVI.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Antonio Prato, Episcopo Senonensi,
S.R.E. Cardinali S. P. D.

Quo tempore Romam à summo Pontifice ex mea ecclesia euocatus accesseram, ea conditione eram profectus, vt constitutis rebus mei muneris, (eram. n. illi à consilijs, vt tu scis) liceret mihi ad meam ecclesiā reuerti, & in ea diu iam debitum, & nuper inchoatū Deo omnipotenti samulatum impendere. Quod & postea feci optimi Pontificis voluntate, ita apto tempore atq; opportuno, vt facile appareret iusta & re-

Et a cupientibus libenter Deum opem ferre. Viginti enim diebus ipsis ante sum elapsus, quam illa clades, horribilisq; calamitas vrbi Rome incideret. Qua etsi mea quoque fortuna omnes dissipata fuerint: salus tamen mea, et libertas, mihi incolumis retenta est. Mea igitur causa dolendum mihi non fuit neq; enim admodum sum iactura rei familiaris commotus alienam autem vicem quin dolerem humanitatis causa facere non potui. Graui itaq; mœrore & acerbissimis animi angorib. ex multorum mihi amicissimorum, ac summi præcipue Pontificis incommodis sui affectus: quem ego (Deum immortalem contestans) virum bonum, eundemq; prudentem pacisq; imprimis amantem esse semper cognoui: verum aliquorum minimè prudentium consilijs parum felicem. Sed mihi ad meam ecclesiam iam reuerso tuo amplitudo proposita imprimis fuit. Arbitrabar enim mei officij esse, meaq; perpetua erga te obseruantia, aliquid ad te scribere, ex quo & mea fidelis tuorum erga me meritorum memoria, & maximarum clarissimarumq; virtutum tuarum admiratio tibi significaretur: egoq; quod diu antè cupiebam, amplificate dignitati tue gratularer: cuius ipse quoq; pro virili mea parte, si non adiutor (tua enim summa & præstabilis virtus atq; autoritas meo adiumento non egebat) at certè conscius, & diligens minister extitissim. Accidit aut propter mea plurima incommoda, maximasq; omnium rerum difficultates, vt ab hoc scribendi officio vsq; ad hunc diem fuerim retardatus. Gratulor igitur tibi, vereq; & ex animo gratulor, quòd hunc istum amplissimi sacerdotij

hono-

honorem ita es adeptus, non ut gratia ille datus, sed ut virtuti tributus fuisse videatur: ut in eo non fauor, sed meritum: non muneris, sed premij ratio, non voluntas dantis, sed accipientis dignitas fuerit spectata. Qui quidem honor in te collatus, mihi ipse honestior atq; insignior multo videtur esse factus. Nam quod ad honoris ipsum attinet, multi saepe indigni illum obtinuerunt. Sed habere usum rerum maximarum, fugere infamias & turpitudines, abstinere alienis, iustitiam colere, negotiorum maximorum et curarum altissimarum autorem esse sapientem, ingenio, integritate, doctrinamq; praestare, veri hi honores, vera ornamenta sunt. Quae cum in te mea sententia permaxima sint, magis honori ipsi propter te, quam tibi propter honorem ducimus gratulandum. Ille enim indicare tantummodo habet eius hominis, in quem collatus est, virtutem & dignitatem, in quo fallere saepe est solitus. Tu vero effecisti, non ut nunc demum verè indicet, sed ut plus in te etiam praestare, quam in alijs promittere posse videatur. Sed haec clariora, quam ut multa egeant praedicatione, parcius attingenda sunt. Tantum a Deo immortali est postulandum, ut tibi istum honorem fortunet, & perpetuae felicitati iubeat esse: quod nos summa cum benevolentia & amore erga te eundem ipsum Deum supplices deprecamur. De me autem ipso hoc tibi habeo dicere: cum tua erga me vetusta merita grata mihi recordatione in animo semper versentur, non posse me obliuisci quantum tibi debeam. Itaque laboro dies ac noctes, ut aliquo modo possim in te videri gratus. Et quoniam ceterarum facultat-

cultatem rerum fortuna mihi ademit, illud quod proprium est mihi ab Deo omnipotenti donū, quod ego sacris literis & præstātissimis disciplinis apprimè deditus colere scribendo nonnihil possum hominū de me et de ipsa virtute bene meritorum memoriā: totū tuæ laudis & amplitudini defero. Etenim hanc voluntatem meam si non fueris aspernatus, dabitur aliquando nobis locus, vbi memorem me tuorum erga me meritorum & tu ipse agnoscas, & ventura posteritas intelligat. Vale amplissime patrone, & tuo patrociniō nos fouere ne desine. Carpent. VII. Idus Sept. M. D. XXVIII.

IAC. SADOLET. EPIS. CARP.

Antonio Prato S. R. E. Cardinali, S. P. D.

Quia notum est meum erga tuam amplitudinē studium, & incredibili tui nominis obseruātia: ideo fit, vt quidam homines, de tua in me vicissim volūtate coniecturam facientes, cupiant tibi per me commodari. Quibus ego profecto hoc officium humanitati debitum non negabo: dum illud prius tester, in cunctis quacunque à te petiero, ita mihi cupere morem geri: si ea tibi & facilia factu, & æqua atq; honesta esse videbuntur Ioānes Fraxinus, qui has literas tibi reddidit, cuius est Auenionensis, imprimis honestus & bonus, mihi autem, & sua causa, & suorum necessariorum ac cognatorum, quos ego mirificè diligo, valde charus atq; iucundus. Is ad nostrum hoc vitæ genus, & ad sacerdotalem ordinē aspirans, cuperet ecclesiastica aliqua vectigalia consequi: quod difficillimum sibi putat fore, nisi sacerdotiorū in regno obtinendi aliquā facultatem sit nactus.

nactus. Eam porro arbitratur se tua vnus ope atq; auxili-
o consequi posse. Itaq; eum tua bonitati, beneficentia,
humanitatiq; commendo: vt per te, perq; tuam gratiam ac
benignitatē, optatum exitum vtorū suorum consequatur.
Quod facilius efficere poteris, quod & ipse mediocria
postulat, & tua etiam limitandi ac definiendi futura est
potestas. Ego, si hoc in illum beneficiū mea commendatione
adductus contuleris, non mediocri me ipsum beneficio abs te
affectum esse arbitrabor. Erit enim hec significatio tua
erga me voluntatis, non modo honori mihi & ornamento apud
hasce nationes, sed animo etiam meo precipue grata: quippe
qui fructum mea in te summa obseruantia summiq; amoris
non alium prorsus quero, quam amorem ipsum tuum: quo
vt perpetuo dignus sim, omnibus meis studijs atque officijs
diligentissimè providebo: tuorumq; erga me meritorum
memoriam grata semper recordatione proseguar. Tu vt nos
diligas, habeasq; in numero tuorum, omni animi cura &
studio abs te peto. Vale. Capentoracti, XV. Calend. Martij, M. D. XXIX.

IAC. SADOLET. EPIS. CARPENT.

Antonio Prato S. R. E. Cardinali, S. P. D.

M^{ea} tuarum maximarum occupationum cogitatio, facit, vt minus saepe ad te literas dem, quam cuperem. Sed vbi nominis tui honor agitur, non puto me alienum ab officio facturum, si qua tuae dignitati conuenire arbitrer, liberè ad te scribam. Sumus in maximo mœrore omnes, quibus rectus regendi ordo, & iustitiæ cordi est, ex Cosimerij Aquensis praesidis viri clarissimi

mi & sanctissimi morte. Qui his regionibus & populis abs te prapositus, tanquam è cælo nobis missus, noue integritatis & iustitiæ lumen quoddam omnibus ostendebat: suamq; propè inauditam virtutem cum tua maxima laude, & istius regis admirabili gloria, labore & vigilijs suis, omnium hominum tempori & commodo expositam habebat. Qui alieno sanè tempore nobis ereptus est: suo ipse profectò non mediocri bono, sed cum nostro graui incommodo. Quanquam ego eum de facie nò noueram. Verùm ita se gerebat in eo munere, quod illi abs te cõmissum fuerat, ita equitatem, veritatem, imbecillitatem, aduersus iniuriam, mendacium, violentiãq; protegebat, ac tuebatur, vt quotidianis illius laudibus, & commemoratione clarissimorum operum cælerent aures meæ. In quo egregia quadam iuncta erat commendatio nominis tui, cum incredibili cunctorum erga te beneuolentia. Sic enim omnes iudicabant, ad tuas ceteras virtutes, quæ vno omnium ore celebrantur, prouidentiam, grauitatem, integritatem, doctrinã, quæ ita in te elucet, vt solus prope omnium hominum iustis curis & negotijs quæ gubernas, habere par, hanc quoque accedere laudem dignam sapientia tua, vt non solum per te, sed per alios etiam, velles populorum & gentium saluti ac tranquillitati esse consultum. Cum enim cerneremus omnes, quam tu curam suscepisses, vt optimus nobis rector præsiceretur: & tuam providentiam de nobis agnoscebamus, & in te amore incredibili accensi ferebamur. Ac nostra quidem erga amplitudinem tuam volũtas eadem futura est, eademq; de tuis

virtu-

virtutibus opinio. Sed tu in quo spes nostra sita sunt, cuius fiducia cuncti in tanto dolore aliquantum acquiescimus: per Deum ipsum immortalem, qui hæc facta et opera imprimis intuetur, qui te merito voluit tanta potestate esse præditum, ut istam tuam mentem tot sapientie thesauris refertam, ad publici boni curam totam conferres: ne desere nos, eandemque adhibe auctoritatem et diligentiam, quam adhibuisti antea: ut similis nobis præses iustus, ac gravis, tuæque imitator disciplinae de integro præponatur. Quod cum feceris, non magno tuo labore maximam es consecuturus apud Deum gratiam, apud homines laudem. Nos quidem qui tui toti sumus, & tuo nomini, fama, honorique præcipue dediti: quantum erit in nobis, non sinemus huius tui tanti ac tam insignis beneficii prædicationem, neque nunc silentio tegi, neque apud posteros mutam esse. Vale. Carpentoracti, Pridie Nonas Iulij, M. D. XXXI.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Antonio Prato, S.R.E. Cardinali S. P. D.

Quæ tu fuerit humanitas in excipiendo Paulo meo, cum is salutatum ad te meis verbis venisset: quanta declaratio eius benevolentia, quem erga me susceptam habes, eo referente narranteque cognoui. Pro qua, quid ego tibi dicam? Habere me gratiam tibi? habeo et quidem. Sed quid istud est, tantis iam à te beneficiis acceptis? An me relaturum eam aliquando? Quis audeat hoc loqui? aut quis non intelligat, sicut ad solis lumen lychni igniculum, sic ad virtutem, ad amplitudinem, ad auctoritatem tuam, meas omnes fortunas nullius esse
momentum

momenti? Sed ne ego planè ingratus sim, si non agnoscam, & cui, & quantum debeam, audebo nimirum agere tibi gratias, atq; eas quidem quantas possum maximas: te vehementer deprecans, ut tua illa præstās atque eximia erga me humanitas, qua me tibi in perpetuum obstrinxisti, hoc etiā addat ad reliqua plurima beneficia cumuli, aut meam hanc gratiarum actionem in bonam partem accipiat: meumq; memorem, & gratum animum approbet, etiam si pares mea voluntati effectus non sequantur. Id quod me à sapientia, et ab animi tui æquitate spero iam impetrasse. Ego hoc tēpore versor in opere omnium difficillimo, ut diui Pauli epistolā interpreter ad Romanos. Cuius operis cū primum quoq; librum confecissem, (nā in tres libros tota diuisa commentatio est) forte iter hac habuit amplissimus vir collega tuus Franciscus Turnonius, cognitaq; meorum studiorū ratione, cū me multū ut perseverarem hortatus est, tū illud petijt, ut simul atq; hunc primum perfecissem librum, ad eū statim mitterē: quod idem postea per literas non desistit postulare. Id ego nunc feci: misiq; ipsum volumē, exanimandū omnium doctorum iudicio, qui modò æquitatem animi cum doctrina habeant coniūctam. Nam quod ad me attinet, paratus ad utrunq; sum, & probari, & reprehendi. Quæ etiam reprehensio si fuerit iusta, mihi futura est utilior: quando per illam melior & consideratior fiā. Hac ego ad te scripsi, magis ut ne quid mearum rerū tibi esset ignotum, quàm ut audeā postulare uti hac legas. Quæ etiam si non indigna, attamē incommoda

sunt tuis grauisimis & maximis occupationibus. Mihi tua salus, dignitas, amplitudo, ita est cordi, vt Deum o-
 ptimum Max. quò ista omnia tibi tueatur, quotidieq;
 ad secundiores prouehat euentus, rogare non desinam:
 quod sit virtuti, & bonis moribus ac legibus, sanctaq;
 fidei catholica, cum tua insigni laude, còmodo semper
 atq; emolumento. Vale. Pridie Calend. Octobr. M. D.
 XXXII. Carpentoracti.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. AN-
 tonio Prato S. R. E. Cardinali S. P. D.

Cum Lugduni fuisset, speciemq; illam in te summi
 & præcellētis viri, de quo tam multa absens audie-
 ram, ipseq; pluribus in rebus ita esse cognoueram, ocu-
 lis mei præsens subiecißem, fuissetq; eam magna mea
 cum voluptate, nec minori cū admiratione cõtemplat-
 us: propterea quoddam voluptatem mihi meus in te per-
 petuus amor, singularisq; obseruantia, admirationem
 verò sapientia & virtutis tuæ magnitudo affererat:
 possum tibi confirmare, post meum illinc discessum, me
 moriam tui semper mihi in animo ita versatã esse, vt
 non dies, neq; noctes, mea de te cogitatio, & cura ali-
 quid conandi, quò pro tuis plurimis erga me beneficijs
 gratus in te esse intelligerer, vllò modo requiesceret.
 Et si enim superioribus temporibus tu nunquam desti-
 tisti de me bene mereri, tuamq; ego in meis rebus omni-
 bus, quæ ope & auxilio tuo eguerunt, beneuolentiam
 erga me, humanitatem, liberalitatem sum expertus: ta-
 men hoc recente factò, quo mihi dedisti præclarum a-
 pud Regem tui de me iudicij testimoniũ: idemq; detu-
 listi,

lissi, ac de optimi Regis voluntate mihi es pollicitus:
 si Regem, & Regiam colere, et sectari vellem, amplif-
 sima mihi fortuna & premia non de futura. Hoc inquam
 tuo praestantissimo merito, quo nullū maius à tanto &
 tali viro ne optari quidem potest, ita sum ad omnē be-
 neuolentiam & studiū colendi tui ac venerandi nomi-
 nis incitatus, vt ne si vitā quidem pro te effundam, vel
 paruam partem tuorū meritorum videar consecutur-
 ur. Quanquam enim diu est, quod ego amplitudinem
 tuam & colo, & diligo, omniq; honore, atq; obseruan-
 tia prosequor, multisq; tuis erga me beneuolentia si-
 gnificationibus summē deuinctum me atq; obligatum
 esse sentio: tum autē de grauitate, doctrina, sapientiāq;
 tua ita existimo, vt nullum prope exemplum tale, ho-
 minis rerum molem maximarum tanta facilitate pru-
 dentiāq; moderantis, ne antiquis quidem temporibus
 putem extitisse: tamen illud de te iudicium commune
 mihi cum multis semper fuit. Hoc verò quod precipuè
 ac propriè meum est, quo tibi sum tanta et tam insigni
 tua humanitate obstrictus, sic me & cepit, et incendit,
 vt prorsus mihi necessariò confitēdum sit, neq; ad refe-
 rēdā tibi gratiā aliquas opes meas, neq; verò ad cōme-
 morandam verba vlla suppetere. Et quoniam arbitror
 ad meum officium pertinere, vt tibi respondeā, de eo, qd
 tu mecum locutus es: agamq; quoquo modo possum ta-
 men gratias. Quorum alterum tunc propter breuitatē
 temporis mihi nō licuit: alterum nunquā plane licebit
 sic facere vt debeo: de eo primū dicam, quod ad sectā
 dum Regem pertinet: cui equidē sum toto animi mei

studio addictus. Sed ut hanc vitam abijciam pacatam, atque tranquillam, in quam ego veluti in portum, ex magnis ipse quoque negotiis, & agitationibus, tanquam ex fluctibus me recipi: non casu neque fortuito, sed consilio certo, datamque opera: nequaquam id videretur aut constantia mea, aut verioris vite utilitatibus conuenire. Non enim in opibus precipue, nec in diuitiis nostra posita bene agenda vite ratio est: sed in eis magis studiis & actionibus, quae & presentem nobis iucunditatem praebent, et futuram immortalitatem pollicentur. Quod tu summus omnium et prudentissimus vir, in te ipso facile potes recognoscere. Sed & si quietam vitam hanc, illi alteri vite difficili & negotiosa proponenda multum est: tamen cum incidant interdum tempora, ut officium ceteris rebus sit anteuertendum, nec possit alter virtus & veritas rite conseruari, nisi labor aliquis negotiorum suscipiatur: si quod eueniret tempus eiusmodi, quomagna res aliqua Regis nostri, magnae gloria ageretur, si modo ei ego muneri viderer esse idoneus: & si ea res cum fide & dignitate tractanda esset: in quo vitioque video errare & decipi communem vitam, quae versutas, et varias gerendarum rerum rationes, illis rectis & prudentibus actionibus anteponit. Si talis, inquam, actio, ac tale offerretur tempus: non denegarem Regi nostro profectum operam et fidelitatem meam. Neque cum id facerem, viderer mihi ab hoc iam suscepto genere vite desistere: id enim certe nunquam sum facturus. Sed officium tamen spero me iudicari fungi, vnaque aliqua in actione ei Regi deseruire, cui me omni honesta ratione, et propter

pote-

poteſtatem eius, et propter virtutē atq; humanitatē eſſe ſubiectum decet. Sed neq; hoc vt contingat, optā dum mihi eſt. Cupio enim rationes & conſilia omnia Regis ita faciles curſus habere, vt non ſit opera aut in dūſtria cuiuſquā admodū requirenda. Et tamen ſi cōtingeret, nō tantā in me ingenij vim agnoſco, vt non multos Rex habiturus ſit, q̄ ego ſum, magis idoneos.

Quamobrē hac tibi mēte et volūtate mea ſatis expo ſita, redeundū mihi ad id eſt, q̄ eſt omniū longē diſſi- cillimum: quo pacto tibi agā gratias. Quōd ſi aut tua nō tā ampla autoritas, aut merita erga me mediocria ſaltem forent, conarer aliquid profectō, & aliquam partem gratiæ exequi me poſſe conſiderem. Sed cū & amplitudo tuæ dignitatis, & benignitas in me tua om- nem meā agendi loquendiq; facultatē longē ſuperet: peto à te, vt meum amorem erga te, & fidem, & pie- tatem, quæ nūquam poſthac à tui mihi venerandi no- minis aſiduo cultu, incredibiliq; obſeruātia abſutura eſt, pro aliqua parte gratiæ recipias. Quōd ſi ea ſtu- dia in quibus quotidie verſor, aliquid fortē aliquando habebunt autoritatis: dabo opera in profectō, vt quan- quam tuum præclariffimū nomē meis ipſum ſcriptis multo plus luminis allaturum ſit, quàm ipſi mea ſcri- pta, meum tamen de te, tuiſq; præſtantiffimis virtuti- bus iudicium apud poſteros appareat. Quod non ideo ſcribo, quōd magnā tibi rem polliceri mihi videar: ſed quōd tu magnam meam erga te intelligas eſſe vo- luntatem. Vals. Carpentoracti, V. Idus Iulij, M. X XX III.

Vellem tantum dari mihi ad scribendum facultatis,
 vt exprimere possem eam, quã concepi animo in
 credibilem letitiam, posteaquã audiui tua, & cetero-
 rum episcoporum, qui istuc sedes et domicilia habe-
 tis, opera, autore et principe amplissimo legato, factũ
 esse, vt diuinum illud Pauli epistolarum volumẽ publi-
 cẽ explanaretur: vosq; vnã cum alijs multis, si agrates
 studio sacrarum lectionum, in illud adiutorium conue-
 niretis frequentes. Certẽ enim si Christianus sum, cha-
 ramq; imprimis habeo omnipotentis Dei gloriã (quẽ-
 admodum quidẽ habeo vita ipsa mea longẽ chariorẽ)
 hoc nomine maximẽ later necesse est. Nõ enim alia re
 magis illa illustratur, neque ipsius Dei maiestas, infini-
 taq; bonitas melius ostenditur, quã cum illius benefi-
 cia erga nos memorantur: plurima illa quidem passim
 & maxima, quæ omni humano generi ab eo tributa
 sunt. Sed quod ad fidẽ Christi, & adoptionẽ nostram
 in genus summi Dei pertinet, quæ nos tanquam filij in
 hereditatem regni celestis vocati sumus, tale atq; tan-
 tum, vt vix humana vlla cogitatione magnitudo illius
 beneficij possit concipi, cuius in vno Paulo sunt explicata
 mysteria: si verò legati summi viri laudi faueo, e-
 iusq; dignitatem cupio esse quã amplissimam: sicut
 profecto omni cum beneuolentia facio: quid illo digni-
 us? quid honori, nobilitati, nominiq; eius cõuenientius,
 quã autorem esse tanti boni suis populis? suamq; tan-

tam & tam beneficam in omnibus homines ostendere
 voluntatem: ut quos patrocinio tegit, consilio guber-
 nat, imperio & auctoritate in pace et officio continet,
 eos etiam studeat non solum terrenis bonis, verum etiam
 caelestibus florentes sua opera fieri, ac beatos? Magna
 ista laus, & principe magno digna. Hoc ille nimirum
 suo facto, hac providentia, hoc insigni praestantiq; be-
 neficio planè aperit animi sui naturaq; magnificentiam:
 et dignissimum se demonstrat, in quem tam multa dona
 sunt ornamentaq; fortuna à Deo hominibusq; collata.
 Te verò, mi optime & iucundissime Nicolae, quibus
 efferam laudibus? cuperem de te omnia proferre que
 sentio. Novi tuam bonitatem, iustitiam, integritatem,
 sensus tuos novi plenissimos pietatis, animum quoq; o-
 ptimis semper deditum & artibus & literis, quod sa-
 pe miratus sum. Atq; eo magis, quòd te ex maximis cu-
 ris & occupationibus, quibus distinebare, aliquid sem-
 per videbam surripientem temporis, quòd verioribus stu-
 diis impartires. Cuperem, inquam, haec de te loqui, &
 enucleatius commemorare omnia. Sed vincit tua virtus
 studiū meum, neq; est nostra tuis laudibus facultas vl-
 lo pacto par. Veruntamen etsi tu neq; nunc primū, nec
 unquam mediocriter, sed diu antè totus in optimis stu-
 diis fuisti: hoc tamen recēte tuo facto, quòd summi do-
 ctoris & praecoris magni Dei lectionem prouehere,
 atq; illustrare pro tua parte conatus es, sic me tibi de-
 uinxisti, ut in veteri nostra mutuaq; beneuolentia, me-
 us in te amor quasi nouo igni inflammator factus esse
 videatur. Itaque cum te magis magisq; quotidie amo:

tū verò fratres illos nostros, qui tibi honore pares, me autem ipso omni dignitate superiores multo sunt, et collo nunc demum & veneror, quantum equidem possū, non quantum illi meriti sunt: qui tecū in tam præclari operis societate consenserunt: qui ea qua se digna sunt & fouent, & sectantur. Ex quibus ipsi quantum in animo suo letitia ac vera voluptatis, quantum apud homines bona existimationis cōparaturi sint, ipsa re, si perseuerauerint, experientur. Vrbi etiam isti Auenionensi gratulor: in qua si hac vigere studia, & germinascere incipient, tãtorum præsertim adiuta auctoritate virorum: maximum illi ciuitati non modò ornamentum, sed etiam cōmodum accessurum est. Aperietur enim animis ingenuis, et altius quàm pro vulgicaptu sese attollētibus, via, qua non è terra se natos neque in terram versos esse intelligāt, sed cœli dominos sese & cœlestium rerum intueantur. Non in litibus contentantur: sed ipsi ceterorum litibus & controuersijs apponant modum. Non ignauis, & abiectis, & vilibus curis, sollicitudinibusque rerum, & opum terrenarum tantopere deprimantur: qua hominem cogūt sui obliuisci, et à se ipso deficere, atque in turpem quandam et penè mōstruosam degenerare naturam: sed celsi, et erecti, ac veris diuitijs opibusque fidentes, incolumem statum retineant dignitatis suæ. Atque hæc ego confirmo hominum naturis & animis agnasci ex his literis, & ex hac tanti doctoris lectione præclara. Non deuitiis, nec de vigilijs, aut assiduitate orãdi, aut paupertate profitenda nunc loquor: hæc enim quanquam

sancta

sancta sunt, & cœlestē premium promerentur: tamen in alio quodā virtutis genere sunt spectanda. De illa vita dico, quæ posita in honoribus, reserata diuitijs, in magistratibus collocata, animum secū affert ad ista omnia longè plus suis & proprijs bonis, quam his quæ sunt fortuna dona confidentem: quæ in negotijs & conuentibus hominum, in aulis, in conuiujs, in omni sermone et familiaritate cōuiuendi, ita voluptatem & latitiam consecratur: vt à decore quodā suo, & specie præstantis viri non discedat: plena illa semper gaudij ac iucūditatis: nihil vnquam ferè molestiæ in se ac perturbationis admittens: cū hi, qui terrenis istis cupiditatibus rapiuntur, & omnia in pecunia posita putant, nunquā verè, nec ex animo latentur: sed habeāt vitam solitudinibus, scrupulis, auaritate, pœnitentiâq; perpetuò infestā. Ad hæc tanta commoda, atq; bona, quando inspirante summo Deo, maximi & clarissimi legati nostrī sapientia ac liberalitate, vobis illius exemplum auctoritatēq; sequētib; aditus iam in ista ciuitate patefactus est: & gratia à nobis Deo agende sunt, et ipse multum seduloq; orandus, vt nobis omnibus, quibus hæc legati prouidentia ac benignitas vberrimos fructus verissimorum bonorū allatura est, felix & faustum hoc principium facere dignetur: vt bonis inijtjs meliores quotidie succedāt exitus, et quæ bene incepta sunt studiosius perficiantur. Sperandum enim est, hoc egregio opere perfecto, & cœlestis doctrinæ lectione inducta ac confirmata, adiecturum animum eundem ipsum legatum ad hanc tollendam cōsu-

sionem, quæ in administrando iure nullum ferme iam
 vestigium veritati ac iustitiæ reliquum fecit: ut nō se
 dandarum discordiarum causa, et ut ius suum vnicuiq;
 tribuatur: sed malitiæ, perfidiæ, auaritiæq; exercenda
 gratia in forum atq; vsus adducta videatur. Ex qua,
 magna cum clade detrimentoq; multorum, neq; homi
 num solū, verū etiam populorum, certum quoddā
 genus vnum depascitur, quod est ad aliorum consumiē
 dos labores praua iam cōsuetudine inueteratum. Hoc
 restat adhuc, hoc in expectatione est, quod ab optimi
 præsidis prudentia ac virtute postuletur: huius est mu
 neris functio, & administratio reliqua: in qua tractan
 da, ordineq; constituenda, quātum illi laudis ab omnī
 sermonibus peruenturum & commendationis sit, ex
 finitimo provinciali exēplo possumus intelligere. Atq;
 ego, qui amplissimi legati honorem et dignitatem præ
 cipue expeto, ipsumq; incredibili amore obseruantiaq;
 complector, non sum quietum animum habiturus, do
 nec eum videro hanc sibi etiam laudem, hoc apud homi
 nes clarum & celebre nomen comparare: præsertim
 cū si ipse tanta adipiscenda gloria occasionem præ
 termiserit, alius qui successerit (ita enim credibile est)
 libenter eam sit arrepturus. Quid ergo est? non omnes
 omnia faciemus, ut is, quem maximè amamus, hac po
 tissimum fama, hoc honore potiatur? qui nostra omnia
 ad eum colendum contulimus, nō hoc illi imprimis præ
 ponemus, in quo ipse suscipiendo suam longè adaugeat
 dignitatē, in ore omnium & laudibus cum admiratio
 ne versetur, illustre testimonium præbeat suæ eximia
 VII.

virtutis & bonitatis, memoriam nominis sui cum aeterna beneuolentia cūctorum in omnium animis relinquat? Quid ipse? Feret ne alium potius, quā se, in huius boni possessionem accedere? Patietur tantum ingenium, tāta nobilitas, tanta virtus, alios sibi occupare hanc gloriam? & in tam praecleara actione, quam ipse dimiserit maiores sese illo, et animi praestantioris ostendere? Nō est ita existimandum. Equidē quod ad me attinet, cū illum conuenero, omnibus precibus obtestationibusq; adit ar, vt se ipse det ad hāc curam, sua nobilitate prudentiaq; dignissimam. Ceterū tu optime Nicolae, qui cum illo assiduus es, cuius ille fide & opera plurimum vitur, & amori integritatiq; maximē credit, (in quo quidem nil fallitur) enitere quaeso, contende, elabora, vt communem patronum nostrum, ad cetera plurima maximaq; ornāmēta, quibus à Deo insignis factus est, huius quoq; facti clarissimi & praestantissimi, gloria videamus insigniorem. Sed ego fortasse verbosior sum, quā opus sit. Id tu mihi ignoscas velim, & sic existimes, ab initio tantum voluisse gratulari, cū gaudium, quod ex lectiōe Paula in honorem publicē adducta conceperam, continere non possem. Postea verò ad alia haec scribenda amore, quo legatum, & hosce simul populos prosequor, fuisse prouectum. In quo si quid à me peccatum est: tua est humanitatis, & erga me beneuolentia, in bonam partē accipere, atq; errori meo veniam dare. Ego in te amando colendoq; augebo potius semper, q̄ vnquā diminuam studiū meū. Vale, & nos, quod facis, dilige. Carp. VII. Cal. Iu. M. D. XXXI.

IAC. SADOLETUS EPISC. CARP.

Franc. Turnonio S.R.E. Cardinali, S. P.D.

Diu est, quod ego et amore incensus tuarum clarissimarum virtutum, & magnis tuis beneficijs obligatus, toto tibi animo sui deditus: tuamq; amplitudinē omnibus meis officijs colendam mihi proposui. Sed hanc meam voluntatem quo minus tibi adhuc per literas declararim, id causa fuit: quod sperans aliquando congregari tecum, et coram tibi animum meum patefacere: reseruabam me ad id tempus, quo praesens praesenti tibi & agerem pro tuis erga me beneficijs gratias, & totum in me in potestatem tuam traderem. Sed cum hoc longius iam fieret, multaq; me causa & difficultates quotidie detinerent, quominus in ista loca & ad summi Regis conspectum, sicut constitueram, accedere possem: statui non esse amplius differendas has literas. Quae si non totam vim amoris in te mei, quae permagna est, tibi explicarent: nonnulla tamen me liberarent culpa: quae vereor ne a me suscepta sit. Feci enim certe, quod facere non debebam: ut nimis sero, quo animo sum erga te, tibi significauerim: commisiq; ut parum grati & beneuoli hominis officio videar functus. In quo oro te, & quae tua est humanitas, vehementer rogo, mihi ut ignoscas, neue id negligentiae meae, aut obliuionis tuorum erga me meritorum, sed inani potius spei & cupiditati visendi & alloquendi tui attribuendum putes. Quod cum confidam me a te pro tua natura benignitate iam impetrasse: accedam ad reliqua, quae mihi scribendi tibi in his literis proposita sunt. Primum, ut tibi de

bi de tua amplificatione dignitatis gratuler: deinde, ve
 pro acceptis beneficijs gratias agam. Gratulor igitur
 tibi, et valde gratulor, quod istum gradum honoris am-
 plissimi ita es consecutus, vt nō laus tua in illo honore
 posita, sed fortuna virtutem tuā secuta esse videatur.
 Nec verò vlla est verior, et magis te digna gratulatio,
 quàm quod tu is homo es, eis ingenij, virtutis, nobilita-
 tis, prudentiæ ornamentis præditus, vt nullus sit tantus
 honor, qui tibi non ita debitus sit, vt tamen dignitati
 tuæ par esse non queat. Sed vt hæc mittam, quæ hoc e-
 tiam maiora in te ac præstātiora existunt, quod omnis
 doctrine, & omnium artium optimarum comitatu ac
 scientia sunt instructa: illud in tua natura præclarum
 atq; magnificum, quod opes, & gratiam, & autorita-
 tem tuam, quæ magna est, omnibus semper bonis vis es
 se adiumento atq; presidio: quānam id hominum laude,
 aut quibus tandem honorum insignibus potest compē-
 sari? Equidem de tuo honore ita sentio, vt eo omnes bo-
 nos magis quàm te ipsum letari putē oportere. Siqui-
 dem illi fructus vberiores liberalitatis tuæ sibi in eo
 propositos esse sciunt: tu isti honori plus splendoris af-
 fers, quàm ipse honos tibi. Sed de his, quæ longiorem
 multo postulant orationem, tātum impresentia dictū
 sit. Illud, quod mei priuati in te est officij, ingenuè aper-
 teq; cōfiteor, me tibi maximo tuo merito valde esse ob-
 ligatum. Recordor enim cū ego essem absens, ac ho-
 minum litigiosissimorum ac violentissimorum iniuriis
 meæ fortune in graue iudiciorum discrimen essent vo-
 cata: te ita suscepisse meas partes & fauendo & scri-
 ben-

bendo, & præsens ipse meam causam cōmendando, vt nullum prorsus officiū prætermiseris, quod homini amico à patrono amplissimo posset tribui. Idq̄, neq̄, tu rogatus à me, neq̄, vlla mecū familiaritate cōiunctus: vt eo plus beneficium tuū, et natura tua bonitas sua sponte propensa ad me benefaciēdū appareret. Quasi studia voluntatis tuae erga me, aut in memoria mea perpetuò non haberent, aut à me minoris quàm dignum est estimarentur, hominem ipse me non putarem. Sin autem rursus illis à me referri arbitrarer posse meritā gratiam: nimis ample ipse de me, & de meis facultatibus existimarem. Quae cum ita sint, & cum tua beneficia in me amplissima, ego natura certè & voluntate gratissimus, opib. & fortuna tenuior sim, quàm vt possit à me tuis benefactis & meritis officium par referri: peto à te, vt qua liberalitatis animiq̄, præstātia, me tibi ab initio deuincire voluisti: eadem nunc et bonitate, & liberalitate, animū meum flagrantem desiderio satisfaciendi tibi, gratiamq̄, referendi, pro relata gratia accipias: meq̄, tuum totum & in tuorū numero imprimis habeas. Ego enim tibi polliceor ac spondeo, si eandem tu mihi beneuolentiam benignitatemq̄, præstiteris, quam ab initio ostendisti, mecum semel susceptū in clientelam perpetuò complexus fueris, daturum me operā, vt ne te huius de me iudicij, & tuae amicae erga me voluntatis poeniteat. Vale Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Franc. Turnonio S. R. E. Cardinali,

S. P. D.

*S*uaissimas tuas accepi literas, quas Lugduno in Ita-
 liam proficiscens ad me dedisti: librumq; Budæi no-
 stri cum his vnâ, cum ipsum mihi per se gratum, tum e-
 tiam gratiorē, quod veniebat ad te. Quanquam ne id
 ipsum quidem tanti, quam quod illo modo, & cum illa
 diligētia veniebat. Dediisti enim mihi amoris in me tui
 insigne testimonium, cum tantam curam suscepisti, vt
 optatum illud donum ad me perferretur. De quo tibi
 hoc confirmo, duplicē me cepisse voluptatem, & quod
 materia digna est eruditæ auribus, & quod Regis no-
 stri nomen talibus iam scriptis celebrari gaudeo. Budæ-
 us vellem genere ipso orationis aliquanto esset lenior.
 Summum quidem illius ingenium, & incredibilem do-
 ctrinam, tum autem coniunctam his tot ornamentis in-
 nocentiam vita, & probitatem, & dilexi semper, &
 admiratus sum. Sed mi humanissime Turnoni, qui tam
 repente nobis te eripuisti, quæso ad quod tempus te ex-
 pectaturū sumus? omnino puto magnis te de rebus eò fu-
 isse missum: tametsi rumoribus multa circumferuntur,
 quib; ego neq; omnino fidem habeo, neq; prorsus dero-
 go. Verū alia sunt, quæ magis puto ad me pertinere: vr-
 geo enim dies & noctes opus illud, cuius tu partem in-
 manibus habes: à qua te lectione abduci laborib; itine-
 rum ac legationis, & planè suspicor, & parum tamē te
 iactura in eo facere duco. Tuus mihi honos, & tua di-
 gnitas cordi est: atq; vt legatione prosperè feliciterq;
 persuncta, q̄ tamen ipsum cū Christianæ fidei & Rei-
 pub. cōmodo coniunctum sit: cum omnium laude et gra-
 tia ad tuos te, & ad nos, qui maximè sumus tui, primo
 quoq;

quoq; tempore recipias. Vale, & nos, quod facis, ama.
Carpentoracti, XII. Calend. Febr. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Antonio Puccio Cardinali S. P. D.

Cum cognouissem ex literis meorum, Laurentium
Puccium patrum tuum, virum amplissima dignita
te & omni virtutis gloria florentem, cecidisse à reb. hu
manis, teq; in eius locum esse suffectum, qui eundem,
quem ille, honoris & autoritatis gradum obtineres: sa
nè & dolui animo vehementer, & latatus sum. Nam
& illius amissi, quem in parentis loco semper habuis
sem, desiderio commouebam: & tua amplificatione di
gnitatis mirum in modum gaudebā. Quia in discepta
tione doloris atq; latitiæ aliquādiu cum fuisset: ratio
nibus vtrinq; perpensis atq; examinatis, tandē iudica
ui æquius esse multò, tibi & dignitati tuæ gratulari,
quàm illius obitum decessionemq; lugere: præsertim
cum hoc à me erga te officium amicitia vetus nostra re
quirat: illi autem nihil omnino mali cõtigerit, quod sit
luctu et lamentatione dignum. Nam si vitam illam co
gitamus beatam & immortalē, quæ in cælo his qui
cum fide & pietate hîc vixerunt, post mortem à Deo
est proposita: nihil omnino earum rerum, quibus illa
comparatur, prætermisit Laurentius. Mitto nunc bo
nitatem, mitto liberalitatem, mitto innumerabiles ab
eo, et prope infinitos assiduè pro Republica susceptos
labores, humanitatem etiã, facilitatemq; prætermit
to, quæ ille ad se adeuntibus, & ipsius ope ac consilio
viri volētibus, expositus semper fuit. Quid illa vel pie
tate

tate & religione potuit esse illustrius, qua ipse erga Deum illius honoris studio incensus ferebatur: vel charitate, qua erga homines? cum nec monere errantes, nec erigere lapsos, nec solari desperantes vlllo vnquam tempore desisteret: omniaq; sua cogitata, consilia, acta, eo potissimum conferret, vt sanctæ ecclesiæ honos apud omnes, & autoritas magna haberetur. Quod si illa etiam spectantur, qua in hac vita nobis, qui superstites adhuc sumus, alleuamēta doloris sunt: nullius vnquam nomen nec clarius, nec frequentius, quàm Laurentij toto orbe terrarum peruagatum est. Ille curiā regebat, ille & ciuibus & exteris lumen præferebat sapientiæ suæ: erga pauperes comis, potentibus non insensus, bonis omnib. fautor: nulli vnquā acerbus, maximis porro Pontificibus & consilio semper, & opera, & omni fide atq; amore coniunctus & consentiens. Itaq; non dubito, quin ista tanta vrbs, & ista curia talis viri tam benefici, & tam salutaris, morte sibi tota squallens & pene ornamentis omnibus spoliata esse videatur. Ego vero, in quem plurima illius beneficia extiterunt, qui me in filij loco dilexerat, in quo ego patriam mihi sanctitatem & venerationem constitutam habebam, facere equidem non possum, quin graui & intolerando mœrore vrgear. Sed tamen magnum mihi affert solatium, quod intueor te, quem fraterno amore semper sum cõplexus, cuius patruī tui virtutes egregiè imitatus es, eiusdem factum esse honorum & dignitatis heredem. Quod & ex animo letor, & tibi & generi tuo Reiq; publ. Christiana bene id ac feliciter euenire cupio. Vi-

Q deor

deor enim sperare debere, te talem patria & amici futurū, vt eximias virtutes tuas ingenij, integritatis, doctrina, cum magno suo commodo Christiana imprimis religio experiatur: nosq̄, qui tibi amicissimi semper fuimus, tuorum ornamentorum, & laudum participes etiam simus. Ego quod ad me attinet, quem amorem & obseruantiam perpetuò erga te habui, & aucturus etiam magis, & conseruaturus sum, sicut & mea natura, & tua præstans dignitas virtusq̄, postulat: tu vt me ope & patrocínio tuo, vbi vsus veniat, defendas ac tueare, magnopere te rogo. Vale. Carpen.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Ioan. Lothoringio Cardinali. S. P. D.

EX quo tempore primū Roma te cognouit, tecumq̄ aliquoties locutus, perspexi planè et virtutem tuam, & humanitatem non inferiorem esse, neque nobilitate generis neque fortuna: amaui semper te plurimū, amplitudinemq̄, tuā singulari obseruantia sum prosecutus. Sed non contigit mihi ante hoc tēpus, vt redigerem tibi in memoriam illa initia nostræ familiaritatis, quod vtrique nostrum & locorum disiunctio, & occupationum ac negociorū dissimilitudo, alias curas attulit. Et tamen non dubito, quin sicut mihi hæsit in animo perpetua recordatio tui, cum insigni beneuolentia coniuncta: ita & tu aliquod vestigium etiā nunc tue erga me pristina voluntatis retineas. Hoc si ita est, q̄ confido esse tua animi nobilitate et ingenuitate fretus: peto à te, vt has literas eo animo legas, quo legē de sunt ab homine amplissimo simul atque humanissimo, homi
nu

nis amantissimi ac deditissimi litera. Paulus Sadoletus
 adolescens eruditus sanè quàm liberaliter, mei qui fra-
 tris filius à me in filij loco diligitur, is huc profectus
 est & visenda aula Regia, et Regis ipsius meis quoq;
 verbis conueniendi ac venerandi causa. Et ego dedi in
 mādatis, vt ad te adiret potissimū, tuaq; imprimis gra-
 tia atque autoritate vteretur. Eum igitur tuae fidei, hu-
 manitatiq; commendo: primum, vt eum ipse comiter
 excipias, deinde si ita opus esse cognoueris, vt praebeas
 illi faciles ad summum Regem aditus. Quanquā hoc
 fortassis per alios poterit consequi, veruntamen omnis
 tua amoris erga me significatio, magno mihi honori
 poterit esse: quam ego abs te vehementer mediusfidius
 expeto: nec tam vt apud ceteros honestus, quàm vt ti-
 bi ipsi charus esse intelligar. Summa enim mihi futu-
 rum est voluptati, si intellexero, à tali viro, tantis orna-
 to et ingenij & fortuna bonis, eodemq; in omni digni-
 tate principe, studium atq; obseruantiam meam erga
 se parui nō aestimari. Quae etsi per se non valde expetē-
 da sit, propter tenuitatem videlicet fortuna nostra, ta-
 men quoniam nos ex eo genere hominū sumus, qui nun-
 quam amicis solent esse dedecori susceptamq; semel a-
 micitia & necessitudinis fidem summa cū religione re-
 tinemus, poterit tua quandoq; amplitudo aliquantum
 etiam de me sibi polliceri, qui eo animo sum, vt et nobi-
 litati tuae honorem, & virtutibus laudem, & dignita-
 ti cultum, & humanitati ac beneuolentia erga me gra-
 tiam semper sim habiturus. Tu si hāc meam voluntatē
 gratam tibi esse acceptamq; ostenderis, libenterq; mihi

aliquid tui amoris impartueris testimonium: & studium meum augebis colendi perpetuò atq; obseruandi tui, & hoc dignum ipso tuo genere, & maiorum tuorum, ac tua virtute efficies. Vale. Carpentora cti.

IAC. SAOLETVS EPISC. CARP.

Ioan. Lothoringio Cardinali. S. P. D.

Non me fefellit, non minus esse in te humanitatis, quàm nobilitatis. Præclara omnino ingenia, qua hanc laudem consecrantur, vt non plus patiantur in se ornamentorum & dignitatis à fortuna esse, quàm à virtute: idq; ego in te satis antea noueram. Sed tamè Paulus ad nos reuersus, ea mihi de te narrauit, hisq; verbis animi tui egregias virtutes atq; laudes est persecutus, vt ad summam meam tua liberalitatis et humanitatis opinionè addi iã nihil posse videatur. Equidem quòd me habiturus esses in memoria, quòd Paulo ipsi nullo loco defuturus, & speraui antea, & nunc re expertus sum. Sed quòd tam studiosè, tamq; amanter id esses facturus, vicit in hoc (vt verum fatear) tua excellens bonitas expectationem meam. Itaq; quomodo tibi agam gratias nescio: cuperem equidem referre & dignas, & debitas. Sed hoc etiã fuerit præstantis animi tui, scire promereri de altero, quantũ tibi reddi non possit. Ego verò non tam fortuna, neq; opum præmijs & honoribus, quàm ista comitate natura, & significatione amoris sic obligor, vt nullum sit vinculum ad me deuincendum potentius. Quo quando iam tibi ita obstrictus sum, vt solui eo amplius nec possim, nec velim: sic debes de me existimare, nullius tibi animum, nullius studium,

nul-

nullius obseruantiam equè esse paratam, vt meam. Et
 quontā in gratia referenda nihil tibi possum de me pol
 liceri, quod copiarum & opum sit, quib. tu pro tua &
 maiorum tuorū amplitudine ac dignitate honestissimè
 abundas, ego minus etiam quàm mediocribus cōtentus
 vno: id quod in me est, quoq; solent viri magni, & præ
 cellentes, ab amicis tenuioribus cōtenti esse, polliceor
 tibi & recipio, si mea digna fuerint studia quorum te
 stimonio virtuti honos habeatur, gratiam me tibi ali
 quam in illis, & veri amici fidem operamq; nauaturū.
 Paruum hoc quidem, & cuius penè me pudeat. Sed tu
 qua magnitudine animi nostram spem de te tuis officijs
 superasti, eadem summā in nobis voluntatem referen
 da gratiæ pro relata gratia accipies. Vale patrone no
 ster, & nos tui studiosissimos tuo patrocinio semper
 tuere. Carpent. XVII. Calend. Septēb. M. D. XXXII.
 IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.
 Ioan. Lothoringio S. R. E. Cardinali. S. P. D.

IN meo à vobis digressu, nescio quo pacto imago om
 nium vestrum, sumiq; imprimis Regis, atque tua nō
 solum me discedentem prosecuta est, sed vsq; adhuc in
 animo meo permansit: ac, Vt se habet res, etiam permā
 sura videtur. Habet enim illa in me familiare sibi iam
 domicilium. Quod profectō euenit magnitudine qua
 dam amoris, quo erga vos incensus sum. Iam dudū hoc
 quidem: etenim sat diu est, quod mea & studia, & offi
 cia ad vtrunq; vestrū colendum contuli. Sed mea hæc
 voluntas etiam confirmatior facta est, posteaquam
 ego sum cum ambobus vobis collocutus. Quo in con
 gressu

gressu non tam potestas & amplitudo vestra, quæ quã
quàm permagna est, alios tamen & habuit pares ali-
quando, & habitura est: quã humanitas quæ illi ampli-
tudini maximo est ornamento, & in qua vos singulares
esse contenditis, fecit, vt vos ego præcipuè & colam &
admirer. Itaq; nil mirum, si vobis & amore, & obser-
uantia sum addictus: quorum alterũ virtuti vestrae iu-
re ac merito debetur, alterum potestati. Sed ego hæc co-
gitans, cum animi mei studium & benevolentiam vobis
declarare cuperem, vel potius ab amore ipso cogerer:
ad Regem quidem non sum ausus, neq; sanè cõueniebat:
ad te verò, cuius mihi comitas magis est in promptu,
has dedi literas: nihil aliud postulans, nisi te illis inter-
pretibus, quando coram non licet, & salutare, & vene-
rari, & tibi memetipsum in memoriam redigere: pete-
req; à te, vt me in numero tuorum habere pergas. Hoc
cum mihi optatissimum est, tum virtutis proprium, et
humanitatis, & nobilitatis imprimis tuæ. Vale. Car-
pentoracti, V. Idus Iulij, M. D. XXXIII.

IAC. S ADOL. EPISC. CARP.

Ioan. Lothoringio Cardinali, S. P. D.

ET si ea sunt cura & occupationes tuæ in hoc tem-
pore vt magis tu votis precibusq; nostris apud De-
um adiuuandus, quàm literis interpellandus esse videa-
ris: propterea quod hæc de pace actio, præclaraq; tra-
ctatio, tota tuæ fidei diligentiaq; permissa, in alias co-
gitationes minimè deriuanda est. Tamen cum veniret
mihi in mentem, te eum esse, qui summam nobilitatem
tuam, quam à maioribus accepisti, virtute etiam et hu-
mani-

manitatem tuam feceris ampliore: ingenij autem tui magnitudinem nossem, qua tu obire simul multa, & consicere paratus es: non putavi molestum tibi me facturum, si eum hominem tibi commendassem, quē imprimis dignum tua benevolentia esse arbitror. Florentius Volusenus, natione Scotus, elegantia morum, & literis Latinissimus, de quo homine sanè agendum paucis tecum est, quippe, qui tibi probe notus sit, et tuae bonitatis ope ac subsidio, literarum studijs Lutetiae aliquantū tempus operam dederit. Is cum superioribus mensibus urbis Romae visunda studio flagrans, de tua voluntate cum collega tuo Ioanne Bellaio, viro ornatissimo, in viam se dedisset, atque Auenionem vsque esset peruectus: ibi aduersa valetudine, & inopia rerum necessariarū subsistere est compulsus: pauloq; post ad me se contulit: quem ego, quāquam pertenuis, & magnis rei familiaris difficultatibus affectus, iucundè tamen, comiterq; recepi, cognitoq; mox hominis ingenio, & natura ingenua liberaliq; perspecta, etiam in honore deinde habui. Etenim nihil est quod agam libentius, quàm ut opituler, quo ad possum, doctis viris & eorum animos ita sustentem, ut ne eos studium suum in optimis artibus posuisse vnquam pœniteat. Quod si mea huic volūtati fortuna benignius esset suffragata, nemo me (opinor) istam vel laudem, vel voluptatē bene de bonis promerendi, studiosius appetisset. Nunc in hoc mea vita statu, qui, etsi multis externis rebus deficitur, eas tamē habet insitas animi iucūditates, ut mea maximè fortuna contentus viuam. Interdum tamen il

lud me angit, quòd non possum quemadmodum quidē
 cuperem, bonis & doctis hominibus prodesse. Quòd
 iccirco ad te scribo, vt tu, qui potes, & qui hanc libera-
 litatis ac beneficentia laudem libentissimè soles vsurpa-
 re, gaudeas isto tuo tam eccellente bono, hocq; ita sta-
 tuas, quod praclare intelligis. Nihil esse beatius, quàm
 habere bene de multis promerendi facultatem, cum i-
 stiusmodi natura, & magnitudine animi, et nobilitate
 coniunctam. Sed vt eò redeā vnde diuerti, Florentius
 mecum nunc Carpentoraecti est, maximòq; animo, &
 incredibili assiduitate optimis literis, praesertimq; Phi-
 losophia dat operam: mihiq; in quotidiana consuetudi-
 ne admodum iucundus & gratus est. Te porro domi-
 num & patronum suum praedicat ipse, ac profiteitur:
 inq; ea parte semper futurus est, quacumq; tu iusseris.
 Eum ego tuae fidei, bonitati, liberalitatiq; commendo:
 & abs te vehementer peto, vt quando ipse non minus
 hic studia doctrinae persequitur, quam si Lutetiae esset,
 velis pro tua praestanti liberaliq; natura, eā mercedem
 annuam illi saluā abs te esse, quam iam pridem consti-
 tuisti. Hoc cum tua amplitudine, generisq; tui, ac vir-
 tutis gloria maximè dignum est, tum mihi certè factu-
 rus es gratissimum: qui ea obseruantia, qua cæpi, te as-
 siduè prosequor: amoremq; meum semel erga te, opti-
 mo quidem iure susceptū, fidelissimè cōseruo. Deumq;
 immortalem supplex oro, vt cum tibi salutem perpe-
 tuamq; incolumitatem, tum fructum & laudem bene-
 coeucti istius muneris, in quo honorificentissimè &
 summa omnium cum expectatone versaris, prebeat et

largiatur: vt tua ope, prudentia, labore, autoritate conciliata pax, nos non solum in otio, & in tranquillitate constituat: sed ab ijs periculis, quæ mihi videntur multa et grauiâ impendere, reddat tui os. Vale. 1536.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

N. Acromontio S. R. E. Cardinali S. P. D.

PAulus meus, qui istuc ad salutandum maximum istum Regem meo iussu acceperat, in reditu suo ad nos, de tua viriute, prudentia, autoritate multa mihi narrauit: illudq; addidit, singularem tuam quandam erga se & eximiam humanitatem in omnibus rebus se expertum fuisse: prætereâq; cognouisse pluribus signis atq; indicijs me ipsum quoque tibi esse cordi: paratamq; esse, si quid incidat vt opus sit, & operam mihi & beneuolentiam tuam. Quæ ego ita accipio, vt ad agendas tibi meritas gratias, animi quidem multum, facultatis autem parum habere mihi videar. Talis enim viri neq; testimonio ornatus quicquam, neque amicitia fieri potest optabilius. Sed ego, etsi tuæ amplificatio dignitatis in ea incidit tempora, quibus ego ab vrbe absui: nominis tamen tui studio quodam etiam antea tenebar, quod non pauca de te, & de virtutibus tuis audieram, quæ nunc quidem apud me expressiora facta sunt, postquam tua hac recente humanitate, tanquam quodam adhibito lumine, apertius nobis sunt demonstrata. Ac quod ad gratulandum tuæ dignitati pertinet: non te arbitror dubitare, quin mihi sit honos tuus charissimus, & amplitudo præcipuè grata: cum tu præsertim istam ipsam dignitatem meritis antè sis, quàm obtinueris. In quo magis

gratulandum mihi videtur, quod tu non minus splendoris ipsi honori afferas, quàm honos tibi. Sed tamen spectatam virtutem his etiam insigniri fortuna ornamentis optandum est: quod ego in alijs facio & semper feci magis, quàm in me ipso. Nam cum ceteris qui bene essent meriti, omnia honorum insignia semper optauerim, mihi hanc delegi & fortunarum & vite mediocritatem, in qua beata precipuè vita consistit, atque hoc animo ac iudicio ex vrbe Roma egressus, tanquam è magno mari, in hunc exiguum quidem, sed tamen tutum & tranquillum portum, me contuli: in quo sic viuo contentus, nullius fortunam vt anteponam mee.

Quanquàm hoc fortasse humilis animi sit, illud amplius et magni, virtutem æquare honoribus, quod in te factum esse mihi summa voluptati est. Quare & honori tuo gratulor, & voluntati erga me maximas gratias ago: tibi vicissim pollicens, si quid acciderit, in quo mea tibi obseruãtia et opera alicui possit esse voluptati, (nam commodo, aut ornamento, non ausim dicere) me sic amore, & studio, & vigilantia esse enixurum, vt tibi facile pateat, te in homines non ingratos tua & officia & benevolentia indicia contulisse. Vale. Carpentoraeti, XVII. Calend. Septemb. M. D. XXXII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

August. Triuultio Cardinali S. P. D.

Quoniam tu paulo antè à nobis discessisti: tamen ne viuam, mi humanissime Triuulti, ni iam pridem mihi factum esse videtur, cum te non vidi neque tecum collocutus sum Ita sum captus tua ista præstan-

ti humanitate, suauissimisq; sermonibus: qui inter nos
 tales extiterunt, quales amantium inter se, & beneuo-
 lentium esse solent, familiaritate dulces, simplicitate
 aperti. In quibus ego & animum tuum erga me per-
 spexi plenum amicissimæ voluntatis, & tu de meo per-
 suasissimus esse potes. Sed etsi tuus nimium celer, subi-
 tusq; discessus, non mediocriter mihi desiderium tui reli-
 quit: habuit tamen in memoria, quæ tibi proficiscenti
 facturum me receperã, dedi q; ad summum Pontificem
 literas, tuum hac transitum illi declarantes, & quantũ
 tu in omnibus sermonibus consilijsq; rerum aut gesta-
 rum, aut gerendarum animo & cura mihi excubare vi-
 sus esses: quo ipsius dignitas, & sedis apostolica au-
 ritas per te semper salua incolumisq; maneret. In quo
 debitum tibi tribui apud eum virtutis, et humanitatis,
 & prudentiæ testimonium. Hoc cum à me ita factum
 sit, scripserimq; præterea non pauca ad huius statum
 prouincia pertinentia: tua nunc partes sunt, certiorẽ
 eum facere per literas, quid tibi de omnibus hisce reb.
 videatur, vt si fieri potest, tua autoritate ad nostros
 scribendi rogandiq; labores accedente, maior ab illis ha-
 beatur horum locorum & populorum ratio, quam ad
 huc quidem habitã est: & verè si cogitare volumus, ha-
 benda etiã est. Sius enim salua Italia res fuerint, quod
 opto equidem vt ita sit, et Deum immortalem supplex
 precor, magnum sacerdotalis fama et dignitatis in his
 regionibus est ornamentum: siue ille excidio calamita-
 tiq; propinqua, quod magis formido, horreoq;, hic por-
 tus fortunis omniũ futurus est turissimus. Sed ego im-
 pra-

prudencia labor, qui hac te admoneam, cui non minus nota sunt, quā mihi. Quamobrē de his hactenus. Illud silentio non prateribo, quod me meus erga te amor animo & lingua vsurpare saepe cogit, me tuum esse cum omnibus meis atq; ita tuum, vt qui te ex animo magis diligat, quā ego & diligo, et omni cultu obseruātiaq; complector, habeas profectō neminem. Vale. Carpentoracti, VI. Idus Nouemb. MCCCCXXXI.

IAC. SADOLET. EPIS. CARPENT.

Augustino Triuultio Cardinali S.P.D.

Accepi literas tuas, quas ex Vrbe ad me dedisti: in quibus recognoui animum tuum pristinum propensum in rem & dignitatem ecclesiasticam: tuamq; erga me plenā amicissimi studij voluntatem: pro qua tibi me vehementer obstrictum esse sentio. Sed accidit mihi per incōmodē, vt molestissimo morbo impediret, quominus, quod maximē cupiebam, crebrius ad te scriberem. Nihil enim fieri potest amore in te meo, & voluntate tecum per literas quasi colloquendi, ardentius, Quo è morbo si emerfero, nullum à me officium benevolentissimi hominis requires. Nunc vt se res habet, quanquam spem propinquam optatæ salutis iam habemus: sumus tamen admodum imbecilli. Quod cum summo Pontifice diligenter egeris, populosq; illi hosce commendaris, qui etiam sua sponte plurimum debent esse commendati, pertinuit hoc ad fidem quoque tuam, & ad amplissimi hominis auctoritatem: quæ tum maximē grauis est, cum vtilitati publicæ suffragatur: in qua te video & animo & cogitatione esse intentum, ma

rem in modū tibi gratulor. Vera enim est laus, et meo quidem iudicio omnium maxima, dignitatē qua quis plurimum potest, & sapientiam qua est praeclitus, ad alienum cōmodum potissimum, et ad vtilitatem Reipub. conferre. In qua procuranda cūm & mihi, & cūctis qui ad commune bonum contendunt, proposita sit & opera & prudentia tua: iure & tu magnus, & nos qui tua amicitia fruimur, florentes per te, atq; honesti sumus. Sed quid in his locis nunc agatur, quod quidem cognitione dignum sit, quoniam & legatus missus est dedita opera, qui Pontificem de omnibus rebus edoceat, & idem meas literas meaq; mandata ad te pertulit, si modo isthuc peruenit, nūc non est commemorare necesse. Illud tibi non dubium esse volo: in omnibus quae gerentur, quaeq; contingent, tam publicis, quā priuatis meis et proprijs, me semper in tua fide, patrocinio, beneuolentia, autoritate, plurimum esse praesidijs atq; opis mihi constitutum arbitrari. Vale. III. Nonas Martias, M. D. XXXII. Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

August. Triuultio S. R. E. Cardinali,

S. P. D.

Nihil mihi accidere potest tua erga me beneuolentia gratius, quae quidē quotidie magis apparet ex his, quae mea causa dicis, aut facis. In quibus etsi patrocinium hominis amplissimi, atq; omni honore laudeq; dignissimi mihi peropratum est: amor tamen tuus multo est iucūdius. Sed quod ad postulata illa attinet, quorum tu exemplū mihi mittēdum curasti, res mihi ipsa iam-

iam pridem fuerat nota. Nam & ille qui illas res petebat, diu antè mecum cōmunicauerat: egoq̄, illi vehemētis dissuasor fueram: non minus hercule quietis & vtilitatis ipsius, quàm publici boni causa. Videbam enim, id q̄ certe contigisset, si hæc oppida permutasset Pontifex, non sine magno tumultu rem futurā. Sed etsi minime illius hominis consilia mihi probabantur: tamen quod cogitationes suas commiserat mihi, fidemq̄, imprimis habuerat: cuiusdam religione officij impediri me arbitrabar, quo illi minus obstarem. Atq̄, ita etiam nūc interpretor: neque existimo posse me fide integra quippiam aduersus eum moliri, aut scribere. Illud mihi quidem nouum & mirabile visum est, eum ipsum Regem, qui illum hominem alieno beneficio ornare conabatur: suis & maiorum suorum beneficijs, quæ ab regia liberalitate iam diu erant profecta, eum spoliasse, et priuauisse. Scito enim duo vel præcipua oppida fuisse illi adempta, & ad Regiam ditionem reuocata, quæ ipse & maiores sui tenuerant. Quanquam hæc lex non illi soli proposita est, sed omnib. ad quos quomodo Regum beneficia eiusmodi his ducentis annis peruenerunt: vt cogantur cuncta restituere, & quicquid illud est, quod ius aut nomē obtineat oppidi, id remittere regi. Quod vti nam hæctenus tentatu sit, neq̄, transeat ad sacerdotes. Quod si acciderit, non mirabor, quando qui istuc regnāt, nomen fortunāq̄, sacerdotum omnibus modis dilacerandas præbent. Quis enim sancti apud ceteros, & venerabiles esse possunt, si à tutoribus suis sic despiciuntur? Quod repugnantiam epistolarum mearum fidemq̄,

testis

testimonij, quod ego vnus hominis reprehensionem pri-
 mum, deinde laudi præbui, excusari apud summum
 pontificem, veramque rationem in excusando adiunxeris:
 non dici potest, quam mihi feceris gratum. Nec in eo
 tamen humanitate solū & beneuolentia erga me usus
 es, sed summa etiam & singulari sapientia. Nā aut ne-
 cesse est, si hac permittitur testimonij mutatio, eos qui
 aliquando peccarent, nunquā rectē facere: aut eos qui
 semel accusando scripserunt, non rebus, sed hominibus
 semper inimicos esse. Ego verò hominem quenquam
 odisse, nunquam duxi esse sacerdotis. Rebus autem ami-
 cum aut inimicū esse, prout illa res bona malaue sit,
 arbitror esse hominis, & Reipub. commodo, & suo
 officio consulentis. Itaque si (quod nolim) aliquid acci-
 dat eiusmodi, quo mihi denuo testimonium mutandū
 sit, non id facere verebor: neque aliquam extimescā cul-
 pam, vbi veritas mecum steterit. Quapropter te vehe-
 menter rogo, vt repetito cum summo Pontifice de his
 rebus sermone, sensum hunc animi mei totum illi ape-
 rias. Glaucarium nostrum, hominem tua beneuolentia
 dignum, quod benignè honorificeque tractaris: facis tu-
 quidem semper quod virtus postulat tua, naturaque ple-
 na humanitatis ac comitatis. Sed ego totum illud tribu-
 tum mihi intelligo, maximasque tibi de eo habeo agoque
 gratias: quanquam hoc officio mihi sapius vtendum est, i-
 ta de me assidue insigniterque mereris. Solū ex omnib.
 tuis dictis ac factis aliquantum mihi molestum illud fu-
 it, quod meis familiaribus affirmasti, nescio quid te de
 me, & de honore meo cogitare. Quaeso humanissime
 atque

atque optime Triuulti, an nondum cognosti mentem meam, qua ab omni mutatione fortuna: atque status nihil est abhorrentius? Utinam mihi incolumitas hac aliquandiu maneat, qua nunc diuino beneficio fruor: ceteris rebus omnibus sum beatissimus. Nec beatitudine illa, qua maxime mea professioni conueniret, si essem is, qui esse deberem: sed de hac humana felicitate loquor. Quid.n. mihi abesse potest iucunditatis ac letitiae, qui hac conditione fortuna in qua sum positus, summè contentus sum? quin & in animo meo pacem, & in populis mihi creditis beneuolentiam, & in studijs meis admirabilem voluptatem, & in omni parte actioneque vitæ auream illam mediocritatem & consecutus sum, & quoad licet conseruo. Noli me, oro, in illos fluctus ex hoc portu reuocare, neque mihi iniicere huiusmodi scrupulos, qui me (mibi crede) admodum stimulant. Demus potius operam, ut illis preclarissimis honestissimisq; artibus, in quibus elaborauimus vsque à puero, dignum laborum præmium immortalitatem consequamur. In quibus ego te absentem cogitatione mea complector: habeoque iam paratum locum, ubi fidem illam citò præstem, quam cum Carpentoraçte discederes tibi dedi. Ad hac tu me adiuua, & suscipe causam hanc multò accommodatiorem mihi. Quod facies si me amaris, & rebus omnibus tuebere, & quod præcipuum omnium est, mea tranquillitatis fueris patronus. Vale. Carpentoraçti, III. Nonas Maij.

M. D. XXXII.

IAC.

IAC. SADOLETI EPISCO-
 CARPENTORACTI EPISTO-
 LARVM LIBER VII.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.
 Benedicto Accolto S. R. E. Car-
 dinali S. P. D.



Ognoui ex literis meorum, qui
 in vrbe sunt, te, quod magna vo-
 luptati mihi fuit) saluū & sospi-
 tē ab alienis oris, quo fueras hor-
 ribili tēpestate cōpulsus, Romā
 reuertisse: neq; solum vrbi illi af-
 flicte & mœrenti lucē tuā virtutis & dignitatis attu-
 lisse, sed nobis quoq; qui longē absumus, declarasse, quā
 esset memor ueteris amicitia, et quā propensus ad in ser-
 uendū cōmodis & vtilitatib. nostris animus tuus. Sic
 enim mei ad me scribunt, te ita cum eis de me collocutū
 esse, nihil vt prorsus fieri potuerit amantius. Quod etsi
 nunquā dubitauī, quin ita esset, confisus constantia &
 humanitate tua: tamen nosse quotidie magis, req; ipsā
 experiri, saluum mihi esse praesidium amicitia apud e-
 um, quem & dilexi semper precipue, & colui, mihi
 est gratissimum. Itaque quod ad parteis meas attinet,
 sic tibi velim persuadeas, ex his qui te obseruant &
 colunt, quorum maxima est pro tua amplitudine & li-
 beralitate multitudo, nemini me concedere, neque in
 officio, neq; in benevolentia, neq; in recordatione pri-
 stina necessitudinis, neque in tuarum praeslantium vir-

R tutum

tutum laude & celebratione. Dignitati verò tua hoc minus multis verbis in hoc tempore gratulor, quòd & mea tibi est sat perspecta voluntas, & honor iste non certior in te, cum tibi datus est, quàm antea, cum speratus atq; precuisus. Et mehercule etiam, quòd tempora eiusmodi sunt, vt honori ipsi magis ex tua persona, quàm ex eo tibi videatur esse gratulandum. Quapropter hoc tantum dico: omnia quæ ad decus, & ad amplitudinem tuam pertinent, non minus grata atq; optata accidere in te mihi, quàm si in ipsum me collata essent. Quamquam habeo ego quidem id quod maximè semper expectiui, honestissimum otium, quod totum à me in regenda ecclesia mea, & recolendis optimarum artium studijs summa cum animi voluptate consumitur. Tu si ista erga me voluntate perpetuò fueris, nosq; absentis tua si de & patrocinio tueri perrexeris, maximo me honore et premio affectum esse arbitrabor. idq; vt facias, te vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale, & patrum tuum hominem amplissimum meis verbis saluere iube. Carpent. XVI. Calend. Iunii M. D. XXIX.

BENEDICT. ACCOLTVS S. R. E.
 Cardinalis, Iacobo Sadoletto Episc.
 Carpentoraeti S. P. D.

Nihil gratius, nihil iucundius accidere mihi potuit tuis literis. Tum quòd eas legens videbar tecum esse, quem loquentem audire semper mihi magna voluptati fuit: tum quòd erant plenissima & officij, & humanitatis, cum præclara significatione tue erga me voluntatis. Quæ etsi mihi iam antea perspecta erat, tamè
 quòd

quod eandem illum absens ostendebas, quam omni tempore praesens declaraueras, fuit mihi summopere gratum. Non quod de tua constantia dubitarem: sed illius commemoratione sum maximè delectatus. Ego aut, quod praclare nosse debes, te ab ineunte aetate dilexi, feci q̄, sēper plurimi neq̄, solum excellentē illam doctrinam tuam, sed grauitatem etiam, & prudentiam sum admiratus. Et, quod iudicium meum fuit de virtute tua, te vnum mihi in omni vita ab initio imitandum proposui. Quod si eò quò tendebam, accedere non potui: tuum tamen in me studium cum paterna beneuolentia coniunctum, in eo nunquam defuit. Quae res ita in animo meo residet, meq̄, ita admonet, vt me tibi plurimum debere profitear. Quod cum ita sit, persuasum tibi esse potest, omnia quaecunq̄, in me sunt, quemadmodum etiā dixi tuis, ad commodam & dignitatem tuam propterea esse, atq̄, parata: meq̄, nullum unquā officij genus pratermissurum, quod vsui possit esse tuis rebus. Tu quum persunctis magnis laboribus, eò te receperis, vbi arbitrato tuo in literis, & cum dignitate viueres, non possum non probare otium istud tuum, quod & tibi honestissimū, & nobis fructuosissimum est futurum. Sed scito, res nostras hic te maximè desiderare: quibus profectò si adesses, plurimū opis afferre posses virtute tua. Et mihi imprimis gratissimum faceres: cuius ego quotidiana consuetudine, hominis omnium praestantissimi, quā familiarissimè uti vellem. Sed viro prudenti nō audeo consilium dare. Patruus meus tibi salutē reddit. Vale, & me quod facis ama. Roma XII. Calend. Iulij, D. M. XXIX.

IAC. SADOLETVS EPISC.
Carpent. B. Accolto S. R. E. Car-
dinali S. P. D.

Nihil recordor permultis hisce annis mihi accidisse gratius, neque optatius, quàm tuas nuper literas: plenissima enim fuerunt amoris, suauitatis, officij. Quo d₃ ad præclaram iam laudem tui præstantis ingenij pertinet, eo modo scriptæ, vt purius, aut elegantius, quod me legisse meminerim, habeam profectò nihil. Itaq₃ duplici ex illis gaudio affectus sum. Nam cum omnis tua erga me volūtatis significatio pergrata: tum verò orationis nitor, & verborum ac sententiarum venustas, quam in scribendo adhibuisti, mihi vehementer iucunda extitit. Simul enim intelligebā legens, & quā tu de me amicè honorificeq₃ sentire: & in eo explicando, quàm tu existeres dignus, vt de te ab omnibus præclare ac mirabiliter sentiatur. Nam illa tua dulcis commemoratio superiorum temporum, repetita propè ab vltimo, & perducta in hoc vsq₃ tempus, cum illustri testificatione tui de me iudicij, perpetuèq₃ opinionis, tantam mihi letitiam attulit, & voluptatem, vt eam verbis consequi non possim. Planè enim perspicio, id quod his temporibus rarum est, in homine præsertim potente, firmam manere apud te amicitia fidem, per quam amici, quamuis absentis, memoriā beneuolentiamq₃ cōserues. Sed profectò illud verum est quod dici solet, eū qui bene à natura ad amplexandam laudem cōstitutus sit, omnes facile in animo cōprehendere virtutes. Quā ego ingenij indolem in te intuens, iam tum à primo,
cum

cum etiam penè puer me tibi adiunctum in amicitia esse voluisti: cœpi sperare continuò magna, eaq̄, de te feci iudicia, quæ postea euentu ipso cõprobata sunt. Et si in eo quidem omnes decepti sumus, quòd spem opinionemq̄, nostram, tuamq̄, vnà et atē, virtus ipsa in te longè antecessit. Verùm hac ad exponendum longius fortasse tēpus & copiosiore desiderāt orationem. Quæ autem sunt officij & exposita aliàs sunt, & nunc breuiter sic exponantur: vt scias, nihil mihi esse magis in optatis, quàm tibi persuasissimum esse, me inter tuos, qui pro tua dignitate & summa liberalitate permulti sunt, maximè omnium esse tuum. Id quib. alijs officijs possit declarari, si sciuerò, non committam vt mecum vllò in loco studium requiratur. Hoc quidem ipse per me præstabo semper: atq̄, efficiam, vt neq̄, singulariũ tuarum laudum cõmemorationem, neq̄, tuorũ de me meritòrum memoriam, quæ quidem hoc recente testimònio tuæ erga me tantæ voluntatis cumulata sunt, illa vnquam mihi ex animo aut ex ore etas deleat. Quòd si hoc otium, quo ego maximè delector, et quod tu (quàmquam te consuetudinem meã desiderare præ te seras) non probare tamen non potes, deus mihi fortunauerit: dabo operam profectò, vt me neq̄, in amore, neq̄, in fide amicitia, posterioreis ferre parteis aliqua in re intelligas. Vale, & nos absentes tuere. Carpentor. XVIII. Calend. Septembris, M. D. XXIX.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Benedictò Accolto S. R. E.

Cardinali S. P. D.

Non putavi me contra officium esse facturum, si tu
 Nam benevolentiam & studium erga me quod mul-
 tis locis saepe sum expertus, ad omnes res, quae ad me ip-
 sum pertinerent, tua ope conficiendas, familiariter ad-
 uocarem. Nam neque est omnino quicquam, quod mihi
 ego de te non pollicear, & tua egregia praestansque libe-
 ralitas ea est, ut nos, qui te plurimum & obseruamus et
 colimus, iam pro nostro iure propè illa abuti posse vide-
 amur. Verum id quod peto huiusmodi est: Antonius Cor-
 nazanus, qui mea Romae negotia procurat, vir probus
 & fidelis, & in omni officio retinendo imprimis dili-
 gens, mihi est propter virtutem & fidelitatem charis-
 simus. Eum ego valde mehercule optarim reuerti ad
 nos, solitaque officia & munera obire mecum, quae sem-
 per mihi ab illo grata acciderunt: quod etiam ipse non
 nollit. Sed cum propter causas quasdam vel notas tibi,
 vel certè non difficiles cognitu, eius ad nos reditus hoc
 tempore videatur esse interclusus, inque hac re, quae sa-
 nè incommoda mihi est, illud tamen possit inesse com-
 modi, quod in vrbe remanens, nostra obire negotia, &
 si quid mea interfuerit, quod vsu venire in dies singu-
 los potest, te ipso quidem patrono & defensore, id ex-
 pedire ac transigere, plurimasque mihi in eo operas vti-
 les atque oportunas praebere poterit: statui, quod neces-
 sariè erat faciendum, ad id meum quoque consilium et
 voluntatem adiungere. Itaque ei permisi, vel potius ei
 hortatus sum, ut Romae domiciliu habere institueret,
 nec apud alium tamen, quàm apud eum, cuius ego (si
 istic essem) domo & contubernio potissimum videret.

Apud

Apud te, inquam, tua ut esset in familia, mihi propone
 re euestigio cœpi. Nā nec honoratiorem sibi dominū,
 neq; maiore apud cunctos dignitate, in me ipsum bene
 uolentia, quā te, habere illum posse intelligebam: nec
 verò cuius & animus & autoritas meis rebus esset pa-
 rator. Quapropter cum res sic sese habeat, equidem
 quod mihi abs te petendum est, quo id pacto petam nō
 satis reperio. Si peto audacter & liberè, timeo ne ni-
 mis confidens: si religiosè & prudenter, ne vllius ani-
 mi esse videar. Ita alterum meus pudor, alterum tua li-
 beralitas, & nostra videtur coniunctio repudiare. Sed
 si ego in omni vita præcipuum comitem mearum actio-
 num, consiliorū, voluntatum, pudorem semper esse vo-
 lui, nihilq; mihi fuit antiquius, quā eum retinere perdi-
 ligenter, in quo ornamentum totius vite mihi decreui
 esse positū: patieris tu, quæ tua est humanitas, te à me
 rogari atq; orari: quod equidem ago studiosè, ac vehe-
 menter: ut familiarem meum virum optimum, quem
 ego multis de causis mirificè diligo, tuam familiarem ef-
 se velis: statuasq; eo apud te domi habendo, mei quoq;
 absentis partem non parvam te habere. quippe cū cre-
 brior multò futura sit, & tuorum beneficiorum instau-
 ratio erga me, & significatio mea perpetua erga te vo-
 luntatis: quæ quidem illo interprete quotidie magis ti-
 bi declarabitur. Sed vereor ne quod modicè, & cum re-
 ligione me rogaturum dixeram: id iam non rogare, sed
 efflagitare videar. Quare plura hæc fortasse quā op-
 pus fuit. Illud tantum adiungam: si hominis opera &
 obsequio uti institueris, magnam te ex eius fide & dili-

gētia commod. t. item esse capturum. Mihi verò ita gratum facturum, ut tua quotidiana merita erga me, quibus ego tibi me deuinctum esse confiteor, hoc etiam factō non parum cumulata futura sint. Vale. VIII. Cal. Octobris. Carpentoracti, M. D. XXIX.

IAC. SADO LETVS EPISC. CARP.
Benedicto Acolto S. R. E. Cardinali
S. P. D.

Non reperio verba, quibus tibi agam pro tua eximia ac prestanti erga me voluntate gratias: quā tuis disertissimis literis praeclare declarasti. Voluntate autem dico? quis vnquam illustrius, & certioribus factis ostendit, alterius honorem sibi esse cordi, quā tua erga me non dicam facta, sed merita iam cōplura sunt. Nā q̄ fidem amicitiae mihi absenti praestas eandē, quā presenti olim officijs omnibus praestitisti: neq; officit animi tui quasi luminibus, altitudo & fortuna, & dignitatis tuae, quominus me respicias, in eodemq; habeas loco, quo antea habere eras solitus: sit hoc virtutis, sit constantiae, & animi magnitudinis tuae. Quae verò in ipsum me contulisti multa & magna non amoris solum indicia, sed summa etiam liberalitatis, quibus nā ipse verbis, aut quo dicendi genere satis exprimere possum? Quod fauisti mihi videlicet ex animo semp: quod mei absentis famam & nomen aduersus maleuolos homines & alienae laudi libenter obtrectantes, studiosè tutatus es, quòd meis, et meorum amicorum, affinium, familiariumq; negotijs, nunquam tuum patrociniū & auctoritatem deesse passus es, nemoq; apud principem

pem pro me aut sapius intercessit, aut vehementius:
 quaeso, ista omnia quanti? praesertim à tanto viro tanta
 autoritate, tanta eloquentia, tantis ornamentis hono-
 ris, fortuna, ingenijq; prädito? Quibus tamen conten-
 ta temeritas mea non fuit: ausus enim praeterea sum,
 (quid enim mihi non daret audaciae bonitatis tuae fidu-
 cia, & opinio tui erga me amoris) ausus sum, inquam
 cum hominē unum ex meis Romam mitterem, qui mea
 ibidem negotia gereret, collocare eum domi tuae, & tā-
 quam meo iure velle, ut is tuo sumptu atque impendio
 meis rebus deseruiret. Quam quidem meam temerita-
 tem in eum modum tua liberalitas excepit, ut quod au-
 dacter feceram, sapienter fecisse visus sim. Nec solum
 tu opibus tuis difficultates meas leuaueris, sed etiam vir-
 tutibus vitia obscuraris. Atq; hac cū ita sint, scribis ta-
 men ad me, amicitiam nostram summis à me officijs cul-
 tam, à te solum grato animo obseruatam fuisse. In quo
 admiratus valde sum nouam in te quandam, atq; inau-
 ditam vim humanitatis, qui isto animo in amicitia col-
 lēdas, ut cum beneficia tribuis, accipere te arbitrere.
 At ego hoc solum mihi reseruaueram ex omnibus offi-
 cijs quae sunt amicitiae debita, ut cum tu me autoritate
 & patrocínio tuo, cū opera & gratia, opibus etiā tuis
 foueres & sustentares: ego qui in ceteris tibi par es-
 se non possem, ista ipsa de te praedicans, & magnum
 obligationis vinculum, quo tibi teneor astrictus, inge-
 nue confitens aliquam partem gratiae referre tibi vi-
 derer. Quam si tu quoq; laudem ad partes tuas rapis,
 & cōmutatis nominibus rerum, bene mereri de altero,

in te vis esse idem ac alteri debere: amabo te mi Accolte optime atq; humanissime, quā nobis partē reliquam in officij laude facis? Sed ego ne sim saluus, si non contendero omni mea ope, atq; elaborabo, vt mea quoque officia & studia erga amplitudinem tuam, etiamsi minus propter status nostri mediocritatem, eximia magnāq; fuerint: ab animo tamen amicissimo, & gratissima voluntate profecta videantur. Et si hoc ipsum quoque, vt mihi maius esset ac difficilius Rainerius meus fecit, qui nuper abs te reuersus, nō destitit adhuc predicare, nullum genus humanitatis liberalitatisq; fuisse, quo tu non illum vberimē atq; amantissimē persecutus sis. Quod ego totum mihi in illo abs te tributum esse sentio, agoq; tibi propterea maximas gratias. Sed que ille ad me tuis verbis detulit de studio tuo & cura augenda dignitatis mee, id est eiusmodi, vt ista tua voluntate & in me beneuolentia nihil mihi quidem possit esse iucundius: rem autem ipsam cum etas nostra iam ingrauescens, tum studium artium optimarum, in quibus omni tēpore versor, facile patitur ad alios potius accedere, quibus ista magis cordi sunt, quam ad me, quibus hisce rebus satis persunctus sum, & nunc aliud quoddam genus vita consecutor (vt ego quidem statuo) aliquanto beatius. Ego in omni officio atq; amore, tuēq; amplitudinis obseruantia, eam tibi amicitie veritate, & id studium animi grati polliceor, quod cum tua excellens virtus ac dignitas, meritaq; erga me plurima ac maxima, tum autem fides imprimis mea & natura potest sculat. Vale. Carpentoradi.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP
 Benedicto Accolto S.R.E. Cardinali
 S. P. D.

Tardius mihi redde fuerunt literae tuae : eas enim X. Calendas Septembris datas ego circiter Nonas Octobris accepi. Sed earum lectione mirifica, incredibile est quanta animi voluptate fuerim affectus. Quamquam quid primum de illis dicam, aut quid collaudem potissimum, nescio. Illud dico, nihil lepōris esse, nihil venustatis, nihil omnino humanitatis, nihil beneuolētiæ, quod non in illis literis præclare eximieq; luceat : & cū singularem tuam ingenij ac eloquentiæ laudem, tum amorem tuum erga me perspicuum mihi ponat ante oculos. Sed horū vtro magis sim delectatus, satis adhuc constituere non possum. Iucundior fortassis est amoris & voluntatis illa significatio : sed tua in scribendo subtilitas atq; elegantia multo certè admirabilior. In qua tantum te profecisse, ut ad summā laudem perueneris, nec iam cum nostrī temporis hominibus, sed cum antiquitate ipsa contendas : gratulor tua quidem mehercule imprimis, sed nō nihil etiā nostra causa. Facile enim prospicio, cū extare iā incipiat, quis tu homo, quanti me facias, fore, ut hoc tuum de me iudicium magno mihi ornamento apud omnes sit. In summa tibi persuasum esse volo, nunquam quicquam me legisse his literis tuis, quas proximè accepi, castius, purius, liberalius. Itaq; te iam ne hortor quidē, vt omnia summa tibi proponas, atq; ita statuas, dignitatem tuam, quam ego intelligo esse maximam, non minus ex his optimis & pra-

praclarissimis artibus, quam in omni honore & praemijs fortuna existere. Tua enim excellēs & eximia virtus hortatione non indiget. Sed ego, quod propriū mei amoris in te fuit, et optavi semper te intueri talem, qualem nunc aspicio, & mei optati ac voti compos factus, iure nūc triumpho atq; laetor. Habeo enim id quod maximè optandum homini est, amicissimum meum omnibus & fortunæ & ingenij bonis ornatissimum. Verum hæc hæctenus. Nam nec pluribus agere verbis de eis necesse est, & tantum quantum in te est, non potest tamè explicari. Quodd acceptorum beneficiorum commemorationes, actionesq; gratiarū, ac cætera eiusmodi amicitia verecundioris officia, auferri iubes ex literis nostris, libereq; inter nos & per familiariter agi: agnosco magnitudinem animi tuam, qui fructum liberalitatis tuæ in ipsa liberalitate constituas. Nam si scriptioni & operæ parcendum sit, mihi consulitur vni. Meæ enim illa erant partes agendarum gratiarum: meum munus, in quo nec par quidem tibi esse poteram: cum tu de me bene merendo, ego tibi gratias agendo, quotidie inter nos quasi certaremus. Sed ut tunc liberalitati & benignitati tuæ, sic nunc voluntati bonitatiq; concedo: pati orq; ea à me silentio præteriri, quæ alioquin prætereunda non esset: nisi hoc mihi tu pollicerere, quod tamen pollicereris, te animum meum gratum & memorè non secus habiturum. De publicis reb. vtinā aut tu mihi nunciare laetiora, aut ego his quæ graua impendent, aliquid opis ferre atq; auxiliij posse. Volucas certè mihi non deesset, neq; ad eod etiam tibi. Nec verò tantum vltim

lum esset periculum, tantus labor, quod nos pro salute
 & statu Christianæ Reipubl. defugere vellemus. Sed cū
 neutrius nostrum sit potestas, cū res eò deducta sit, vt
 omni cogitatione dignitatis iam dimissa, reliquæ salu-
 tus spem non in consilijs nostris, sed in incertis euentibus
 rerum totam reposuerimus: quid attinet sollicitudinem
 capere velle de his, quæ nec prouideri à nobis possunt ne
 accidant: nec cū acciderint vitari? Vna est ratio opi-
 tulandi reliquæ: quæ sola mederi ijs incommodis queat:
 quàm tu sanctissimè, & prudentissimè commemoras:
 si fortè Deum nostri misertum sit. Etsi de eo quidem
 non dubium est, quin ad miserendum sit paratus. Po-
 tius, si fortè bona fide nos aliquando ad illius opem &
 misericordiam studeamus confugere. Nam de ostentis
 & prodigijs, quæ multa scribis & mira Romæ inspecta
 partim, partim, alijs ex locis nunciata fuisse, sanè ego
 quàm minimum laboro. Quo enim portentorum signi-
 ficatione opus, cū quæ à talibus solent significari dam-
 na, mala, incommoda, quotidie sentiamus? quæ satis ip-
 sa portentum sibi sunt: nec ab aliquo disuncto mon-
 stro, sed ex se ipsis non magis portendunt, quàm inse-
 runt calamitatem. Nihil certè nouarum cladum iam
 expectamus, quod non antè fuerimus experti: nisi for-
 tè vniuersus impendet interitus. Sed hac Deus vide-
 rit, in cuius manu sunt omnia. Nos damus operam quo
 ad possumus, vt domicilium ibi nobis præparemus, vbi
 tantum datur verè viuere: ne cū ex his locis fuerit
 migrandum, velut re noua atque inopinata perturbe-
 mur. Ad quod magna nimirū opus est non solum cura,
 verùm

verum etiam felicitate, & apud Deum gratia. Habemus multa vt homines, qua nos interpellent, verum tamen admittimur. Tu qui in illis fluctibus, versaris, qui sunt ventis pluribus expositi, maiorem artem & constantiam adhibeas necesse est. Quod ipsum tamen tua virtuti praestanti & singulari futurum est non difficillimum. Quod reliquum est, ego meum in te amorem, insignemque obseruantiam summa cum pietate conseruo. De tua voluntate erga me prorsus sum persuasus. Omnia tibi prospera & fausta euenire opto. Tuis opibus & facultatibus, cum usus venerit, perinde utar, vt meis. Denique tibi confirmo, nec habere te quenquam, qui te magis diligat, quam ego diligo: & me cui plus confidam, quam tibi, reperire profecto neminem. Vale. Carpentora. XVII. Calend. Nouembris. M.D.XXXI.

BENEDICTVS ACCOLTVS CARDINAL. Iacobo Sadol. Episc. Carpent. S.D.

Vn mihi nihil soleat in hac disunctione nostra non solum iucundius, verum etiam vtilius accidere, quam tuae epistolae: vereor ne illud mihi sapius, penè quodam fato, accidat perincommodè, vt siue tabellariorum negligentia, siue meis occupationibus, serius quam ego vellem mea ad te litera perferatur: mihique propterea fructu iucundissimo atque vberissimo tuarum epistolarum diutius sit carendum. Nam etsi nihil statuam essetanti, vt cum his honestissimis sermonibus, quibus absentiae nostrae desiderium per literas suavissime lenire consueuimus, sit conferendum: tamen ita negotijs quibusdem odiosis, atque adeo importunis, his diebus proximis disti-

dislinebar, vt quod in superiore mea epistola tabellari
 orum culpa est commissum, vt tibi tardius redderetur:
 nunc planè sit effectum mea: qui ex illis molestijs non
 valuerim tantum demere temporis, quantum ad rescri-
 bendum ad disertissimam illam tuam epistolam plenam
 singularis tui erga me amoris, quam ad me XV II. Cal.
 Nouembris dedisti, satis esset. In qua tanti me à te fieri
 animaduerti, ut qualem me esse cupio, talem tu illustri-
 bus quibusdam amoris notis, pigmentisq; lectissimis mi-
 rificè expresseris. Quod quamuis ab incredibili tua in
 me beneuolentia profectum agnoscam: amplissimum ta-
 men istud, atq; insigne tuum de me testimonium quati-
 à me fieri oporteat, quantumq; ornamenti apud omnes
 bonos mihi sit allaturum, facile intelligo. Itaq; cum ti-
 bi omnia me debere antea profiterer: nescio quo pacto
 magnus nunc (quod minimè iam posse euenire putau-
 ram) innumeris singularibusq; tuis erga me officijs,
 hoc etiam nomine sit additus cumulus. Atq; vtinam aut
 ea que tu de me amicissimè sentis, prestare possim ali-
 quando: (dabo equidem in eo sedulo omnem operam)
 aut ceteri tibi tantisper assentiantur, dum mihi facul-
 tas maior ad te pro tua singulari eximiaq; virtute, e-
 gregijsq; in Christianam rempublicam meritis, ornand-
 um atque augendum detur. Tunc enim in magnitudine
 mei erga te amoris immensa atq; mirifica tibi declaran-
 da plenissimè mihi ipsi satisfacere posse cõsiderè. Quod
 verbis, aut scriptione prosequendum non puto. Non so-
 lum quod eam esse volo animorum nostrorum coniun-
 ctionem, vt re & beneuolentia, non verbis inanibus con-
 firme-

firmetur: sed etiam, quod in ea summa voluptate, quæ ex tuis literis capio, ita purissimis illis atq; amplissimè admirabilis tuæ eloquentiæ splendoribus mei ingenio-
 li præstringitur acies, vt nisi ab illa tua in omnes, seorsumq; in me insigni humanitate recreer, planè deterrear à scribendo. Verùm de his hæcenus. De rebus publicis, est quod latius quiddam tibi possim hoc tempore significare, ex eisdem enim qui hac æstate proxima nuntiabant maximum illum Turcarum motum, nuper accepimus, ea quæ ab illis nunc nobis impendent, multo esse commodiora. Nam scribunt, Turcas ipsos bonam illius bellici apparatus partem ad mare rubrum esse conuersuros: vt per illud oceanum Indicum validissima clade delati, impediant Lusitanos, qui ad Indos aromatum gratia soliti sunt commeare. Quod etsi nobis aliquid sit allaturum incommodi, summa tamen Christiana reipublica Dei optimi maximi immenso erga nos amore, ita consultum vides, vt cum è faucibus penè fati erepti ac planè conseruati esse videamur: tum etiam aliquid nobis supersit spatij in eas cogitationes incumbendi, quæ sint & tantis nostrorum temporum acerbitatibus aptissima, & antiquo Christiana pietatis decore dignissima. Quod vtinam à nobis non prætermittatur, & his quæ quasi dormientibus nobis à diuina clementia sunt concessa, negligentiores non efficiamur: sed ad ipsius Dei optimi maximi opem (vt est in tuis literis) bona fide confugiamus. Cum enim nullum tempus pietati & religioni aptum non sit, tum id magis est necessarium, quo maior in nos illius elucet benigni-

benignitas, ne ipsius misericordia frustra cadat: sed ad ea potius pericula, quae premunt, leuanda alliciatur. Aut si quid acciderit, nobis ad salutem tranquillitatemque perpetuam iter patefaciamus: neue quanto ille benignior fuit in nobis conseruandis, tanto sit in illis puniendis iratior, si quos tot tantaque beneficia pro maleficijs habuisse animaduernerit. Nam cum saepe antea ipsius Dei optimi maximi immensa nostrarum rerum cura extiterit: tum verò non dubijs significationibus (si modò ij erimus, qui esse debemus) sperare nunc possumus, illum non solum tantam malorum molem ab extero hoste Turca iam pridem imminentem, à ceruicibus nostris esse remoturum: verum etiam eas omnes, quae nuper à domesticis proditoribus, quos haereticos appellant, per vniuersum ferè Christianam orbem delubris templisque sanctissimis nefario scelere subiecta sunt facies, ab ipsius praesente numine restinctum iri. Quis enim non videt ea quae superioribus mensibus ab Heluetyjs qui Catholicam fidem nobiscum vnà retinent, aduersus reliquos eius gentis pagos qui à recta religione descuerunt, duobus magnis praelijs sunt gesta, sine ope diuina geri prorsus non potuisse? cum enim magna ipsorum pars teterrima illa impietatis labe dudum esset cõtaminata, (Nam ex tredecim pagis, quinq; tantum in fide permanserunt) decreuerunt illi, qui numero superabant, vi & armis ita cogere quinq; pagos verae religionis amantißimos, vt illos sua perfidia socios sibi adiungerent. Cumque iam res (vt te audisse non dubito) ad manus deuenisset, primo

in prælio octingenti ex nostris maximo Christiana pietatis studio inflammati. paulum extra aciem, quæ ex octo tantum hominum millibus constabat, primi procurare, incredibiliq; virtute & fortitudine viginti hostium millia sunt adorti. Quos continuo, occisis hominum amplius tribus millibus, & totidem ferè captis, qui proiectis armis mortè supplices sunt deprecati, in fugam coniecerunt. Cuius victoria cursui quamvis nox magno fuerit impedimento, præliumq; diremerit: in eo tamè illud maximè salutare accidit, & prædicandum, quòd cum hostes rem esse in angusto animaduverterent, eos omnes quorum opera & artificijs plebs fuerat concitata, in primam aciem coegerunt procedere. Quod ubi sine mora facere, vel ut suis adderent animos, vel quòd ita necessitas postulare videbatur, minimè recusassent: interfecti sunt noti ferè omnes tantorum scelerum & perfidiæ autores, inter quos ceciderunt quàm plurimi sacerdotes, qui abiurato vera religionis cultu, sese in Satana famulatum coniecerant: repertusq; est multum vulneribus confectus Zuinglius qui primus ad Helueticos attulit pestifera Luteranorum dogmata: eiusq; ob singularem, qua maximè inter Helueticos florebat, opinionem virtutis, doctrinæ, & sapientiæ, assidue imperitorum animos imbuebat: cognitumq; postea est, pagum qui Tigurinus appellatur, quiq; omnium illorum infidelium habetur caput, ex CCC. senatoribus, ad septem tantum, eo confecto prælio, esse redactum. In quo triginta tantum pedites à nostris sunt desiderati: relataq; sunt ex pugna ad pagum Lucernensem (qui itidem

fide-

*fidelium Heluetiorum est facile princeps) complura
 signa militaria: inter quae fuit vexillum maximū pagi
 Tigurini, & tormenta muralia XIX. quadringentāq;
 castrēnsia. Hoc pralio inter hereticos nuntiato, quan-
 quam nulli erat dubiū, quin illa omnia Dei optimi ma-
 ximi felicissimis auspicijs à nostris essent confecta, mi-
 reg₃ ipsius Zuinglij interitus hostes perterruisset: mul-
 titudine tamen et numero suorum confisi, iterum prae-
 lio decertare, rursusq; fortunam experiri decreuerunt.
 Itaq; breui rediintegratis viribus, delectisq; ex omnib.
 pagis, teterrimo illo scelere imbutis, et in vnum locum
 coactis, hominum millibus circiter triginta: additisq;
 praeterea Germanorum auxilijs, qui superiore pralio
 non potuerant interesse, in nostros castra mouerunt.*

*Quibus cum nostri appropinquassent, subito & pra-
 ter omnem spem hostium, concursu tam acri in eos im-
 petum fecerunt, vt eum modo hostes ferre non potue-
 rint. Itaq; primū loco pulsi, deinde dissipati, vniuersi
 terga verterunt. Quos nostri insequuti, complurib. ca-
 ptis, magnum eorum numerū trucidarunt. multos quo-
 que ex eis repentinus suorum terror, ac fuga, in quas-
 dam locorum angustias compulit. Quibus interclusi,
 ex praeruptis altissimisq; rupibus, nostris vrgentibus,
 se precipitauerunt. Hoc pralio à nostris felicissimè cō-
 secto, rursusq; hostibus profligatis, & insigni clade af-
 fectis, cum Lucernenses, qui vt supra memorari, inter
 quinq; pagos fideles in maximo habentur honore, ali-
 quot oppida ab hostibus occupata recepissent, ea qua
 Christianos decuit vsi mansuetudine, ac lenitate, lega*

tos de communi quinque pagorum concilio ad Tiguri-
 nos miserunt: qui testarentur, se quacunq; fecissent,
 nullis priuatis inimicijs, sed tantum vera religionis
 causa fecisse: neque quicquam aliud petere suis armis,
 quam vt ad auitum sacrorum morem rediretur. Qua
 cum equo animo Tigurini, Dei (vt ego arbitror) ira
 percussi, accepissent: omnes qui pertinaciores in eiur-
 randa impietate sunt visi, confestim è pago expulerunt,
 seq; Lucernensibus & alijs fidelibus adiunxerunt. Hi
 de rebus heri in senatu recitatae sunt, magna omnium
 letitia, litera Episcopi Verulani, quem illuc Pontifex
 Maximus legatū miserat. Quibus nobis magnā spem
 facit, cum vnus omnino sit hic pagus Tigurinus, cuius
 autoritate reliqui, qui à communi religione & Chri-
 stiana pietate discesserunt, cōtineantur: fore, vt breui
 dimissa pristina errorum pertinacia, cum pagis fide-
 libus se coniungant. Quod si euenerit, tantò futurum est
 Casari adiumento in eo conuentu, quem pro sua sum-
 ma pietate & religionis studio, ad abolendum, aut si id
 fieri non poterit, aliqua saltem ratione, reprimendum
 impium Luteri scelus, aliq; heresum monstra confici-
 enda, quæ ex letali illo, ac pestifero fonte per omnem
 Germaniam longè lateq; fluxere, ad Calend. proximas
 Febru. Ratisbona indixit, vt ipsum multò commodius,
 maioriq; existimatione & dignitate, tantis vulneribus
 Christiana reipub. Deo bene iuuante, me deri posse spe-
 randū sit. De rebus vrbanis nihil est quod scrib. i: nam
 & pleraque eodem loci sunt, quo reliquisti, & si quid
 praterea noui sit, puto te ab alijs certiozem fieri. Ita-
 que

que venio ad postremam epistolae tuae partem, in qua de vita tuo instituto grauisimè scribis. Qua perlecta in eadem opinione continuò fui: eaq̄ non modo eximiam quandam, & singularem pietatem, religionemq̄ praeseferre mihi est visa, verum etiam iucunda accidit & salutaris. Cū enim semper iudicauerim haec fortuna membra, diuitias, honores, dignitates, inania esse & caduca, magisq̄ ad laborem & pericula, quàm ad salutem valere: semperq̄ statuerim, ipsius Dei cultum, & salutem animorum longè his esse praeuertendam, tamen vix dici potest, quàm hac mea mens tuo isto iudicio sapientissimo, monitisq̄ grauisimis fuerit confirmata. Itaq̄ dum ea mihi spes propterea non euanescat, quae me mirifice suscitaret: fore, vt habita (quod dudum oportuit) eximia multiplicisq̄ virtutis tua ratione, huc ad nos quandoq̄ redeas: egoq̄ hanc vsus & congressionis tuae intermissionem, quoad mihi per tua tempora licitū fuerit, assiduitate & diligentia sarcire possim. Dum igitur spes ista non extenuetur, non solū approbo sanctissimum istud tuum propositum, quo solo ad aeternā domum recta peruenitur via: verum quātum potero enitar ipse quoq̄, atq̄ à Deo Opt. Max. assiduis precibus contendā, vt tandē aliquādo vtar pacatis fluctibus. quòd mihi securus ad verā tranquillitatē miniatur cursus. Interea si quid est, quod me tua aut cuiusquā tuorū causa curare oporteat, id tibi ne pollicendū quēdē videtur, cū et voluntatē meam tibi satis notā esse intelligā, et ea quae restāt, re tibi magis quā verbis me abaturū cōfidam. Vale. Prid. Id. Decēb. 1531. Romae.

IAC. SADOLETUS EPISC. CARP.
Benedicto Accolto S.R.E. Cardinali, S.P.D.

EGo humanitatis tuæ, & benevolentia erga me vberes quotidie capio fructus: velut ex his literis, quas proximè ad me ex Io. Piscia sermone misisti. Quæ illa amanter scripta sunt? quàm prolixo animo? quàm (vt ita loquar) penè etiam ardentè? vt omnis tua in illis mihi gratificandi, & in omnibus morem gerendi, voluntas se ostendit? Non possum tam loqui quàm sentio: sed certè, si villo vnquam tēpore tuus aduersum me animus beneuolus atq; cōstans, voluptati mihi fuit, huius sum literis incredibiliter delectatus. E quibus illum tamen fructum vel maximum cepi, quod meā erga te beneuolentiā, & singularem in omni genere obseruantiam, tibi perspectam & cognitam planè esse intelligo. Etsi enim peroptatū mihi est, me abs te diligi, charūq; haberi: illud tamen etiam optatius, meam voluntatem, pari in beneuolentia vicissim tibi reddenda, tibi quoq; esse probatam & gratam de qua autor sum, vt omnia ex me summa tibi pollicearis, non fallam existimationem tuam. Non enim minor voluptas est probis & cōstantibus viris, amare, quàm amari: praesertim cum id iure fiat: sitq; in eo iudicij quaedam etiā laus, non amoris solum, & studij significatio. Quod quoniā mihi in te contigit: moriar, ni operam omnem dederò, vt quod te amo tantopere colōq;, non solum tuæ erga me beneuolentia relatum, sed tuis multis eximijq; virtutibus etiam tributum esse videatur. De Paulo quod me honoraris, ego iam pridem istud ipsum commentor, vt cum

mibi socium & adiutorem in huius ecclesie custodia
 adsciscam : qui mihi postea successurus sit. Sed veritus
 sum vsq³ adhuc etatem eius : nam de Pontificis quidem
 maximi voluntate erga me, & de tua ope atq³ opera
 mihi parata, non dubito. Nunc verò cum & annorum
 satis sit (agit enim etatis quartum & vigesimum) &
 summum eius ingeniu, optimi mores, ac singularis vi-
 ta modestia exornet : mature iam id videor posse face-
 re. In quo (ita Deum velim propitium) vt hoc meū de
 illo iudicium, non tam cōsanguinitati, & generi, (quā
 quam ne id quidem nō spectatum est) quā virtuti et
 meritis à me tribuitur. Sed de eo te ex alijs malo, quā
 ex me cognoscere. Illud q³ mea valde interest, à te vehe-
 menter peto, vt cum nemine adhuc rem hanc commu-
 nices, habeasq³ eam tecum occultam et tacitam, quoad
 paratis rebus, tua mihi opera & autoritas requiratur.

Quod confidis in repub. meliora fore, quā qua per-
 timueramus, vtinā quidem ita sit. Ego quid dicam, aut
 quid expectem nescio : in summo timore versor : nihil
 parati ad succurrēdum video, quod quidem validū fir-
 mumq³ sit. Fortune parum habeo fidei : nostris cōsilijs
 vt valeamus exopto. Sed hac quoq³, quando ea nō sunt
 muneris nostri, Deo permittimus, q³ vnus omnia potest.
 Ego superiorib. diebus, quāquam morbo graui impe-
 ditus, ex quo iam tamen conualescere incipio, dedi ad
 te literas, quibus ad illas tuas respondebam, quæ vber-
 rime atq³ ornatissima pridie Idib. Decemb. data, secū-
 di multas et magnas amoris tui significationes, de Hel-
 ueticis rebus me docebant. Quas quoniā vereor nenō

tibi sint reddita, eodem exemplo rescribi iussi, et ad te mitti: non ea me hercule gratia, quòd illarum iacturam grauiter ferendā putē: quippe quæ etiā scriptæ negligentius (vt ab ægroto sunt) sed vt perspiceres, nullū à me tuēdi officij, neq; amoris mei tibi declarādi locum prætermitti. Vale. Carpētoraçti, V. Idus Martij. 1532.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Benedictio Accolto S.R.E. Cardinali, S.P.D.

CVm iter hanc haberet Didacus Mendoza, qui tibi has literas reddidit: adolescens summo quidem inter Hispanos genere & loco, & summa nobilitate: sed ingenio etiam & moribus, quàm maiorum suorum clarissimorum virorum splendore ornatiore: accidit, vt is mecum diem vnum esset, atq; in sermonibus. (vt fit) percontanti mihi, quòd, & cuius rei gratia hoc itineris suscepisset: Romam inquit, vt bonarum artium studiis ibi operam dem. Quæ cum responsio mihi præter opinionem meam accidisset (non enim soliti sumus videre ex illis oris ad Urbem istius rei causa venientes) admiratus, perrexi ininterrogare reliqua. Tum ille mihi animum suum totum aperuit, ita inflammatū ad eas artes & literas, quas nos optimas appellamus, nihil vt fieri posset ardentius. Hic iam non te puto expectare, dum exponam, quo statim beneuolentiæ studio in illum accensus fuerim. Sum equidem, semper propensus ad eiusmodi animos omni mea comitate cõplectendos. Sed tamen iuuenem hunc intuēs, amplissimis fortunis, nobilitate eximia, cognationibus maximis, patriam in qua propè dominaretur, & penates suos relinquentem,

tem, peregrinantemq; in alienas & remotas regiones, nullius rei cupiditatis, præterquam bonarū literarum causa: crede mihi, sum non mediocriter motus. Itaque tempus eius confirmandi et cohortandi non omisi. Laudavi consilium: hortatus sum, vt magno animo incumberet in studia, ad summa contenderet: facile cum si adniteretur, vel partes primas, vel proximas certè adepturum. Quod hoc maiore cum spe faciebam, quod videbam eum sine monitore adhuc & magistro, sua ipsum sponte, solo naturæ bono, tantam iam adeptum iudicandi facultatem, vt Ciceronis imprimis scripta in manibus haberet, ijsq; præcipua delectaretur. Sed cum ipse me rogasset, vt ad vrbani aliquem ex meis amicis hominem doctum literas darem, cuius ipse, ad vrbem cum venisset, familiaritate atq; amicitia vti posset: occurristi tu continuo, vel ita doctus, vt excellens: vel ita amicus, vt tibi à me non fides solum in tuenda amicitia, sed obseruatiã etiã debeatur. Itaq; cū eo de temulta locutus sum: dixi quæ sentio: ostēdi nusquam eo magis, quàm apud te, voti sui futurum compotem: propterea quod domus tua talium virorum & præstantium ingeniorū conuentu præcipuè celebraretur. Annuit gaudens: seq; ad te profecturum primò dixit. Qui cum hoc animo istuc veniat, vt tibi sit vsu quã cōiunctissimus, nihilq; omnino aliud abs te præter beneuolentiam tuam expectat: peto à te mi optime Accolte, vt hunc talē iuuenem sic recipias in amicitiam tuam, vt omni ille tua humanitate, quæ profectò summa est, ad arlirium suum, & quandocunque illi fuerit commodum, persruatur. Est



omnino hoc tuum, & natura tua praestantis ac singularis, fauere bonis ingenijs, eaq; florentia atq; honesta esse velle. Sed quod tua sponte faceres in complectendo atq; extollendo hoc adolescente, vt mea quoq; causa studiosè magis & significantius facias, id ego te etiam atq; etiã rogo: imprimisq; vt illi eruditorũ hominum beneuolentiam concilies, quorum frequentia & copia semper abundat domus tua. Quod cum feceris, nam facturum non dubito, videor tibi posse polliceri, tantam te ex adolescentis nobilissimi atque optimi necessitudine, obseruantia, familiaritate, voluptatem esse capturum: vt in quo melius tuam liberalitatẽ comitatemq; adhibeas, non saepe sis reperturus. Vale. Carpentoræ, XI. Calend. Iunij, M. D. XXXII.

IAC. SADOLET. EPIS. CARPENT.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali
S. P. D.

Eodem tempore et de tus reditu ad Pontificem Maximum, & de patru tui viri clarissimi, hominisq; sapientissimi, morte accepi. Quo ego nuntio variè commotus sum. Nam cum valde mihi letandum arbitrarer, in eis esse iã locis, in quibus tua excellens virtus & autoritas, & tibi celebritati atq; laudi: et nobis, qui in fide tua sumus, teq; vehemèter colimus, vsui atq; emolumento esse posset: hanc tamè animi mei letitiam obturbabat illa cogitatio, quod intelligebã te funere domestico, et in eo funere, in quo tecũ vnã magnam ornamentorum & dignitatis suae iacturam fecisset Respublica non priuatis solum incommodis, sed propè luctu publi-

eo commoueri. Talis enim vir profectò amissus est, vt non solum qui ex stirpe & genere eodem sunt, proprium illud damnum sentiant: sed et nos, qui vobis semper & vestra familia dediti fuimus, & omnes boni, vniuersaq; ciuitas, communem hanc et suam ducat calamitatem. Etenim re vera vnius in interitu sua cuique pars incommodi & detrimenti inuecta est. Quis enim erat opis egens atque consilij, cui non esset in illius humanitate & sapientia paratum persugium? quis in ciuili & pontificio iure ita hasitabat, vt cum accepisset cognossetq; illius sententiam, non ea tanquam oraculo contentus, omnes scrupulos dubitationum ex animo suo eijceret? quòd in illo inaudita quedam & propè singularis iuris sciètia esse putabatur. Qua porro grauitas in eo? qua autoritas? qui cum propter summam amplitudinem ac dignitatem, omnibus publicis consilijs non interesset solum, verum etiam praesset: propter opinionem tamen prudentiae atque consilij id cõsequebatur, vt non cum alijs multis vnà, sed propè solus gubernare Rempublicam, & eam suis sustinere humeris videretur. Itaque et illius potissimum monitis ac prudentia nitebantur summi Pontifices, et omnis pend Italia Christianumq; nomen cunctum consilij eius ac quiescebat. Sed etsi tanto incommodo, maxoreq; communi, vnius hominis mors omnibus lugenda est: nos tamen qui propiores illi exitimus in familiaritate atq; amicitia, quiq; ab ipso primùm pluribus beneficijs ornati, deinde à te proximo illi & coniunctissimo, omni humanitate accepti semper fuimus, haberemus gra-

uiorem causam dolēdi atq; mœrendi, nisi nos tua pre-
 stans virtus cōsolaretur. Itaq; ne illas quidem rationes
 diligenter mihi exquirendos puto, quibus coner quasi
 leuare dolorem tuum: cū te hominem egregia animi
 firmitate præditum, fidentem eis muneribus, quæ tibi
 & à natura, & ab industria tua donata sunt, nulla res
 molestā de statu tuo dimouere posse videatur. Illa po-
 tius commemorabo, quæ non tibi, sed nobis esse solatio
 queant: hominē eum, qui florētissimè vixerit, summos
 honores gesserit, summam fuerit gloriam virtutis, do-
 ctrina, omnisq; prudentia consecutus, tum autem diu-
 tissimè nobiscum versatus sit, in senectute extrema, &
 in ea ætate decesserit, quæ iam nulli idonea voluptati,
 tantū ad labores, & ad miseras sit exposita, nō esse
 desendum velut mortuum: cuius præsertim imago vir-
 tutis, & dignitatis, & autoritatis, in te ipso nobis rela-
 ta sit: vt nihil in illo amissum desiderare possimus, quod
 non in te nobis redditum cumulatè habeamus. Ac ce-
 teras quidem rationes aptas ad consolandum, quæ ex
 Deo & religione, & ex illa altera vita cœlesti & im-
 mortali afferri possunt, tibi potius considerandas relin-
 quemus, quàm ipsi nobis sumemus exponendas: cū ni-
 hil à quoquam in eam rationem tam accuratè dici pos-
 sit, quin tu id multò melius scias, magisq; promptū ha-
 beas, quàm quiuis nostrum. In eo nos potissimum infi-
 stemus, atq; inharebimus, vt tibi in te ipso, & in eodē
 te, nobis omnis consolatio sit posita. Qui dum te habe-
 bimus, non sumus neque sine patrono nos, neq; Respu-
 blicæ egregio suorum ornamentorum defensore futuri.

Qua-

Quare hoc officio, si non commodè atque ornate, piè
 certè, & amanter per me, & illius mortui memoria,
 & nostra inter nos necessitudini persolutò: licere mi-
 hi iã arbitror de illa altera parte, qua tota mihi iucun-
 da accidit, hoc est, de reditu tuo ad Pontificem, pauca
 verba facere. Etenim noli existimare, mi optime Accol-
 te, tuam istam absentia nō mihi nimis diuturnā fuisse
 visam: quanquam te rebus præclare gestis, prouinciãq;
 ritè & ordine constituta, cum omnium gratia, & lau-
 de, ad tuos reuertisse gratulor. Sed tamen non dici po-
 test, quã mihi videatur Reipub. esse vitale, te in hoc mo-
 tu rerum, & tantorum congressu principum, ibi potis-
 simum esse, vbi cōsilio & integritate tua res imprimis
 publica perfrui possit. Et si in hoc fortasse refero ad
 me aliquid, qui cū tu abes, carere mihi videor tutore
 vel præcipuo omnium fortunarum mearum. Verū quã
 quam hoc nonnihil forte est: illa tamen vehementius
 me adducit ratio, vt te optem istic esse, quòd scio quan-
 tum in tua virtute & eloquentia præsidij rebus com-
 munibus constitutum sit. Sed ne de hoc quidem longior
 mihi habenda oratio est: cū præsertim verear, ne tibi
 in maiore aliquo negotio impedito intempestius ob-
 strepã: tuasq; grauissimas interpellem occupationes.
 Illud tantum addo, me de aduētū tuo, et de laude gesta
 conseruatæq; prouinciæ tibi ita gratulari, vt cupiam
 qua de illis rebus ad nos plata sunt, multorū celebrata
 literis et sermonib. tamen, quoniam confuse nobis signi-
 ficata sunt, singula melius nosse ex te & enucleatius.
 Cuius rei cū erit tibi otium, vt facile præstare id possis,

ali-

aliquā suscipies curā docendi me, certioremq; facie dī.
 Me quidē certē gloria tua fauorē, et laudī predicato
 re amantissimū ac fidelissimū semper habiturus es. Va
 le. Carpētōr acti, XII. Cale. Februarij, M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Blosio Palladio suo. S. P. D.

AMor meus in te Blosi, qui etsi antea magnus semper
 fuit, nunc tamen ex hoc recente congressu nostro
 factus est ardentior, posteaquā diuturna absentia mea
 nihil de tuo summo erga nos amore detractum esse co
 gnouit: non patitur ferre me moram scribēdi ad te, quin
 quamprimum tibi & salutē nuntiem, & Deū immor
 talem precer, vt vestra ista nauigatio omnib. vobis pro
 spera & salutaris sit. Nam hic nos quidem eramus soli
 cito animo, quidd v̄tos uobis aduersos verebatur. sed
 in hac animi cura, & molestia, illa inerat cōsolatio: q̄
 maritimo dimisso cursu, arbitrabamur vos iter pedibus
 facere constituisse. Hoc si ita est, nilq; accidit vobis in
 commodi, est cur magnā Deo verē sospitali gratiā ha
 beam. Nam mihi quidem nil euentre optatius potest, q̄
 audire & nosse, incolumes vos & sospites domum re
 aertisse. Sic enim à vobis digressus sum Masilia disce
 dens, sic in his oris terrisq; remansi: vt tamen mecū ve
 strum omniū memoria et acre desiderū consuetudinū
 vestra m̄aserit. Cognoui enim planē, req; ipsa sum ex
 pertus, nihil homini esse, vt poeta inquit quidā, homi
 ne amico amicius. Etenim, per Deū immortalē, si vo
 biscum asiduus fuisset, nullaq; intercapedo temporis
 vsū et familiaritatē nostrā diremisset, qui potuisset

maius studiū pra uobis ferre & voluntatē gratificādē
 mihi? qui tantum mihi à vestra consuetudine iā diuul
 so tribuistis, quantū ego, si in vestris oculis semper ha
 bitassem, vix ausus fuissē optare? Et ego his à vobis of
 ficij prouocatus, pari vobis pietate & beneuolentia
 non respondebo? aut posteriorem in amādo partes fer
 re me patiar? mori me milles malim, q̄ eiusmodi quic
 quā cōmittere. Qui si ad referendā vobis gratiā parū
 idoneus fuero: ad cōmemorandam quidem certē & ha
 bendam, ero diligens. An ego optimi & maximi Pontē
 ficis tot beneficia erga me tacita sinam praterire? pro
 quo si vitam sanguinemq; profundam, vix vllam par
 tem ipsius erga me meritorū asequar. Quid? tua tam
 multa officia, mi Blofi, quae mihi à te tributa sunt, oblē
 uiscine vnquā possim? quid aliorum tot hominū huma
 nitatem & studiū? à quibus cū tam longē septem anno
 rum interuallo abfuisse, vix debui existimare vel tenue
 vestigium recordationis de me in eorū animis residere:
 qui tamen omnia mihi recētis beneuolentiae signa pra
 stiterunt. Quibus equidem cunctis sum obstructus: sed
 in exoluendis nominibus ita reddam vniciq; vt mihi
 tempus, occasio, facultasq; suppeditarit. Nam tibi mō
 Blofi me rotum iam pridem dedidi: tuumq; istū amorē
 aduersum me non minore ipse charitate beneuolētiaq;
 sum amplexus. In qua quidem mutua voluntate nostra
 vt perpetuū maneamus, neuter profectō nostrum ab al
 tero rogandus est, (quid enim nobis in vetere amicitia
 nostra tuenda cōstantius?) ego tamen morē secutus sic
 agendi, rogo te etiam atq; etiam, vt me isto modo ama

re nūquam desinas: tibiq³, vicissim de me ita persuasum habeas, esse te mihi et fore semper charissimum. Vale.
Carpentora cti, VIII. Cal. Decemb. M. D. XXXIII.

IAC. SADO LETVS EPISC. CARP.

Vbaldino Bandinello S. P. D.

PRidie eius diei, quo sum hinc Massiliam profectus, qui fuit dies tertia Cal. Octob. accepi tuas literas. Quae etsi mihi gratissima fuerunt, declararunt enim planè tuum erga me amorem, eamq³, curam & diligentiam, quam tu in rebus meis agendis adhibuisses: tamè quoniam mihi tardius fuerat reddita, egoq³, tecū Massilia congressurum me arbitrabar, nullam tunc suscepi cogitationem respondendi tibi. cū ad id potius me parassem vt praesens tecum de omnibus rebus colloquerer. At posteaquam illuc veni, primū id mihi accidit incommodi, quòd mihi ibidem Pontifex duodecim dies ipsos expectadus fuit. Deinde cū ex eius aduentu eā certè voluptatem cepissem, quàm meus in optimū atq³, humanissimum principem amor, totq³, praeterea hominum mihi amicissimorum insperatus conspectus attulisset: in tanta mea gratulatione illud accepi molestia, quòd neque te, neq³, alios quosdā mihi amicissimos homines in conuentu illo affuturos cognoui. Ac de te qui dem ita audiebam, cū Pontificis missu in Hispaniam iter suscepisses, aliquotq³, iam dierū processisses viam, in itinere ipso agrotum restitisse. Quo ego nuntio cū essem sanè perturbatus, Binus nosster, & is qui tibi & mihi est amicissimus Petrus Carnificcius plenus officij atq³, humanitatis adolescens, affirmavit periculū nul-

lum

lum esse: seq̄, certò existimare, antequã conuentus Masiliensis dimitteretur, nobiscum te futurum. Id postea quam non contigit, egoq̄ tuo aspectu & colloquio fui priuatus, statui non amplius differendum esse officium meum. Itaque etsi Paulo mandaram Masilia iã discedens, vt aliquid daret ipse ad te literarum: tamen aliena illa opera non contentus, vt primum reuerti Carpentoraacte, has ad te scribere institui, quæ tibi nuntiarent, gratum te mihi fecisse, quod meã, atq̄, aded quòd prouincia huius causam tam accuratè apud Põtificem egeris. Quanquam ille, qui fuerat huc missus, vt prouinciam seditionibus quibusdam laborantem, pace cordiaq̄ placaret, non sedator, neq̄, extinctor factionum, sed cõcinator potius apparuit. Venerat enim huc partibus illis addictus, quas maximè timebamus. Neq̄ ipse id dissimulabat, neq̄, animi sui studium tegere poterat. Sed cum cupiditate esset ita aperta, vt palam omnibus pateret, quorum arbitrio gesturus esset magistratum, cumq̄, in causis paribus eorum qui rerum per se gestarũ rationes essent reddituri, non a quo iure aduersus omnes, neq̄, eodem vteretur: complures hinc boni iuri et nobiles concilio habito, primum quæstoris huius libidini se opposuerunt: deinde re ad maximũ Pontificem Masiliam delata, facile ab eius clementia & singulari iustitia est impetratum, vt pro hominẽ parum his populis probato, aliũ nobis daret, in cuius virtute, & integritate, & prudentia requiesceret Prouincia status. Quod et factum est, datũq̄, negotium Paulo Capisuccio, homini eximia autoritate atque doctrina,

T quem

quem nunc maximè expectat Prouincia. Quae ego tibi volui nota esse, vt intelligeres, neq; tu me, cum tibi ista exponebam, sine causa laborasse. & quàm gratum putes mihi accidisse hoc officium erga me tuum. Nā quòd de studijs meis cum eodem optimo Pontifice communi caris, gaudeo maiorem in modum, meorum illi studiorum rationem probari. Sed crede mihi, quātum literis potero, quantum scriptis, quantū hac mea ingenij mediocritate, et his facultatibus, quae mihi à natura, aut à diligentia tributae sunt, omnia sum ad eius ornandam atq; illustrandā gloriam collaturus. Ita enim ille de me meritus est. Et hac in re, quod per me minus valebo, amor mihi ingenij et vires suppeditabit. Te quidē tacuisse cū illo id quo minime prolato fuit opus, & probo factum, & in eo etiā beneuolentiā tuā agnosco. Operam tuā in vrbe ita mihi paratā esse duco, vt meāmet mihi Sed mea istic pleraq; parui momēti sunt. Quòd si acciderit, vt tua mihi gratia & ope sit vtendū, literis non parcā. Illud cuperem, de quo etsi tu Lugduni mecū modestissimè es locutus: tamen doleo vehementer, non ex mea id sententia quā primū confici: vt hominis florentissimi, ac liberalissimi, gratiā & beneuolentiā tibi reconciliares. Quem hominem ego summè diligo atq; collo: arbitrorq; id me iure optimo facere debere: quando & illius eximia virtus spectata omnibus, & beneficia erga me complura ac praecleara extiterunt. De meisq; rebus, et de publicis, nihil ego ad te scribo. Nam & quae proprie ad me ipsum pertinent, parum idonea sunt quae scribantur: & si quod publicè factū est, quod

fit dignum scriptione, plurimos earum rerum habitu-
rus es & narratores, & testes. Tu vt valeas, nosq̄,
quod facis, diligas, magnopere à te peto. Carpentora-
ti, XII. Calend. Decembris. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Laurent. Campegio S.R.E. Cardinali. S.P.D.

Nihil mihi potuit nuntiare latius, quam te ex Ger-
manica legatione tua, saluum & sospitē, longo in-
teruallo, ad tuos reuertisse, gratumq̄, & optatum con-
spectum tuum summo pontifici, collegisq̄, tuis omnibus
atque ipsi vrbi imprimis retulisse. Non enim dubito,
quin tua eximia virtus & autoritas, in his tantarum
agitationibus rerum, sapius requisita & desiderata fue-
rit. Quanquam seruiuit illa quidem Reip. magnasq̄, et
maximè agras illius partes consilio & diligentia ab-
sens sustinuit. Sed tamen quemadmodum ea membra
qua cordi propior sunt, plures et potiores habent in cō-
seruando corpore functiones: sic summorum hominum
sapientia & grauitas, proximè principem, & in ipso
capite conciliorum statuenda est: vt latius in omnē par-
tem illarū vtilitas possit dimanare. Verum vt se cunq̄,
res habet, labores tuos eiusmodi fuisse, vt ea, qua gra-
uissimè laborabant, iamq̄, curam omnem respuere vide-
bantur, in commodiorem tamen statum per te deducta
sint, valdè & laudi tuae, & publici vtilitate gratulor.
Atq̄, vtinam aliquando sinem eius mali aliquem videas
vni, cuius tātā extitit vis, vt nō solum humanas, verē
etiam diuinas res & rationes potuerit peruertere. Nec
verò nunc eius tollendi atque exterminandi non adest

occasio, duobus summis optimisq; principibus in vnum
 locum adductis. Qui si prudentia & facilitate perse-
 cerint, vt tertium hunc quoq; cuius nos in regno viu-
 mus, flagrantem studio Christiana pietatis contra he-
 reticos tutanda & protegenda, in amicitiam & gra-
 tiam possint restituere: non metuo, quin clarius in cœ-
 lo sibi monumentum seruata religionis, quàm in terra
 deuictarum gentium sint constituturi. Sed ego fortasse
 studio inani seror, atque ea curo qua minus ad me per-
 tinent. Quæ etsi in studijs & voluntatib. omnium com-
 munia sunt, in potestate tamen paucorum sunt posita.
 Quid ergo? nõnne mihi licitum est optare, vt pauci illi
 qui possint, etiam velint consulere Reipublica? Quan-
 quam vt dixi, de optima mente principum istorum du-
 bium mihi non est. Res forsitan impeditiores sunt, &
 durior ac difficilior earum rectè tractandarum ratio.
 Recordor enim quàm saepe cum ipse quoque interesset
 rebus agendis, optima hominum consilia, grauis Reip.
 fortuna interruperit. Sed tamen vt ex instituto hoc ser-
 mone honestius abeamus, Deum supplices precemur,
 vt quod humana vis nequit, ipse sua clementia & me-
 lucubili potentia velit prouidere. De te autem ipso,
 Campegi optime, atq; humanissime, illud quidem mi-
 hi persuasum habeo, quod tuæ est natura & bonitati
 imprimis consentaneum, eos qui te coluerunt semper
 & amauerunt, nequaquam tuo ex animo elapsos esse:
 neque vllam esse posse tam diuturnam absentiam, qua
 te obliuisci veterum amicorum cogat. In quibus ego si
 principem locum appeto & diligendi tui, & amplecti-
 que

que honorificè de tua virtute existimādi: haud sanè mirum videri debet. Sed tamen meas esse duxi partes, redigere tibi in memoriam, me eodem animo & obseruātia erga te esse, qua semper fuerim: & simul hanc voluntatem scribendi ad te, & tecum per literas quasi colloquendi, capere properaui. Quā quoniam diu mihi carendum fuit, dici non potest, quā fuerim saepe angore quodam animi sollicitus: cū tua in longinquis partibus commoratio, tecum hoc mihi commercium literarum adimeret. Nunc posteaquā es reuersus (quod tibi bene prospereq; vt eueniat opto) renouabo, si tibi non fuerit molestum, hoc officium scribendi: teq; interdum meis literis appellabo. Tu quod proprium est constantiæ & virtutis tuæ, me, quē in fide tua semper habuisti, vt perpetuò tue are ac diligas, te etiam atq; etiā vehementer rogo. Vale, Carpent. XII. Calen. Feb. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Hippolyto Medici S.R.E. Cardinali, S.P.D.

VM ad me Roma scriptum esset, te viro optimo & homini prudentissimo, mihiq; veterē amicitia coniunctissimo, Antonio Pi. leoni Burgio in magnis ipsius rei familiaris angustijs, tua ope & liberalitate auxilium tulisse, largoq; illū congiario prosecutum esse, quois nobiles filias, quibus dotem aliter conficere non poterat, honestè atq; ex sua dignitate familie ruptum daret: equidem cepi eam animi letitiam quam debui, plurimumq; ambobus vobis absens sum gratulatus. Quòdcūm vtrunq; singulariter amem, te verò præterea obseruem etiam atq; colam: eadem tua benignitate & il-

lum leuatum onere atque incommodo, & te gloria at
 laude auctū esse cognoui. Etenim ea demum vera libe-
 ralitatis est laus, cum in illos cōfertur beneficium, qui
 sua dignitate donantis nomen illustrant. Ac quod ad il-
 lius virtutes attinet, exponerem libenter quibus ille de
 causis & tuo & omnium amore dignus sit: (quid est e-
 nim illius prudentia, quid temperantia, quid integritate,
 te, fideq; spectatius?) sed quoniā tu horum illi ornami-
 torum precipuus testis es, quippe qui eum non iudicio
 solum tuo, q̄ a tanto viro satis magni estimari debuit,
 sed opibus etiam tuis, & copijs, virtutis causa decora-
 sti: super sedeo hoc onere; de illo narrandi ac predicandi
 que sentio, & ad te vnum conuertar: qui mihi visus
 es hoc præclaro factō admonuisse ceteros, & docuisse,
 nihil esse tam proprium præstantis eximiaq; virtutis
 quam aliorum & fouere & honorare virtutem. In
 quo magna mehercule natura vis, et imprimis mirabili
 le consilium extitit. Quæ cum duo virtutis genera con-
 stituisset, vt vna esset virtus adiuuandum et commodā-
 dum se impartiens, altera idonea cui commodaretur:
 ita hūc complexum præclara societatis iugatum inter-
 se et annexum esse voluit, vt altera sine altera suum ex-
 plere munus vix nequeat: nec quisquā habere laudem
 rectè faciendi possit, nisi is in quo rectè sit, hoc sit mē-
 nere & beneficentia dignus. Præbuit igitur tibi Pulleo
 noster facultatem ex tua eximia virtute agendi, quod
 suis ipse meritis ac virtutibus magnitudinem animi tui
 prouocauit. Ille tibi à tua incunte ætate, egregia cum
 fide & beneuolentia deseruiuit, tu esq; teneriores annos

alit instituit q̄, ad virtutem: vt tu nunc uir effectus, er-
 ga optimum virum, qui parentis tibi loco fuisset, pietatis
 officia vsurpares. In maximis rebus summo omnium
 principum patruo tuo, operam illi et diuturnam et val-
 de vtilem nauauit: vt tu tunc illius industria et integri-
 tate muneribus honestanda, & acuti in pendendis ho-
 minibus, & propensi in adiuuandis famam & gloriam
 tibi comparares. Difficultates ille domesticorum incom-
 modorum, patientiam q̄, paupertatis, nec sine dignita-
 te, & cū modestia diu tulit: vt tu in eo subleuando nūc
 ac recreando, insignem liberalitatis ac magnanimitatis
 laudem consequerere. Ita in hac veluti alterna quo-
 dammodo inter vos procuratione virtutē, cum ille ita
 separaret, atq̄ excoleret, vt ad quamlibet magna pro-
 merenda beneficia esset aptus: tu excelso & magno ani-
 mo omnium merita tua liberalitate anteire contende-
 res: factum est id quod decuit, vt tua tamen virtus exi-
 steret superior. Quantum enim inter regem interest,
 & inter ciuem, tantum distat inter gloriam dantis &
 accipientis. Itaq̄ Pulleonis prudentiam, probitatem,
 modestiam, amamus & collaudamus omnes: tuam verò
 largitatem, beneficentiam, altitudinem animi summo
 pere etiam admiramur. Tu enim hac tempestate vnus,
 aut certè cum paucissimis, opum & diuitiarum instru-
 mento, qua tibi pro loco, pro nobilitate, pro familia
 tua gloria sunt amplissima, non ad explenda auaritia
 studia, qua semper infinita esse solent: sed ad effunden-
 dam tuam bonitatem in plurimorum commoda et emo-
 lumenta vteris. Tu talem iam te, annis penè adhuc ado-

lescentibus, & nobis & Reipub. praestas: quales ferme si
 essent hi, qui matura saepe aetate, & multo usu rerum,
 honoribus & muneribus publicis praeficiuntur, splendere
 melius hoc seculum omni eiecta sorde auaritia cer-
 neremus. Quae maximè vna, altis & praestantibus ani-
 mis atq; consilijs infecta atque inimica est. Quae facit,
 vt dignitatis, & honestatis, & amplitudinis, aut nul-
 lam iã, aut sanè quam exiguã partẽ teneamus. Cuius
 quando labis maculam tu & natura tua voluntateq;
 abhorres, & contrario amore virtutis & liberalitatis
 es incensus, illaq; species & forma diuina pulchritudi-
 nis animo tuo illuxit: quid est cur dubitemus (pro com-
 muni nunc sensu omnium te amantium loquor) locare
 in te praesidia spei nostrae, rationemq; publicae salutis ac
 dignitatis in tua potissimum virtute constitutam habe-
 re? cum quid à te expectandum firmiorib. aetatis tuae an-
 nis à nobis sit, obsidibus magnis iam edocti simus. Forti-
 tudine tua superiore anno aduersus ferocissimos nostrae
 religionis hostes, & nunc benignitate ac beneficentia
 erga de te meritos. Quorum virumq; cum in ipso ex-
 tremo adolescentiae tuae tempore tanta cum laude glo-
 riaq; praestiteris, certissima spe sumus, percepturos noi-
 vberriam frugem ex matura postea tua virtutis se-
 gete. Quod vt ita sit, idq; nostra ex sententia eueniat,
 & ex tua dignitate, saluumq; te, & magnum, & flo-
 rentem diu videamus, ego cum Deū immortalem sup-
 plex rogo atq; oro, tum tibi pro ista tua tanta humani-
 tate ac liberalitate, & meo, & Pulleonis nomine, ag-
 gratias tuaq; praestantissima virtuti, ac tam egregia

commemorandaq; natura, vèhementer atq; ex animo
gratulor. Vale. M. D. XXXIIII.

HIPPOLYTUS MEDICES CARD.

Iacobo Sadoletto Episcopo Carpent.

S. P. D.

SI vllius vnquam honesta rei, actionisue, iucundissi-
mum fructū mihi capere visus sum, hac profectò ea
est, de qua tu mihi per literas grauisimè, & copiosissi-
mè superioribus diebus gratulatus es. In quibus dando-
rum recipiendorumq; beneficiorum adedò rationes om-
nes patefecisti, vt liberalis viri effigiem, quàm optatis-
sime postea acutissimeq; verbis exornares tuis, te poti-
us animo spectasse intelligā, quam quod de re tātenui
ea sentias, quæ à te in hanc sententiam scripta sunt. Fa-
cis tu id quidem natura tue bonitate, vt si quid ab ami-
cis rectè factum audieris, continuò id, qualecunq; sit, in
cælum laudib. efferas: neq; laudes solū, sed admiratio-
ne ac plausu etiam prosequare. Ego autem ad hanc q̄
informādam suscepisti liberalitatis speciē, nihil adhuc
(vt verum fatear) attuli præter exiguum quiddā vix
inchoatū, ac plane rudè. Quod tu, qui vberrimis exer-
citationibus, grauiorum artium locupletissimis præsi-
dijs, memoria nostra id affecutus es, quod vel paucis an-
tiquorū contigisse videmus: vestitu orationis adedò illu-
strasti, ed vt me redigas, vt nō nihil existimationis ac-
cepisse tuo hoc præclarissimo testimonio non negē. Est
igitur cur Pulleoni gratias agam, cuius virtute ac pro-
bitate ea mihi de illo in animo opinio infederit, vt de
augenda hominis vtilitate & commodis ratio tandem

T S ineun

incunda fuerit, hocq; quasi es alienum, quo illi infirmiores aetatis meae gradus obstricti erant, dissoluendum. Ita factum est, ut dum ab officio non discedimus, non solum pie id factum, & humanè homines interpretentur, sed aliqua ex parte in societatem quoq; illius praestantissimarum laudum mihi deueniendū putent. Quod quoniam abs te probari sentio, tuo iudicio standū est. Itaq; non pugnabo tecum, & omnia quae de me scribis deq; mea humanitate, liberalitate, beneficentiaq; aduersus Pulleonē eō pertinere arbitrabor, ut & tu quanti illum facias, & quanti rursus à me fieri velis, hoc tuo illustri testimonio testatum relinquant. Nā de superiorum anni aduersus saeuissimos nostrae religionis hostes suscepta à nobis prouincia, nihil est quod tibi respondeam. In quo quidem ea mihi tribuis, quae sine temeritatis nota vix possim agnoscere. Desiderio certè peracri, ac studio flagranti ad ea tunc arma accessimus: quae si iterum nobis sumenda erunt, tanto Reipublicae insigniore operam nauare conabimur, quāto maiorem nobis corroborata iam aetas, consilij maturitatem, & rerum vsum attulit. Tu verò mi Sadoletè, quem à nobis maximarum & grauissimarum artium studia, in quibus iam pridem magna cum laude versaris, abducunt, isto tuo suffuere ocio, ut cum te praclarissimis ingenij monumentis ab omni posteritatis obliuione vindicaueris, non nihil etiam memoriam nostri cōseruandam putes. Vale. Roma
Idibus Iunij.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-
LARVM LIBER VIII.

REGINALDVS POLVS IACOBO
Sadoleto Episc. Carpent. S. P. D.



RATI AS tibi agam prius, (ita enim rerum ordo, & mei officij ratio postulant) deinde ad mada-
ta tua conuertar. Neq; verò illa solum me ad agendum gratias im-
pellunt, quæ tu in me presentem officia contulisti: cum me domo atque hospitio honorificè sanè lauteq; acciperes, cum animum meum, tui cōgressus cupidissimum, erudito illo & pleno grauitatis sermone retineres & planè pasceres: atq; maximis de rebus quærentem & hesitantem, omni prorsus scrupulo & dubitatione liberares. Quæ quide quoties in mētem reuoco (reuoco autem sapiissimè) quod de Platonis cœna dixit Timotheus, cum ab eo inuitatus esset, & eundem postero die vidisset, cœnas Platonis non modo in presentia, sed in posterum quoq; diem esse iucundas: idem ego multo prolixius de tuo hospitio dicere possū. Non modò in presentia fuisse iucundum, sed in aliquot menses iam fuisse, atq; idem, vt spero, in multos annos futurū. At verò cum à tua consuetudine, cuius ego sua uitatem tum primùm quasi gustare cœperam, tã citò dirimi, ac tanto locorum interuallo disiungi, animo sanè molestè ferrem, cum nec mihi tum integrum esset aliter facere, rationibus meis sic ferentibus, & in hac lo-

ca penè trahentibus: ne huic quidem dolori meo defuisti. Inita enim à te ratio est, quemadmodum eo quo tan-
 toperere delectabar, non vsquequaq; priuarer. Sed vt te
 etiã absens aliqua ex parte fruere, adiuncto mihi eius
 modi itineris comite, qui te mihi quotidie reddebat,
 qui iucundissimos tuos, & grauissimos sermones sine
 intermissione referebat, nec sanè intermori eam, quam
 ex consuetudine tua voluptatem cepi, vlllo pacto sine-
 bat. Quis enim te ipsum melius exprimere potuit, quã
 tu, quã scripta tua, quã liber ille tuus quem per me
 Bembo reddi voluisti? in quo prudentia tua, grauitas,
 doctrina, quib. maxime delectabar, elucet. Hunc certe
 mihi comitis loco accepi: qui non modò mihi in breui
 illa & paucorù dierum via, quæ in Italiam properanti
 instabat, pro vehiculo fuit, quod de facundo comite di-
 ci solet: sed in longo totius vita cursu, in quo maxime,
 & periculossimè laboratur, & vehiculi, & ducis lo-
 cum facile obtineret. Ex quo quidem hanc primo aspe-
 ctu voluptatem cepi: quòd mihi cogitationem omnem
 de eo in quod ingressus eram itinere, impedito sanè
 & molesto, abstulit, meq; totum in contemplationem
 preclari illius itineris abduxit, quod te duce & mon-
 stratore, adolescenti ad laudem & decus tendenti, cer-
 tum & gloriosum proponebatur. In quo quidem ualde
 delectabar, cum quasi oculis, sic animo cernerè, te gra-
 uissimum & prudentissimum senem, vt peritum guber-
 natorem, gnarum & locorum & maris, syderumq; &
 tempestatum omnium, sic animo prouidum, sic omnia
 pericula longè lateq; prospicientem, vt nihil non præ-
 dice-

Aceres ac praecaveres, quod vel impedire tam praec-
 larum cursum, vel in periculum adducere posset. Qui nõ
 cuius adolescenti, in vulgi moribus educato, vulgarib.
 parentibus orto, & qui filiorum educationem in po-
 stremis haberent, te ducem profitearis: sed illi qui ab o-
 ptimis parentibus, penè antequam in lucem puer edere
 tur, huic tam praecleara expeditioni fuerit destinatus: cu-
 ius educationi natura non obsistere, sed suas dotes beni-
 gnè largiendo, se fautricem sponderet. Qui ab incuna-
 bulis sic eductus, sic literis & moribus formatus fuerit,
 quèadmodù est à te sanctissimè & prudentissimè præ-
 scriptum. Hunc verò talem cum tibi ipse oratione for-
 masses, vel potius natura sic formatum, & parentum
 votis huic rei destinatum, cum Paulum tuum accepisses,
 quid non voluptatis mihi præbuit, praecclarus ille quem
 recenseres, in eo instituendo apparatus? Deinde cum ex
 puerili institutione, tanquam ex angustijs eum abduxis-
 ses, et in latum illud, quod adolescentis institutioni quasi
 pelagus patebat, adduxisses, tum sanè maximè delecta-
 bar, cum te secundissimo illo orationis cursu, plenis elo-
 quentia velis, ita omnes artes doctrinasq; percurren-
 tem viderè, ut cum nihil tibi tum aliud propositum esset,
 nisi ut earum artium sedes & loca, vbi ad tempus insi-
 stendum, atque ad maiora & ulteriora tendenti com-
 morandum esset, monstrares: ea tamen sic oratione il-
 lustras, sic artium singularum vires & virtutes expli-
 cas, ut propè monstrando in earum iam possessionem mit-
 tere adolescentem videaris, atq; eas recensenda tradere.
 Hac certè magna cum voluptate contemplantur. Sed
 quod

quod magis me delectabant, eò sanè avidius expectabā,
 quod tandem præclarum istum cursum, quem tanto ap-
 paratu inslituisti, dirigeres: quem tibi portum propo-
 neres. In qua expectacione statim se mihi in conspectū
 obtulit philosophiæ portus, quod te velis remisq; prope-
 rare, atq; illic paulò pòst alumnum tuū relinquere vi-
 debam. Præclarus ille quidem, & omnibus alijs portus
 præferendus, si antiquis illis Aristotelis & Platonis tem-
 poribus, vel etiã si recentioribus M. T. Ciceronis, hic
 cursus abs te institutus fuisset, aut si ij gubernatores a-
 dolescenti tuo contigissent: nec enim illi profectò aliū
 elegissent, nec facile tum alius tutior vel cōmodior re-
 periri potuit. Sed cū his felicibus temporibus cursum
 institueris tuum, quib. ut multi terrarum noui tractus,
 insuleq; & portus antiquitati incogniti, inuenti sunt:
 pluribus eorum qui antiquitus celebres erant, vel mari
 obrutis, vel vetustate consumptis: sic etiam animorum
 portus multo tutior & tranquillior, Deo ipso, & eo-
 dem Dei filio duce & inuentore nobis apertus sit, quem
 antiqui ignorabant. Cumq; Sadoletus ipse, qui in hoc
 cursu gubernatoris locum obtinet, etsi appulsus quidē
 ad antiquorum portū, tamen præteruectus sit, nec diu-
 tius ibi commoratus, quàm ut necessaria sibi inde sum-
 ret ad reliquum cursum perficiendum: in hunc tandem,
 qui à Deo filio monstratus sit se receperit, vbi nūc sum-
 ma cum animi tranquillitate & securitate viuit: quid
 est cur non Paulus tuus meritò tecum conqueratur, si
 in alieno & infido iā portu eum relinquant, cū te ipsum
 in optimo & tutissimo collocaris? Ego certè illius ver-

bis tecum exposulare non dubitabo, si iuuenem omni-
 bus vel natura dotibus, vel doctrina praesidijs tua ope-
 ra instructissimum, & planè talem qualem tu parentiū
 votis expetendum proponis, fluctuantem iam in philo-
 sophia portu reliqueris: qua ne portus quidem iam no-
 mine digna sit: sed vt de Tenedo dixit Poeta, Nunc tan-
 tum sinus, & statio male fida carinis. Atqui non nobis
 tantus iste in eo educando apparatus, nec praecleara ista
 tua institutio, talem nobis promisit, qui praeccepta tan-
 dem viuendi à philosophis peteret, aut qui animi secu-
 ritatis causa in illorum portum confugere necesse ha-
 beret: sed qui vel principibus ipsis philosophorum, si
 iam reuiuiscerent, nouum et praestantius viuendi genus
 ostenderet, quo illi nunquam aspirare potuerunt. Sapi-
 entiam autem & animi tranquillitatem longè aliam,
 & aliunde quàm à philosophia praecceptis petendam,
 tantò praestantiorẽ & diuturniorẽ ea quam philo-
 sophia promitteret, quantò humanis praestabilia di-
 uina sunt. Quare age mi Sadolets, noli promisso tuo, in
 tali iuuenẽ instituendo satisfactũ putare, si eum ad phi-
 losophia limites perduxeris, aut etiã si philosophiam
 ipsam integram tradideris. Soluas inde oportet, neque
 unquam defatigere, donec in sacrum eundem portum,
 in quo tu ipse summa cũ animi tranquillitate viuis, il-
 lum perduxeris. Nec enim conuenit tam praestanti edu-
 cationi, & illi quem omnium opinione, heredem virtutis
 & sapientiae tuae es relicturus, in alio quàm quo i-
 pse tabernaculum vitae posueris, portu conuiescere.
 Hac ad te verbosius scripsi, vel tuo imperio obsequi-

tus, qui me etiam de illo tuo libro, quem satis admirari non poteram, quid sentirem ad te scribere voluisti, vel meo in sacras istas Musas amori satisfaciens. Quas abs te illaudatas & tacitas præteriri, cum reliquas omnes artes & disciplinas dignis præconijs ornaris, vix equo animo spectabam. Vel etiã quoddam Langæo nostro, cuius liberis instituendis iste abs te labor præcipuè sumptus sit, hoc imprimis gratum fore non dubitabã, si quod in philosophia & reliquis artibus facis, vt singularum laudes attingendo, ad earum studiũ adolescentum animos erigas, idem in Theologia facere non neglexeris: in qua reliquæ omnes, vt in oceano flumina, se immergere solent, & debent. Et certè conuenit, vt quæ te ipsum maximè ornat, & indies magis magisq; ornatura est, cū de ijs disciplinis sermo sit, quarum cognitio humanos animos colit & perficit: eius laudem haud quaquam silentio inuoluas: præsertim cū ad Langæum scribas, quem scio, quoties è negotiorum fluctibus, quibus in aula versantem iactari necesse est, emergere licet, in nullo libentius, quàm in Theologia portu conquiescere. Sed tu meæ loquacitati ignosces, qui cū sanctè adiurare possim, me his quatuor annis non tantum quidem Latine legisse, quantum nunc ad te scripsi, Theologorum libris auocatum, quos tamen in genere Latinorum scriptorum non pono: in hanc insolitam Latine scribendi loquacitatem erupi. Sed vt loquendi tecū, sic etiã scribendi ad te, quo cū absente quasi loqui videor, dulcedo quadam me longius vltra epistolæ fines prouexit. Cui tu p̄ tua humanitate ignoscas oportet. Nunc ad tua m̄
data

venio. In quo eo breuior ero, quo pauciora mihi scribē
 da reliquerunt eorum litera, ad quos mihi maudata
 & literas dedisti: quas iam spero ad tuas rescriptas te
 habere. Oēs enim receperunt, post paucos dies quib. id
 cōmode facere possent, se tuae voluntati esse satisfactu-
 ros. Bebi verò literas cum his ad te mitto: quē cum Ve-
 netijs salutarem, ei q̄ tuas literas vna cum libro darem,
 quantopere delectaretur de te, & de tuis studijs audi-
 re, pro vestra coniunctissima necessitudine, facilius est
 tibi existimare, quā mihi scribere. Veronensi verò Pon-
 tifici, quē Verona salutavi, etiā tuas literas tradi: qui
 me vnum diē apud se detinuit, cū nullus penē nobis ser-
 mo esset, nisi de te, & de tuis studijs: cū saepe se valdē
 dolere ostenderet, suauissima cōsuetudine tua, propter
 locorum interuallum, quo disiuncti estis, se priuari. La-
 zarum tuum Patavij offendi, cui etiam tuas literas tra-
 didi, cū ad me salutatū humanissimē venisset. Omnes
 vero tibi de ista animi tranquillitate & ocio gratulan-
 tur: ex quibus tam præclaros fœtus oriri, et prodire in
 vtilitatem publicam vident. Quae vt tibi perpetua sint
 optant. Ego q̄ imprimis, qui non minus præclaros sciā
 te iam parturire, his quia te iā sunt in lucem editi, hoc
 idem optare non desinam, partum q̄, fœlicissimum opta-
 ri. Vale. Venetijs, IIII. Calend. Nouembris.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Reginaldo Polo. S. P. D.

[Llum primum cœpi ex literis tuis fructū, quod cogno-
 ui ex his manu tua scriptis, te valetudine bona iā vti:
 de qua fueram mehercule aliquot antea diebus nō pa-
 rum

rum sollicitus cum Thomas tuus ad me Auenione scripsisset, te in eum morbum quo hic laborabas, Venetijs de-
 nuo incidisse: nunc tua mihi peroptata litera omnem
 mihi huiusmodi de te metum & sollicitudinem meam
 penitus absterferunt. Cōfido enim (quæ tua tēperantia
 est) hunc nuncium valetudinis tuæ, & lætitiā quam
 nos ex eo capimus, diuturnam nobis fore. Alter aut fru-
 ctus ex tuis literis non tam fortasse necessarius, quā
 hic de quo dixi, sed certè ad voluptatem animi aliquan-
 to vberior: quod quantum tu me ames, & quā de me
 honorificè sentias, ex eisdem planè literis perspexi.
 Etiam mehercule cuiusmodi tu sis, quā doctus, quā
 humanus, quā elegans, quā dignus qui ab omnibus
 his ameris atq; colaris, qui virtutem, & comitatem, et
 optimum sibi morem esse colendum putent. Sed quæ tu
 ad me de me ipso scribis, in quib. iudicium tuum est de
 me cum singulari benevolentia coniunctū: omnia sunt
 eiusmodi, vt cuius intuenti facile appareat, amantissimū
 la esse hominis magis, quā iudicatis. Et si enim tu hac
 ingenij quoque & sapientiæ laude mirificè ornatus es
 vt possis commodè iudicare de altero: tamen id quoque
 tibi esse impedimento, quod plurimis officit, vt amore
 inductus, amici bona carius aestimes, quā quanti illa
 sunt, minimè mirandum est: præsertim cum natura hu-
 manitatem habeas ingenio & prudentiā non inferiorē.
 Mihi quidem, cum ea quæ mihi tribuis, non conti-
 nuè agnoscenda esse videantur, libenter illa refero &
 conuerto ad amorem: quod sanè dum charus tibi iucun-
 dusq; sim, satis tuo iudicio me ornatum esse puto.

enim mediocris est opera, neque virtutis, tali viro qualis es tu, tantopere placere. De te verò, mi doctissime atque humanissime Pole, si ea dixero quæ sentio, nūquid tu illa certo iudicio, ac benevolentia in te mea es ascripturus? Vtinam quidem possem verbis omnia complecti, quæ mihi de te in animo insita, penitusque affixæ sunt: non vererer nimium amantis suspicionem. Sed si hoc non queo, quod meos eloquendi, exprimendiq; conatus, tuorum ornamentoꝝ copia obruit: illud quidē dicam quod in promptu est: vsq; eò me aspectu, sermone, sanctissimis tuis illis, & modestissimis moribus, fuisse captum: vt nunquam postea mihi ex animo nostri illius congressus memoria exciderit. Quanquam enim perspiciendū tui penitus, ac fruendū exigua mihi potestas fuit facta, propter subitum à nobis discessum tuū, qui mihi mæroris non minus reliquit, quam tuus lætitiæ aduentus attulerat: tamen vita cursum tua mecum ipse considerans, & summorum hominum testimonia, quæ tibi sæpe egregia apud me ab illis data sunt, cogitatione mea repetens, quibus præsertim testimonijs breuis illa mecum congressio tua apprime fidem fecisset: talem te in animo gerere cœpi, qualis profectò tu es. Neque aliter statuere potueram, quàm eum, qui & nobilitate domi, & fortuna amplissimus, cognatos, familiaris, patriamq; reliquisset: & cum flagraret studio atq; amore artium optimarum, ex vltimis orbis terrarum regionibus illarum adipiscendarū causa in Italiã se contulisset: ibiq; annos complures commoratus, ita se dedisset familiaritatibus amicitijsq; doctissimorum

ac praestantissimorum hominum, ut illorum omnium iudicio imprimis dignus ipse haberetur, quem & propter fidem atque integritatem vitae venerarentur omnes, & propter ingenium doctrinamque, coleret: hunc ego (inquam) existimare alium non poteram, quam summum et singularem virum: hominemque eiusmodi, cui nos ista qui pendimus et iudicare aliquid possumus, non benevolentiam modo, aut honorem tacitum, sed omnia cultus et officij aperta & perspicua studia deberemus. Accesserunt literae tuae praeclearae testes ornamentorum tuorum, atque amoris summi erga me tui: quae me totum tibi addixerunt. Quam ille humaniter scriptae? quam eleganter? quam argute: nihil ut ingenij luminibus his quae in eis plurima elucet, nihil ut praecleara effigie pietatis tuae, ac religionis erga summum Deum, quae in illis expressa est, fieri possit illustrius. Et tamen tuis cum sis, qui alicuius domum ingressus, intro tecum feras laetitiam hospiti tuo, atque honorem: agis mihi per literas gratias quod te domi mea libenter acceperim. Quasi non maximo mihi ornamento fuerit aduentus tuus, et voluptati sermo atque congressus. Aut tu plus ex me, quam ego ex te, & ex sermonibus tuis, adeptus fueris & suavitatis, & commodi. Ast ego tuum illud consilium fidele & sapiens nunquam est memoria depono: cum tu mihi dubitanti, quodnam genus potissimum sequi studiorum deberem, & quorum auctoritati atque opinionibus assentiri: quod erant, qui alia mihi studia quaedam, et diuersas scribendi rationes proponerent: fidenter & prompte consulisti, ut ea praecipue sectarer studia, quorum fructus

in hac

in hac vita non solū, sed in omni aeternitate integra manere possent. Quo ego responso maximè adductus sum, ut me literis sacris totum dedendum putarem, ad quas etiam quidem sponte mea propensior. Simulq; integritatem, & virtutem, & religionem tuam admiratus sum. Qui cum inter eos homines diu versatus esses, quibus hac studia minus probantur: atq; eis artibus ipse instructus, quorū videtur lepos, eruditio, elegantia, ab his rudioribus (ut existimatur) studijs abhorreere: bonitate tamen naturæ, & ingenij vi, ac ceteris, anteposenda studia duceres: quæ non præsentem modo suauitatē sed multò magis rationem perpetuæ vtilitatis habeāt. Sed quid ago? maioris ista sunt opera & temporis longioris quàm ut vna epistola comprehendere possint. Veniamus ad literas. In quibus quod scribis, librum meum in via tibi pro vehiculo fuisse, valde mediūfidius id laetor: quodq; eum probas ac laudas, mihi vehementer gratum (quid enim dissimulare est opus) Sed illud gratius tamen est, quod ex illo te intelligo memoriam & cogitationem mei crebrius aliquantò & diligentius vsurpasse: quo nihil mihi quidem accidere potest optatius. Mandata mea, quæ abeunti tibi dederam, diligenter te confecisse, neque miror, (nouum enim fidem & integritatem tuam) & te de ea re plurimum deamo. Accepiam quidem à Bēbo meo literas, cum vberes ad ea quæ ab eo requirebam, imprimisq; & elegantes & eruditissimas: tum omnibus refertas officij ac beneuolentiæ signis. Expostulationem tuam qua vteris mecum, quod locum Theologiæ in enumeratione earum artium, qui

bus recta institutio adolescentia continetur, nullum de
 derim, sed in philosophia totum hominem constituerim: sic
 accipio mi Pole, ut in omnibus tuis dictis atque factis, tua
 animi virtus, & deo dedita voluntas vehementer mihi
 probetur. Sed ego primum nominatim de Theologia ri-
 bil dixi, quod ea in philosophia nomine continetur. Est
 enim Theologia (ut ipse nosti) apex quodammodo phi-
 losophiae, & fastigium. Cuius tanquam magni cuiusdam
 corporis, cum plura membra sint, ut ab Aristotele est
 perspicue demonstratum: illa quae de Deo pars, & de
 principe causa pertractat, sola prope digna est qua
 philosophiae nomine censeatur. Quae etsi aliter ferè
 tractata à nostris est, ac veteribus fuit: eam tamen phi-
 losophiam nunc appellari video à doctissimis & san-
 ctissimis viris, Chrysoleto, Basilio, ceterisque. Deinde
 cum adolescentem sic instituum, ut eum dumtaxat dedis-
 cam ad annum etatis quintum supra vigesimum, post
 id autem suo eum arbitrio permittam: non visum mihi
 fuit convenire, accuratius ad aetatem illam de Theolo-
 gia verba facere: cum haec ars una atque scientia senectu-
 ti maxime & sedatioribus annis apta sit. Et si prae-
 cepta suscipienda religionis necessaria etiam iuventa
 sunt, quemadmodum utique sunt: satis illa à me in eo
 libro, quatenus quidem ad adolescentiam pertinet, sunt
 tradita. Postremo, cum in Hortensio distinctius de phi-
 losophia acturus sim, eamque in suas partes omnes di-
 stributurus, veluti de qua proprius ibi sermo habendus
 est: non duxi eius dialogi ornamentum, quod in lauda-
 tione Theologiae vel praecipuum futurum est, in hoc
 primo

prius libro delibari conuenire: cum id iucundius tum futurum sit, si ad hominum aures nouum atq; integrum accedat. Habes rationem eius pretermissionis meae, quam tibi cupio probatam esse. Certè enim ego quod iudicari esse congruentius, id secutus sum. Et nunc quidè perdifficilis foret cõmutatio. Plura enim mihi inuertenda in eo libro, vel totus potius liber alio ordine pertextendus esset. Verùm de his satis. Te amari à me mirificè, et coli, valde tibi persuasum esse volo: neq; me magis appetere quicquam, quam ut mea erga te voluntati tua mutuo voluntas in me amando respondeat. Vale. III. Nonas Decembris M. D. XXXII. Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Reginaldo Polo S. P. D.

Serius respondi tuis literis, quam volebam: quod accidit partim imbecillitate valetudinis, quae etsi grauius me nõ oppressit, fuit tamen mihi adscribendū impedimento: (destillationibus enim molestis diu sum tentatus) partim quòd itineribus necessarijs aliquantum tempus consumpsi. Vt verò primùm oportunitas scribendi data est, nihil habui antiquius, quam literis tuis respondere: praesertim tam modeste, & tã eleganter scriptis. Summus enim tuus in illis pudor, & summa ingenuitas apparet. Sed quod tu multis verbis in illis disputas, existimare te, eas laudes quas tibi tribuerim, vel ab amore profectas esse, quo meum iudicium fallatur: vel si aliquid in eis iudicio sit dandum, id eò intentum esse, ut non quia eiusmodi sis, sed ut talis fias, quo laudes illae te dignae esse videantur: iccirco illam à me

prædicationem virtutis tuæ dicas esse susceptam. Facis
 hoc tu quidem quemadmodum cætera soles, ut omnib.
 in rebus quascunq; agis, aut loqueris, mos tuus rectus
 et liberalis eluceat. Sed ego facîle me ab omni illiusmo-
 di disputatione euoluo. Fateor enim planè, quacunq; di-
 xerim de te, omnia fuisse amoris: sed qui amor à vero
 & integro iudicio profectus fuerit. Non enim quia te
 amavi, talem te esse existimaui: sed quia talis mihi es
 cognitus, iccirco amor ille à me susceptus fuit. Atq; vi-
 nã mi Pole, tã facîle mihi esset omnia explicare verbis,
 qua ego de te sentio, q̃ facîle est ea qua dixerim præsta-
 re. Verũ hac hæctenus: non enim postulat mutua nostra
 benevolentia huius generis longam orationẽ. Illud mi-
 hi iucundissimũ ex tuis literis accidit, quod cognoui ti-
 bi esse perspectum, te à me amari: quod quidem facere
 mihi necesse est, aut omnis penitus abijcienda est huma-
 nitas. Quod enim tantũ in amãdo esse potest animi stu-
 diũ, vt nõ id virtus atq; amabilitas tua longè superet?
 tuũ quidẽ animum aduersus me, & beneuolam plenã
 fidei et constãtia voluntatẽ, ita contingãt mihi ea qua
 volo, vt omnium rerum habeo carissimã. Quare nil re-
 stat, nisi vt paribus vtrinq; officijs amicitiam excola-
 mus, quod ego & de me, & de te equè polliceri possum.
 De iniuria quã à me videri vis Theologia fuisse factã,
 satis me tibi esse purgatum arbitrabar. Verũ quoniã
 instas denuò, & vrges, dabo operam, vt tuum ad arbi-
 trium per me illi satisfiat. Tu modò, quod bonorum est
 & prudentium iudicium, ita tabellam suspendito, vt
 in re non liquida nullum innocentia præiudicium asse-
 ratur.

ratur. A Thoma tuo accepi literas, homine tua familiaritate dignissimo, & eis studijs in quibus quotidie versatur. Ei tu multam meis verbis salutem: itemq; ceteris, quos nobis amicos esse scis. Paulus febris laboravit plusculos hos iam dies: ei tamē melius esse incipit. Itaque spe bona de illius salute sumus. Is si valuisset, non defuisset officio scribēdi ad te, tui certē memoriam (vt debet) summa cū fide benevolentiaq; cōseruat Vale m̄ Pole. Carpent. Pridie Idus Iulij M. D. XXXIII, IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Reginaldo Polo. S. P. D.

Accepi tuas plenas officij & humanitatis literas, omnemq; in illis probi ac præstantis ingenij tui, & pristini erga me amoris imaginem penitus recognoui. Quorum vtrunque quanti faciam, nihil atinet nūc me scribere. Vtroque quidem certē ita delector, vt nihil mihi accidere possit optatius, quam me abs te tali viro diligi. Sed quæ à te de prætermissione officij, scripta sunt, quodq; in eo videris vereri, ne aliqua abs te culpa suscepta fuerit, amabo te mi Pole, sint ea ex mutua nostra beneuolētia penitus sublata. Non enim recipit amicitia nostra suspiciones huiusmodi: nec tu peccare prætermittendo officio potes, nec ego animum tuum aliter atq; est interpretari. Quem cum officiosissimum & amantissimum mei esse cognoscam, non ex euentis tua mihi voluntas, sed ipsa per se & sua sponte spectata est. Equidem desideravi nonnunquam tuas literas: neq; id me hercule iniuria: quid enim est illis quod me delectet magis? Verum ita desideravi, vt ego illa

*me voluptate carere molestè ferrem : non ut te officia
 aut amicitia deesse arbitrarer. Cui tamen mea aliquã
 do intermissa voluptati sentio nunc à te cumulatè sa-
 tis factum esse. Caue enim putes, quicquam mihi acci-
 dere potuisse tuis literis dulcius. Quæ cum tota vni-
 que, tum illa me ex parte præcipuè delectarunt, qua tu
 Socraticè nimirū et vrbane excusationem tibi nõ scri-
 bendi ab orationis inopia & exilitate repetebas: qui
 totus elegantis ironia locus, & vultum mihi & animū
 suauissima hilaritate aspersit. Obsecro istòsne tu riuu-
 los squallentes & aridos, aut tenui aquula interdū flu-
 ente is vocas? qui mihi ita currere visi sunt abundanter
 & largiter, ut appareat, non tenuem, sed vberimum
 & eundem perennem fontem illa fundere. Quanquam
 hoc quidem de te mihi iam dudū persuasum habui: te,
 quæ concupiuiisses, omnia effecturum esse. Notum mihi
 erat ingenium tuum, nota virtus. Ardor autem ille, qui
 animis præstantibus ad appetendas res magnas comes
 adesse solet, nihil mihi non de te vel maximum pollice-
 batur. Speravi itaque fore, nec sum deceptus, ut tu ad
 istam ipsam, in qua nunc insistis, doctrinæ & eloquen-
 tiæ coniunctam laudem peruenires. Quapropter &
 gaudeo pro amicitia, & tibi gratulor. Illud aliquantū
 ægre fero, quod videre quasi videor, hæc à te ipso orna-
 menta cõtemni: quæ meo quidem iudicio tãta sunt, ut
 sine his constare ne illa quidem rectè queant, quæ tu o-
 mnibus anteferenda: iure optimo putas. Quo de genere
 quoniam bis iam à te sum lacepsitus, tẽpus non alienum
 vide*

videtur meam tibi sententiam breuiter exponendi. Sa-
 cratum rerum studium, & disciplinam tibi placet reb.
 ceteris anteponi. Quod ego quoque tecum vna confi-
 teor. Cur ego in artibus reliquis, & maximè in philo-
 sophia, tempus conterimus? Quia nequimus ad fastigi-
 um sine fundamento, & sine parietib. peruenire. Quid?
 ista quandiu curanda nobis sunt, vt nõ in vno illo ipso,
 quod optimum est, omnia nostra studia ponamus? Ad
 quod dicendũ est, esse boni patrisfamilias totius domus
 tutelam et procurationem, nõn vnius duntaxat partis
 gerere: verũm ita totius, vt potissima quæq; in ea dili-
 gentius curentur partes. Et quoniam de domo & de æ-
 dificatione mentionem fecimus: quis non videat, Theo-
 logiam, quatenus inscientia ratione & genere repona-
 tur, sine philosophia stare ipsam per se, & se sustinere
 non posse? vtrang; verò minùs aptè munus tueri suum,
 si à copia et facultate dicendi deseratur? At enim mun-
 dana ista sunt, & celebritatem ex hominib. querunt,
 vulgiq; rumusculos & laudatiunculas aucupantur. Sũt
 anim nõnulli vsq; aded rudes, vt hoc quoq; studiosis bo-
 narum artium hominibus conentur obycere. Quasi ve-
 rò merces externa ingenuos moueat animos, parumq;
 in eo fructus voluptatisq; sit, cum quis quid facit, vt id
 aptè ac venustè, & sine labe vlla maculaq; efficiat. Nã
 laus quidem aduentitia res est, & in aliorum potesta-
 te sita: ad quã qui primò & præcipuè contendunt, ij nõ
 verè, neq; ex animo bonis artibus, sed per simulationem
 dant operam. Omnis autem ingenij & virtutis actio
 pramium ipsa sibi in se continet, si ad perfectã speciem
 sui

sui quæq; generis perducatur: ipsaq; rerum gerendarum pulchritudine contenti simus. Quod si decor ab oratione remouendus sit, cur non idem etiam à moribus? non ijs dico quibus inest virtus, quæ ipsa quoq; non alio fructu & emolumento, quam suo decore spectanda est: sed de eis loquor moribus, qui in gestu & omni motu corporis, ipsaq; vocis atq; vultus conformatione liberali, bene institutos homines ab agrestibus discernunt. An est quisquam qui reprehendere iure queat, quod seruus coram domino suo non modo fidelis atq; frugi, verum etiam sine sordē, cultu honestiore corporis studeat apparere? At iam ista ad summi boni adeptionem minus necessaria sunt. Ne sint: adiuuant certè, hocq; saepe efficiunt, vt multi ad illud expetendum procedant comitatores. Et sanè videndum est, si circuncidamus amputemusq; cetera, & tantum quod summè est necessarium relinquamus: ne dum diuini volumus planè fieri, humanitatis partem nullam teneamus. Sit modò nobis hoc fixum, quod utiq; esse debet, vt omnia, in nobis si qua meliora sunt, accepta Deo penitus referamus: eaq; ad eiusdem vnius gloriam cōferamus. Hoc animo qui fuerint, cum in ijs quas suscipiēt actionibus, rebusq; quas gerēt, summam sibi dignitatem operis proponēt, summamq; pulchritudinem, inq; eam amore & studio incitati ferentur: tum non erit in his talibus peritimescendum, qd inani laudis cupiditate deducti, à summo bono deficiāt. Itaq; ego et liberalibus artibus, quo ad in illis nos, quantum proficiamus, non pœnitet, & imprimis philosophiæ operam dādā puto, sine qua (vt dixi) nec Theologia

logia quidem constat. In qua quodd scribis te ita tēpus omne consumere, vt ad ceteras artes atq; sciētias nihil spatij tibi ne respiciendas quidem relinquatur, non satis planè intelligo quid dicas. Patieris autem me pro nostra familiaritate, & mea ac tuæ naturæ ingenuitate liberè agere tecum. Non intelligo, inquam, quid hoc tantum tuum sibi velit studium. Nam si ea tantum nobis percipienda sunt, quæ ad credulitatem nostram, & fidem faciendam de Dei clementia & benignitate erga nos pertinent: ea sunt nobis, nec multis, nec obscuris, sed claris & illustribus literis sat compendiosè tradita. Liber enim Euangeliorum omnem viam & rationem nostræ salutis continet. Si verò explicanda illa vberius sunt, & enucleatius tractanda: an te plus in eo tibi ab infinitis voluminibus istorum, qui at at nostræ propinquiores, omnia referferunt incōditis libris, & litigiosè scriptis, quàm à Paulo, & lege veteri, & à prophetis opis latū iri existimas? Pauci libri sunt, (nisi forte me fallit) in hoc à nobis genere perdiscendi: sed quos magna cum cura & attentione animi legere debeamus, si ad diuinarum rerum cognitionē cupimus aspirare: qui non modò spatium locumq; dant lectitandis aliarū artium ingenuarum autoribus: sed ab ijs ipsi liberalibus studijs non exigua accipiunt suæ utilitatis & dignitatis adiumenta. Nisi forte existimamus, summos illos viros, qui primi hæc Christiana literis illustrarunt, sine comitatu optimarum artium tantos progressus in diuini facere potuisse. Quo in numero Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymū fuisse cognouimus.

Sed

Sed de his satis, vel fortasse nimis multa. Lazarū meū, tuum contubernalem factum esse, morior, nisi mihi per gratum est. Quanquam enim corpore à vobis absum, animo tamen vobiscum excubo: vt videar mihi interdū quasiunculas vobiscum vnà, & familiares sermones texere. Eum porro ego ad philosophi studia animandū nunq̄ censui: quippe quorum ipse studio & amore imprimis teneatur. De Theologia quidem tibi assentior, nunquā illum ad summū peruectum iri, nisi ad reliquas facultates & disciplinas, quas multas magnaq̄ possidet, hanc quoque primariae artis, nobilissimaq̄ scientia cognitionem adiunxerit. Cuius ego tibi in Hortensio at texam laudationem, vtiq̄, quoad patietur ratio operis, in quo ego nunc me assidue vehementerq̄, exerceo: speroq̄, propediem copiam me vobis facturum, qui me as ineptias irridere possitis. Io. Petri Carasæ Theatis episcopi, doctrinam sanctitatem, virtutem, notam habeo iam diu, eamq̄ in oculis fero. Gasparum Contarenum amo coloq̄, nec de facie mihi cognitum: sed de animi virtute, & de eximia eruditionis fama. Tu mihi gratissimum feceris, si vtriq̄ salutem meis verbis plurimam dixeris. Contareno hoc amplius dictum mihi fuisse hoc anno, cum essem Masilia, librum confectum ab eo, in quo de optimo ciuitatis statu grauius docteq̄, disferatur: eum librum cupere vehementer me legere. Quod Superantius, homo ingenio & nobilitate praestans, cum discederemus Masilia, pollicitus fuit mihi se curaturum, ut exemplum ad me primo quoq̄, tempore mitteretur: eum ego eblitum arbitror. Tu qui autorita

te & gratia plurimum polles, si effeceris hoc mihi, vt quod sine onere aliquo tuo & sine incōmodo fiat, cupiditati in hac re mos geratur mea, magna me iucunditate mediūfidius affeceris. Quod vt cōtendas & enitare, magnopere à te peto. Vale. IX. Calend. Decemb. 1534.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Iacobo Simonete episc. Pisauri S. P. D.

Emper cognoui singularem in te prudentiam. Amorem verò erga me plurib. iam rebus etiam expertus sum. Sed crede mihi, posteriores litera tua vtriusq; rei certissimum testimonium mihi attulerunt. Nam & cō beneuolentia consilium, & in consilio beneuolentiam erga me tuam omnem ostendēre. Itaq; ego, homo minime timidus, qui ea quae scripseram, curauerā etiam vt viderent isti ipsi quos contrā videbantur esse scripta, vt eorum iniquissimi in miserorum fortunas impetus magis refringerentur, cū me non periculi mei cogitatio, sed officium & pietas imprimis mouerent. Vt primum literas tuas legi, statui esse nefas, non parere sapientissimi atq; amicissimi hominis auctoritati: vetusq; stultici proœmium, atq; omne argumentum alia quadam ratione explicauit. Quod ipsum, librumq; totū vnā inscripsi, atq; mihi homini summa virtute ac omni dignitate ornatissimo Federico Fregosio Archiepiscopo Salerni, quocum magnus mihi vsus, & omnium officiorū summa necessitudo intercedit, qui nunc in Italiā proficiscēs, Venetys imprimendū curaturus est. Quod si mihi librariorum copia fuisset, libenter tibi illum antè legendū misissem, vsusq; essem tuo potissimū iudicio: cui
pluri

plurimum profecto tribuo. Sed in summa inopia: et difficultate eorū qui describerent, feci quod necesse fuit: statuiq; esse cōmodius ad plurimorum manus eum celeriter deuenire, quā ad vnius sero. Quāquam vnus tu mihi pro plurib. sis semper futurus. Sed ignoscas festinationi huic meae, multis enim de causis prope rauit ille liber quam primum in publicum exiret. Tu tamen sic eum legit vt si res in integro sit. Multa enim alia paro ac meditor, quibus accuratè perpēdendis atq; examinādis opportuna semper mihi futura est doctrina et admonitio tua. Sed hęc hactenus. De honore tuo quod ad me modestissimè atq; humanissimè scribis, scito me hunc ipsum honorē quo pręditus sum, multo grauiorē illustriorēq; putare, posteaquam tu ad eundam es vocatus. Facit enim tua eximia virtus, et pręstās in omni iustitię laude integritas, vt nullus honor tantus sit, quē tu dignitate personę tuę ornare amplificareq; non possis. Sed hęc quoque, quę longiorē desiderant orationem, in aliud tempus reijcienda sunt. Tu valebis, & nos diliges, tibiq; persuadebis, te à nobis verè fraterno animo amari & coli. Carp. XVI. Cal. Iunij, M. D. XXIX.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Hieronymo Nigro, S. P. D.

TVas literas accepi XV. Calen. Aprilis ex Vrbe datas: quibus mirificè sum delectatus, sunt enim totę rhetoricorum, nec solum disertè atque eleganter, sed ab eo etiam scriptę, cuius charissimam habeo erga me voluntatem. In quibus quę de vrbe & rerum vrbancrum statu ad me scribis, sunt illa quidem acerba & mi
sera,

sera, nec possunt non dolore animum tāta rerum commutationis misericordia commouere. Sed tamen debemus aliquando esse viri, & ea fortiter ferre, qua mutare minimè possumus. Quamobrem alia agamus, & qua magis ad nos pertinent. Est autē imprimis mihi Niger tibi gratulandum, quòd eum ex rectissimis studijs tuis asecutus es tuorum laborum et vigiliarum fructū, ut spe iam certa ad immortalitatem niti posses. Cuius diuino illo cupiditatis ardore qui semel correpti sunt, quid mirum, illis si deinde sordēt ista omnia quæ vulgò habentur amplissima? et ad aliud vitæ feruntur genus? Obscurum in populo illud quidem: sed cœlesti vitæ imprimis accommodatum. Quod ego summa cum voluptate animi possideo et colo. Neq; verò arbitror maius mihi munus à Deo immortalis potuisse tribui, quā hūc animi sensum vitæq; statum, in quo illa tantum procurans, quæ huius officij & muneris, quod sustineo, propria sunt: quod reliquum est temporis, in eis studijs delectationibusq; consumo, quæ dignæ sunt viro, qui quidem sit vir: hoc est, qui actionum cōsiliorumq; suorum non popularem iactationem & laudem, sed Deum veramq; sapientiam constituat sibi finem. Quocirca tibi facile credo affirmanti, appetere te eandem vitam, mecumq; esse cuperet. Noui enim omnes sensus animi tui cum propensos ad quietis studium, tum moderatione concordiaq; placatos, ut verè beatæ vitæ desiderium, ista in te ceterarum rerum non corrumpat cupiditas. Quod scribis autē quo minus ad nos, ut cōstitueras, accedere potueris, corporis morbum tibi prius, deinde iti-

nerum pericula fuisse impedimēto: sanè quàm moleste
fero. Sunt quidem omnia (vt scribis) vbiq₃ ita perturbata,
vt ignorares planè quo in loco potissimū consistē
dum sit. Sed si quod vsquam vestigium remanet etiam
nunc quietis & ocij, in his certè est locus, in quibus ho-
mines natura magis quā legibus ad sedatā & tranquil-
lam vitam accōmodati sunt. Vix audeo tibi exigua de-
ferre, cuiusmodi sunt mea. Sed tamē qualiacung₃ sunt,
parata tibi semper non minus volui esse, quàm mihi: vt
tibi habere hoc debeas persuasum, mansuram semper
apud me & fidem, & cōstantiam semel suscepta erga
te benevolentia. Ego hīc habeo cum Musis ratio^{em},
verūm diuiniorebus: iamq₃ commentariur^a scripsi in
Psalmum nonagesimum tertium: queⁿ cūm legeris, co-
gnosces, posse res sacras etiam, Latine, ornateq₃ per-
scribi. Non quod id à me p^{er}fectū sit: sed eius rei certè
simulacrum quoddam est à nobis & imitatio adombra-
ta. Hunc iā misi hōmini omni virtute et dignitate am-
plissimo, mihiq₃ vetere amicitia coniuncto. Federico
Fregosio Archiepiscopo Salerni: qui nunc in Italiam
proficiscens, librum Venetijs imprimendum est curatu-
rus ab Ausulano nostro, cui hanc me debere cōfiteor gra-
tiam, si modò hæc gratia, ac non onus potius & labor.
Nam ipsius Federici nomini liber dicatus est. In his ego
nunc versor cogitationibus. Līteras colo precipuè, ab
his cūm relaxo animū, refero me ad agricultura oble-
ctamenta. Habeo autem prædia quedam rustica, quæ
vestrum quemuis, qui estis vrbani, delectare etiam pos-
sent. In his suburbanos hortos, viriditate, ornatu, co-
pia

pia tā aquarū quā arborum lectissimarum imprimis
 nobiles. Hos ego inuiso frequens, capioq; hauſtus amœ
 nioris cœli. Hoc enim Sauonium eſt, ſic didici ex eius
 ſchola. Quare ex eo, narrabit tibi quo id pacto fieri o-
 porteat. Qui quoddam viuit, quoddam ſaluus eſt, quoddam ſicut cō
 ſuevit, Democritio more ridet & deſpicit omnia valde
 mihi hercule gratum eſt. Semper ille quidem amabi-
 lis. Sed nunc etiam magis, quod ex magna amicorū &
 iucundorum hominum turba nobis eſt penē ſolus reli-
 ctus. Tu illi multam à me ſalutem: itemq; cæteris, qui
 ex illa vetere noſtra iucundiſſima ſodalitate ſunt reli-
 qui. Tu vale, Niger, et nos dilige. Paulus mihi et in mo-
 ribus, et in literis apprimè ſatiſfacit. In quib. tantos iā
 habet ꝓceſſus, vt mihi ipſi magiſtro ſæpe fiat monitor,
 πολλοι μαθηταί κρείττονες διδασκάλωv:
 hoc in eo optimè quadrat. Ita conſido, magno eum &
 familie noſtræ, & amicis omnibus fore ornamento. Is
 tibi reddit ſalutem plurimam. Vale. Carpent. XVI. Ca-
 lend. Iunij, M. D. XXIX.

HIERONYMVS NIGER IACOBO

Sadoleto Episc. Carpent. S. P. D.

Satis non fuerat, me è naufragio illo emerſum, ad ꝓ-
 ſtrium littus adnataſſe, niſi ad ſpectādōs deſlagrata
 vr̄bis cineres rediſſem. Sed is eſt rerum ſtatus, atq; ea
 totius Italie calamitas, vt nullus ſit angulus, in quo nō
 aut hoſtes ſeuiāt, aut Tyrāni dominētur. Quare haud
 iniuria gratulandum tibi eſt, quoddam in tātis tēpeſtatib.
 ſis propè vnus in portu: fructusq; vitæ percipias eos,
 qui à ſapiētibus viris maximi, iucundiſſimiq; habētur.

Quem sanè portū & exoptauī ipse semper, et tu, quæ
 tua est benignitas, communem mihi esse voluisti. At ne
 scio quo pacto me ad istum aciem, cursumq; dirigentē,
 reflantes venti repulerūt. Quum enim recuperata va
 letudine ad te proficisci statuisē, cognoui, mare Ligu
 sticum hostili classe, Cisalpinam omnē Galliam Hispa
 norum praesidijs teneri. Omnesq; deniq; aditus ad eorū
 mis occupatos, interclusosq; esse, vt ne Dedalus quidē
 (quod aiūt Poeta) tutò istuc aduolare potuisset. Itaq;
 Romam veni ad V. Idus Febru. adductus potius patriæ
 tadio, quàm desiderio Urbis: Multa enim erāt illic, qua
 me molestia adficerēt, cū priuata, tum publica. Nā
 etsi nostrā illa regio & natale solum, loci natura, atq;
 humana ope munitissima est: omniq; seditione, & ciui
 li vacat discordia: ad hæc nihil desiderat, quod ad com
 moditatem victus, & ad vrbana vitæ splendorem
 pertineat: sustinet tamen diuturnum & grauissimum
 bellum, quod exinanito arario, vectigalibusq; diuen
 ditis, priuatis ciuium fortunis geritur: nec ordini qui
 dem nostro parcitur, nouo more, & ne quicquam re
 clamante Pontifice Maximo. Quod sanè incommodū
 nota tibi exilitas mei sensus ferre non poterat: præser
 tim quum rata non fuerint beneficia, quæ Pōtifex Ma
 ximus in me olim te fautore contulisset. Quamobrem
 diuertere huc, eo scilicet animo atq; consilio, vt cum pri
 mū per tumultus bellicos istuc liceat proficisci, vt at
 liberalitate tua: tecumq; fruor isto ocio, nisi tu fortè de
 repetenda vrbe cogites. Quod quidem consilium nec
 mihi facile probatur, nec opinor pro tua prudentia ti
 bi

hi probatum iri. Quis est enim tam ignarus rerum aesti-
 mator, tam leuis, qui cum quieti & honesto otio florē-
 tem urbem & amplissimum locum posthabuerit, mox
 eversa urbi rebusq; perditis, otium cum dignitate
 posthabeat? Nolo tibi ea commemorare, quae vulgi ani-
 mum mouent, amisisse nos hominum frequentiam, splē-
 dorem, patentem omnibus fortuna campum: quibus om-
 nibus (vt tute sapientissimē ad me scribis) vilius est ca-
 rere, quā abundare. Illud vnum quod permagni ipse
 semper aestimasti, non praeferibo: amisisse nos erudito-
 rum virorum iucundissimam consuetudinē: qua sic ca-
 remus, vt vix vnum aut alterum inuenerim, qui cū La-
 tinē in Latio loqui possem. Omnes enim serē aut nau-
 fragio illo perierunt, aut tempestate compulsi sunt in
 longinquas oras, mētionemq; ipsam urbis haud imme-
 rito reformidant. Superest tamen ex sodalibus nostris
 Sauoinorū Princeps, illo eodem vultu, atq; animo, quo
 iam pridē fuit. Quem cum fortē offendissem in via hi-
 larem, & non minus curis dispoliatum, quā fortunis:
 continere risum non potui tanto in luctu & squalore
 ciuitatis. Vtinam, inquit, cū philosopho ambulassem.
 Hispanus miles tractauit me pessimē. Hæc habui, qua
 ad te confestim scriberem. Nam pueri tui mihi denun-
 tiarunt, proxima nocte certum hominem in prouinciā
 istam discessurū. Clemens Pontifex Max. è morbo tan-
 dem conualuit. Quotidie in ore habet diuinum consili-
 um tuum, de profectioe ad Casarē, & de pace publi-
 ca: quo quidem cōsilio si integris rebus vsus fuisset, non
 laboraremus. Cura vt valeas: et Paulo fratris filio meis

verbis plurimam dic salutem. Vale iterum, et me vt facis ama. Roma. XV. Cal. Aprilis, M. D. XXIX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Hieronymo Nigro S. P. D.

Non mediocriter delectauerunt me literæ tuæ Idibus Aprilis datæ, quas ego ad XI. Calend. Iunij accepi. Nam & amoris tui erga me, vñtatū illud quidē, sed tamen semper optatum, et mihi iucundum testimonium attulerunt: & multa vt scirem effecerunt, de quibus audire antea auebam. Imprimisq; de statu tuo, de quo quoddam animo pacato & parato ad amplectendum otium es, & tibi valde gratulor, & agnosco moderationem tuam: qui in illis fluctibus sic iactaris, vt fortuna quidem nunc cedas, vel obsecundes potius, quando in altum dudum prouectus es: idq; non tam iudicio tuo ab initio, quàm vi quadam & tempestate: veruntamen portum semper ex illis spectes, & tutam magis ac tenuem, quàm periculis copijsq; coniunctam sedem iam pridem expetas fortunarum tuarū: nihilq; tantopere cupias, quàm toto animo vacare studijs honestissimis. Quæ voluntas docto & libero homine digna, si semper laudi fuit optimis etiam tēporibus, quid cēses perditis? neq; ed dico, quoddam in qua nunc versaris, vitæ rationem esse improbandam putem: sed vt hanc illi multò anteponam, quatenus ea saluo officio possit suscipi. Sed vt libera virtutis deligere id quod est optinuu, ita occupatæ atque constrictæ consolari se spe bona. Quod tu cum facis, non paruum iam nunc obtines cum tranquillitatis partem, ad quam totus propensus es. A

Bembo meo acceperam literas paulò antè quā ad me
 essent allatae tuæ. In his de illo senatusconsulto, & de
 suscepto onere conscribendi res Venetorum gestas mul-
 ta mentio. Sed vt ipse rem arbitretur fore magni labo-
 ris, vt quæ delata inopinanti sit, neq; vnquam antea in
 illa meditatione curaq; versato: gaudeo factum esse iu-
 dicium sanè honorificū ipsius dignitatis eximiaq; virtu-
 tis. Nunquam enim profectò ciuitas illa aternam suo-
 rum monumentorum memoriam illi commēdasset, nisi
 summi viri ingenio, atq; eloquentia, suas quoq; laudes
 illustriores futuras iudicauisset. De Leonico malè fa-
 ctum. Optimū virum & doctissimum amisimus: quē e-
 go amabā meritò illius plurimum: neq; vnquā viderā
 hominem, nisi quòd virtus, eximia præsertim, nūquam
 non cuius nostrum conspecta est. Quamobrem dolea-
 mus nostra id quidem magis, quàm ipsius causa: qui, vt
 scribis ipse, ad certam & veram vitam immortalitate
 iam translatus est. Verùm nostro quoque dolori ea res
 fuerit solatio, quòd expressam habemus imaginē præ-
 stantissimi viri in eis libris, quos ipse et plureis & scri-
 ptos egregiè reliquit. Hi illum nobis reserent, neque
 eum lugeri patientur pro mortuo. Lazarum tradere
 Patauij optimarum artium doctrinam iuuentuti, nec
 sciri antea, & nunc cognosce letor. Dederam ego ad
 eum bis teruē literas, neq; vllum ab eo respōsum. Quod
 mirabar, & quidem vsque eò, vt de illo nescio quid ti-
 merem. Nunc video causam hanc aduersus me silentij,
 quòd cum discipulis illi plus satis colloquendum est.
 Equidem hominis eruditissimi, & mihi coniunctissimi,

omni honore & commodo plurimum letor: sed tamen me illi totum effluere ex animo, etiam molestè fero. Tu illi à me plurimam salutem. Quòd psalmum meū probas, gratum mihi. Ego perfectò Hortensio, in quo quidem nunc elaboro, si tamen vt perficiā magnitudo rei patietur, totū me daturus sum ad sacras literas. In quibus et animi nostri voluptas plenior multò est, et ceteris vtilitas paratior. Tu vt valeas, et nos perpetuò diligas, veteresq; nostros necessarios salutes meis verbis, si qui in vrbe Roma reliqui iā sunt, imprimis à te peto. Vale. Carpentoracli, III. Nonas Iunij, M. D. XXXI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Hieronymo Nigro S. P. D.

His diebus, cū minus commoda valetudine vterer, dedi negotium Paulo, vt scriberet ad te de eis rebus quarum & mea & tua intererat, te fieri certiore. Quod ab illo factum diligenter fuisse non dubito. Nūc noua re oblata, in qua tua opera mihi expetenda esset, statui has ad te rursus scribere: petereq; pro mutua nostra beneuolētia, vt quod imprimis cupio optoq; quod tamen ipsum nō ad meum illum priuatum cōmodum, sed ad officij nostri dūtaxat et muneris functionem pertinet: in eo assequendo & operam mihi tuam, & studium præbere velles. Res porrò ipsa sic se habet. Quo tempore veni mi Niger in hanc prouinciam, non vt peregrinaturus in ea, sed vt domicilium vita constitutus: hominū quidem horum virtutem, mansuetudinē, comitatem, probaui statim ex initio, amareq; occipere animumq; induxi, vt quod mihi necessariò per leges et
reli-

religionem faciendum esset, id etiam à me prolixè liberè terq; fieret. hoc est, vt his essem quā maximè studio beneuolentiāq; coniunctus. Sed inter multa quæ mihi erant voluptati et delectationi, illud vnum agro animo ferebam, quod nullam in his nationibus bonarum literarum cognitionem, nullum inesse studium optimarum artium videbam. Net verò id facillè ego pati poteram: vt cum à me mei ratio postularet officij, vt quacunque re possem, populis meis commodarem: earum adeo rerum, quæ ad bene ac beatè viuendum pertinerent, hanc vnā rem sic abire sinerem, in qua (vt mihi quidē videtur) vel beata præcipuè vita cōtinetur. Itaq; quoad potui, hortando, rogando, commonefaciendo, aliquos tandem induxi, vt suos cupiant liberos erudiri his literis, quas nos appellamus optimas. Nam antea nulli erat hic arti neq; scientiæ quicquam loci, nisi iuris ciuilibus peritia: quæ expetebatur ab omnibus, nō vt discerent homines viuere liberaliter, sed vt lucro & arcæ consulerent. Nunc videntur in animis aliquorum eiusmodi semina esse iacta, vt si sit doctoris copia & facultas, ingenuas illas artes & disciplinas, quas nos eo vehementius probare soliti sumus, quod animos illæ docent ac instituunt nō deseruire pecunijs, sed ab omni illiusmodi cupiditate, vel labe potius solutos esse, in honorem adduci posse confidamus. Quanquam rei euētus in nostra potestate non est: exemplum certè introducere, & ordiri principium aliquod, rebusq; bonis nec opera, nec studio, nec autoritate deesse, hominis est nō sibi vni, sed & patriæ, ciuibus, & communi cunctorum vti

litati seruientis: quam nos imprimis rationem vitæ vo-
 luntatemq; instituumus sequi. Est autē in ciuitate hac
 conuentus quidam monachorum, quorum rector maxi-
 mē cupiditate hac incensus est: Græcāsq; & Latinas li-
 teras cupit in familia sua propagari. Idemq; vniuersa
 prouincia Narbonensis præest reliquis ordinis sui con-
 uentibus: vt videatur huius præclari amoris stimulos
 in plures cœtus hominum esse disseminaturus. Sed (vt
 dixi) magister nobis deest & autor, & iuuenum quasi
 quidam moderator, huic idoneus muneri: quem si nan-
 cisceremur, spes foret, aspirante nostris conatib. Deo,
 aliqua hic quoq; excitatum iri ingenia, quæ ad nobiliss-
 simarum artium adipiscendā laudem egregiè apta exi-
 sterent. Hūc nos magistrum & doctorem à vobis qua-
 rimus. Habetis enim istic (vt ego arbitror) talium vi-
 rorum copiam. Sed eum esse huiusmodi oporteret, qui
 mediocribus rebus posset esse contentus. Nam ne nos
 quidem in optando admodum insanimus. Si Græcæ no-
 uerit probè literas, Latinas autem mediocriter: ita ta-
 men, vt vitia orationis promptè discernat: habeatq; do-
 cendi, & instituendi planam ac facilem rationem, po-
 terimus eo nos esse cōtenti. Merces sanè illi à nobis per-
 soluetur, aurei nummi quotannis sexaginta: victumq;
 & tectum commode vt habeat curabitur, ad eandem
 videlicet modestiam & mediocritatem. Nunc cum vi-
 deas mi Niger quanta hæc mihi cura res sit, & quàm
 sit recta & honesta ratio huius consilij mei: peto à te
 pro nostra summa coniunctione, vt curam et cogitatio-
 nem aliquā suscipias, quo huic rectissimo studio nostro
 sa-

satisfiat: aliquèq; nobis inuenire studeas, qui sustineat partes hac in re amoris et pietatis erga hosce populos nostra, meamq; optimam in meos voluntatem ipse re expleat. Quid si vnquam videro fieri, vt hi quos charitate nimirum Christiana in filiorū loco diligo, sectentur eas artes, quæ liberales sunt, auocantq; ab omni fordidâ & inquinatâ cupiditate habendi: nã ego illi (crede mihi) cuiuscunque opera hoc assequar, planè me obstructum, & in perpetuum obligatum esse profitebor: omniq; studio diligentiaq; curabo, vt suum is huiusmodi officium non malè à se positum sit iudicaturus. Hac eadem de re vt Lazarum nostrum appelles, cū eoq; accuratè colloquare, vehementer à te peto: mihiq; vt primo quoq; tempore rescribas. Vale mi Niger, et Bembo meo, summo viro, plurimam salutem verbis meis dic. Carpentoracti, IIII. Nonas Maij. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Hieronymo Nigro S. P. D.

LEgi literas tuas, ad Paulū quas misisti, in quibus amor tuus pristinus erga me se ostendit: nouus ille quidem mihi nunquam, sed tamen semper & optatus, & dulcis: quem & feci, & facio mi Niger plurimi. Salus ad me per te missa à veteribus amicis, mihi iucundissima fuit. Nec quicquam est omnium rerum quod libètius faciam quàm vsurpare crebro memoriam eorum, quos charissimè semper constantissimeq; dilexi, Esini, Colotij, Petrasanctæ, Thebaldæi, Blosij nostri, etiam Sauoia mirifici hominis, quem audeo magnis de Republica occupationibus impeditum, quotidie minus se
vobis

vobis fruendum præbere posse. te verò mi Niger amo
 vt debeo, abs teq³ peto, vt eos amicos à me resalutes,
 quos modò nominavi, & oēs præterea reliquos, quos
 antiquæ academiæ esse cognoueris. Contarenum patro
 num tuum non amo solùm, sed etiam veneror: & cum
 hoc ei tribuo, vt neminem illi in optimarum artium co
 gnitione præponam: tum verò Deum immortalem, di
 uosq³ omnes contestans, sic planè statuo, nec meliorem
 virum, nec sanctiorem hominem, nec amãtorem veri
 tatis, pietatis, synceritatis, reperiri quempiam posse.
 Itaq³ tanto & amore & cultu illum prosequor, quan
 tum tantarum & tam præstantium virtutum excellẽ
 tia postulat. Me ad concilium affuturum esse, si id habe
 bitur, dubitarè ne potes? Quãquam enim magno mihi
 ea res erit incommodo: tamen dare operam Deo, & il
 lius honori ac nomini deseruire, quãtum quidem in me
 erit, ita mihi constitutũ est, vt etiam si sit vita mihi in
 illo opere profundenda, mecùm præclarè iri actum pu
 tem. Tu vale, & nos ama, tibiq³ persuade, te vicissim à
 me singulariter amari. Ex hortis nostris suburbanis,
 IIII. Nonas Iunij, M. D. XXXVI.

HIERONYMVS NIGER IACOBO
 Sadoleto Episc. Carpent. S. P. D.

ET si pudet me post diuturnam cessationẽ nunc ad te
 scribere: tamen non dubito, quin pro tua in amore
 constantia, meæ (si qua fuit) negligentia benignus in
 terpres sis futurus. Præsertim cum nihil esset priuati
 quod scriberẽ: publica verò omnia copiosè ab alijs ad
 te perscribi non ignorarem. Nunc autem cum decreue
 rit

rim ex vrbe discedere: te, quem omnium cōsiliorū meo-
rum, non modò consciū, sed autorem etiā semper esse
volui, fas est profectionis meae causas, rationesq; co-
gnoscere. Nec vereor, ne non consiliū tibi probetur
meum: qui me semper non solum monitis, verum etiā
exemplo ad quietem & otium inuitaris: quiq; ex vete-
ri meo instituto intelligas, me non opum, aut honorum
cupiditate, sed officio ac beneuolentia ad urbem fuisse
reuocatum. Cui quidem officio ac studio cū iam satis
factum à me fuerit, viderer planè desipere, nisi quod
reliquum est atatis, mihi ipsi, hoc est meis studijs darē.
Quamobrem cōstitutum habeo ad Calēdas Maias Pa-
tauium proficisci, nactus opportunam occasionē, quòd
eodem tēpore Cornelius meus Brixianorum Pontifex
exire in prouinciā suā constituit. Erit autem otio-
lum illud meum, tui istius veri ac solidi otij simulacrū
quoddā: quòd tu in oris istis pacatissimis, omni vacuus
molestia, caelestem penè in terris vitam agis: mihi mul-
ta maximo futura impedimento sunt. Mitto rei fami-
liaris angustias, quā etsi contēpsi semper, tamen labo-
res mei atq; officia pauld æquiorē facere debuissent.
In quo mihi tēporum iniquitas est accusanda: ne quid
in eos grauius dicam, qui ea se ratione posse me perpe-
tuis laboribus implicare, atq; ab otio ad ambitionem
transferre cogitarunt. Quod me vehemēter vrget, im-
primis est rei domesticæ cura. Viuit enim adhuc quidē
pater, sed extrema iam atate: sorores habeo domi ni-
biles: fratres extincti sunt oēs, præter eum quē iam diu
in Cypro insula degentem, nostri oblitum, rectē possu-

mus inter mortuos connumerare. Itaq; mihi vni appri-
 mè ad otium & tranquillit atē nato, quiq; ad hoc tem-
 pus in aliorū sedulitate ac diligentia conquieui, grauis-
 simum iam onus gubernanda familia subeundum est:
 spesq; illa mea tecum viuendi, quod maximè optabam,
 in aliud tempus reijcienda. Sunt hæc quidem magna in-
 commoda, & à meo valde aliena constituto. Sed ea om-
 nia vera laudis atq; virtutis amor faciet leuiora. Quin
 maior mihi proposita est gloria, si tot circumfusis mo-
 lestijs, in eum locum peruenero, in quem multi abundā-
 tes otio, atque fortunis, peruenire minimè potuerunt.
 Quod an aliquādo affecuturus sim, haud satis comper-
 tum habeo. Enitar certè, Deo hominibusq; bene iuuau-
 tibus. Proficiscar enim eò, vbi licebit veterum amico-
 rum, doctissimorumq; virorum perfrui consuetudine.
 Quæ quanti in studijs nostris momenti sit, tu maximè
 omnium nosti. Habebimus illic Bembum, Lazarum,
 Lampridium, Pierium, bone Deus, quo iudicio, qua e-
 ruditione homines? Nec dubitamus, quin & alios in
 dies habituri simus, pertasos rerum vrbicularum, atque
 huius vrbs miserrimi status. Tu verò velim, qua con-
 suesti fide ac religione, nostram inter nos amicitiam
 tuearis. Et quēadmodum ego te semper absentem ocu-
 lis atq; animo requiram, ita tu benevolentia in te mea
 memoriā apud te interire ne patiaris. Quod equidem
 adscribo, nō vt timens, sed vt amās. Literas tuas ad Pe-
 trum Bembum, quas mihi dedit Antonius, reddam dili-
 genter: multamq; illi, ac cæteris amicis salutem dicam
 tuis verbis. Illic ociosus plura ad te, literasq; ad Anto-
 nium,

nium, aut Binum mittam. Idē ipse si facies, erit mihi
quā̄m gratissimum, atq; vt facias oro. Vale omnium
qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt beatissimē. Vale
etiam volo Paulum, à quo literas acciperē opto. Ro-
ma. IIII. Calend. Maij, M. D. XXV. II.

IAC. SADDLET. EPIS. CARPENT.

Ludouico Parifeto iuniori S. P. D.

LEgi tuum carmen : idq; mirificē probaui : est enim
quantum ego possum iudicare, cum doctum & ele-
gans, tum quo in genere esse vis, eius generis numeris
omnibus absolutum. Sed eius ipsius argumentum car-
minis aliquandiu me suspensum atq; ancipitem animi
tenuit : dum nequirem satis cōiectura perspicere, quid
tu in illo tibi propositum habuisses. Nam si ornatum et
cultum reprehendis orationis, eosq; obiurgas, qui ele-
ctis verbis, grauibuscq; sententijs, sua sensa exprimunt,
idq; nituntur, vel quae ab ipsis emittuntur, prodeant li-
matiores : tute tibi laqueū entdis, tute ipse te implicas :
eos enim accusantem, qui studiū & operam poliendae
orationi dant, non decuit ipsum politē et disertē loqui.
Quod si ego is essem, qui mihi hanc styli elegantiam
adsciscerem : respōderem tibi id quod verissimum est,
debere nos partus eos quos gignimus, optare nasci quā̄
perfectissimos : nihil earum desiderātes rerum, quae ad
utilitatem & ad decorem, corpore, animo, vita conti-
neantur. Hocq; non solum in filiorū sobole corporea,
sed multò etiam magis in fœtibus ingenij natura nobis
esse dicerem insitum : neq; vnquam naturalem hanc in
nobis cupiditatem iure fuisse à quoquam vt vitium ob-
iectam.

iectam, qua non ad popularem famam primò & maxî
 mè, sed ad expletionem natura spectat atq; pertineat.
 Sed quoniam meū negotium nō agitur, viderint alij.
 Ego te illud pro atate & consuetudine mea non inui-
 tus admonebo, vt ne te ab illa ratione falli sinas, qua ti-
 bi fortasse bona visa est: siquidem existimas ita esse, vt
 scribis, nitorem, & copiam accurati sermonis, veritati
 fucum & falsum colorē obducere. Non enim ita se res
 habet. Nec qui in sacris literis disertius explanādis in-
 uigilant, eiusmodi prouinciā suscipiunt, vt patefaciāt
 veritatem, qua ex diuina legis oraculis aperte & per-
 spicue suapte luce clara est, neq; eget ad demonstnan-
 dum ingenio aut interpretatione cuiusquam. Sed refri-
 geratos iam pridem mortalium animos, ad pietatis stu-
 dia rursus capeffenda monitis & cohortationibm suis
 conantur accēdere: quod sine vi aliqua dicendi verbo-
 rumq; grandium, & aptè significantium copia, com-
 modè fieri nō potest. Quare meū iudiciū est, et semper
 fuit, non solū licere Christiano homini, verum etiā cō-
 uenire, atq; aded opus esse, si suo is ritè officio fungi ve-
 lit, excolere orationē, qua legētibus magis p̄futura sit,
 et magnifica p̄apotētis Dei opera vberius explicatu-
 ra: laudēq; ab hominib. (qua modò princeps ipsa spe-
 ctata nō sit, eaq; nobiscū vna ad Deum referatur) tan-
 quā accessionem quandā non penitus aspernandam esse.
 Quod ego te quia facere mihi visus es, vt des te ad scri-
 bendū accuratè et subtiliter, et collaudo nunc quidē, &
 in posterū quoq; in eo vt perseueres, vehementer hor-
 tor. Vale. Carp. XV II. Cal. Decemb. M. D. XXXIII.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-

LARVM LIBER IX.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Paulo II. Pontifici Maximo. S. P. D.



RIMVM M. sicuti debeo, sanctita-
ti tuae gratulor, quod ad dignam
sua virtute & prudentia rerum
administratione vocata, amplam
habitura facultatem est, sese in
maximis humani generis vilita-
tibus & comodis exercendi. Quae vna actio cum pro-
pria summum istius honoris, tum beatae & incunda vitae
effeatrix mihi videtur. Et cum hoc gratulor, tum illud
maximi facio, quod sine ambitione vlla, sine mora, con-
tradicente nemine, omnibus suffragiis statim renuncia-
ta est: vt renunciatio indicium fecerit dignitatis: ipsa
vero celeritas renunciandi, aperte ostenderit, tantam
tamque eximiam virtutem, quanta in te semper fuit, ad
tantos motus rerum, quibus iactatur Respu. sedandos,
& ad salutare in portum consilys sapientib. dirigendos,
quamprimum & quam maximè necessariam esse. Itaque
& nomen, & virtus, & dignitas tua, tanta nunc apud
omnes in opinione est: ita tua ad summum Pontifica-
tum electio ab omnib. est accepta, vt non hominum con-
silijs, sed diuinitus facta esse videatur. Atque hac qui-
dem & populi huius in quo ego versor, & omnium
Galliae populorum ac principum est sententia. Audio
enim multorum voces, et video vultus. Vt enim quisque
r hac

hàc habet iter, ita ferè congređitur & colloquitur me-
cum. Non equidè possum tantum, quantū res est, pre-
scribere. Sed hoc certè scribo, quod intelligo, & sentio,
nunquam animos hominum latiores, nunquam predi-
cationes magis honorificas, nec crebriores laudes de vl
lo Rom. Pont. extitisse: vt iam non sanctitati tuæ me
gratulari, sed Christiano nomini vniuerso magis con-
ueniat. Et certè si res veritasq; spectetur, boni & pru-
dentis viri imperium procuratio est aliorum salutis: cu-
ius fructus vtilitasq; ad alios, ad ipsum verò qui impe-
rat, voluptas & lætitia rerum bene gerendarum per-
uenit. Habent igitur Christiane nationes quod expe-
tebant: Pont. Maximum integra fama, summa virtute,
singulari sapientia præditum. Roma verò ipsa or-
bis terrarum caput, summi domicilium Pontificatus,
præter gaudium de principe, quod commune omnibus
est, qua præcipuè affici voluptate est existimanda?
qua ciue suo, & nobilissimo quidem ciue, quæ tanto
munere Dei immortalis, tantis honoribus, tot præ-
mijs ornata, aucta, condecoratâque est? In quam tua
sanctitatis liberalitas continuò se effudit: ipsoq; sta-
tim Pontificatus initio ciuibus suis ostendit, quam be-
neuolo animo eos amplecteretur, quos haberet patria
charitate, qua nulla est sanctior, sibi contunctos. Sed
ego, qui te quam plurimis ab hinc annis probè habeo
cognitum, qui ad has populares tuas illustresq; virtu-
tes, illas etiam domesticas scio adiunctas esse, humani-
tatem, affabilitatem, comitatem: et quam ego plurimi
semper feci, facioq; bonarum artium omnium, litera-
rumq;

rumq̄, egregiam scientiam: is sum præter ceteros, qui omnibus debeo exultare letitijs. Nam & mihi amantissimo Reipubl. optimi principis imperium maximo gaudio esse debet: & virtutes veneranti, prudentissimi, & literis dedito, doctissimi. Illud verò non minimū ad animi mei letitiam iucunditatemq̄, augendam pertinet, quod inter sanctitatem tuam & me familiaritas aliquando aliqua intercessit: qua etsi minus fuit quotidianis à me officijs culta, propter diuersa quidem vtriusq̄, nostrū vita studia, dissimilesq̄, occupationes: tamē neq̄, ego vnquam tuam erga me beneuolentiam desideravi, neq̄, sanctitas tua meā erga se obseruantiam non cognouit. Quam nunc quidem familiaritatem & amicitiam ad alia vocabula translata esse vehemēter gaudeo. Non enim mihi posthac ad amicum, & ad patrum: sed ad principem, & dominum confugiendum erit: ampliore eius potestate benignè mihi faciendi, si usus venerit: eadem, vt spero, voluntate. Quapropter ago Deo omnipotenti maximas meritasq̄, gratias, qui populo suo tam necessario tempore, talem pontificem proficere est dignatus. Tibiq̄, vnā & cuncto Christiano non inini iterum ac sapius gratulor. Fore enim confido, vt tua dignitas, atq̄, gloria, cum salute & maxima utilitate Christiani generis cōiuncta sit futura. Quod verò ad me proprie attinet, quoniam non habeo verba quib. sensum animi mei planè exprimam, sanctitatem tuam precor, vt pro sua prudentia expendere ipsa & considerare velit, quo me gaudio repletum esse oporteat, ex honore summo amicissimi viri, doctissimi homi-

nis, præstantissimi ciuis (siquidem ego quoq³, iampridem ciuitate Romana donatus sum) quodq³, imprimis & super omnia letandum mihi est, optimi Pontificis, & prudentissimi, & liberalissimi: vt in tot causis letandi & gratulandi, cum gaudium meam abundet, verba animi non suppetant, si tua sanctitatis interiorem voluntatem meam, ardentem studio atq³, amore, non hæc externa voluntatis indicia, quæ in mea oratione frigidiora multò sunt, accipere & comprobare. Quod si illud quoque non me indignum est, nec tibi ingratum, petere me à meo Principe quæ mihi opus sint: cum ego Pater sancte iam diu me in hanc meam ecclesiasticam prouinciam receperim, neq³, ambitionis studijs, neq³, opum aut diuitiarum deditus cupiditati, vitamq³ in ea mediocritate traducam, quæ tantum ad propulsandas necessitates idonea sit: vnã illam habeo curam, assiduamq³ in animo meo cogitationem, vt huic sanè tenui & pusillo gregi, qui tamè mihi pro mea paruitate nimis magnus videtur, mea industria & diligentia alicui emolumento ad Christianas virtutes agnoscendas, eademq³, colendas esse possit. In quo sanctitas tua plurimum me adiuuerit, si iura quædam & facultates, quas mihi semper amabilis & commemorandus Pontifex Clemens septimus cõcesserat, ratas mihi & firmas esse iusserit. Quod vt faciat omni eum animi studio rogo atq³, deprecor. Deus sanctitatem tuam, Pater beatissime, incolumem nobis perpetuò conseruet. Prædixit

Idus Decemb. M. D. XXXIIII.

Carpentoracti.

IAC.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Paulo III. Pontif. Max. S. P. D.

Cum & aetas mea iam ingrauescēs, eademq; parum
 firma viribus: et ratio studiorum ac consiliorū meo-
 rum me detineret, quo minus (id quod ego maximè cu-
 piebam, atq; imprimis mihi conuenire arbitrabar) ad
 salutandam, venerandamq; sanctitatem tuā ipsemet
 me conferrem: statui ad officium meum pertinere, ali-
 quem pro me mittere, qui meam vicem ipse hoc mune-
 re fungeretur, meamq; ad te obseruantiam beneuo-
 lentiamq; perferret: animumq; omnem meum expone-
 ret, cum virtutibus optimi Pontificis, tum gloria &
 laudi summi omnium principis vehementer deditum.
 Nec verò in conquirendo ac deligendo nuntio diutius
 dubitandum mihi fuit, quin hunc iuuenem potissimum
 mitterem Paulum Sadoletum filium fratris mei: quem
 ego maxima cum cura ac diligentia educavi: & in quo
 quicquid vnquam ex literarum studijs, quicquid ex v-
 surarum multarum atque magnarum consecutus sum
 (si modo quicquam consequi potui) ita imprimere to-
 tum sum conatus, ut quòd hoc laborarim et studuerim,
 satisfactum in eo à me natura, & patria mea indulgen-
 tia erga ipsum suscepta, fuerit: quòd verò mei labores
 speratum atq; exoptatū exitum assecuti sint, maximā
 hoc nomine gratiam Deo immortalī debeam. Certè e-
 nim si quid est quod ego prestare aut polliceri possim,
 audeo hoc palam commemorare & proferre, neque
 in bonis literis, neque in optimis & modestissimis mo-
 ribus, neque in ea qua ad gerendas res apta sit, fide, di-

ligentia, & taciturnitate, quicquam me esse ausum opta-
 re, in quo non huius mihi iuuenis, & ingenium & vo-
 luntas cumulatae responderit. Quo quidem etiam nomi-
 ne, & spe maxima in eo virtutis adductus, meis etiam
 accedentibus precibus optimus Pontifex Clemens singu-
 lari beneficio adiutorem mihi eum in huius procuratio-
 ne ecclesiae, & successorē dedit. Sed ut ad prima redeam,
 Cause mittendi haec fuerunt, primum ut frueretur ipse
 aspectu & vultu sanctitatis tuae, oculisq; praesens per-
 ciperet eam voluptatē, quam ego absens cogitatione
 capere non desino. Deinde, ut coram tibi gratias meis
 verbis ageret, quod tui initio Pontificatus, mihi multa pe-
 tenti & postulanti, quae ad meam & ecclesiae huius di-
 gnitatem commodumq; pertinerent, nulla in re nec be-
 neficentiam, nec liberalitatem tuam clausam voluerim
 esse. Quam quidem ego sanctitatis tuae benignitatē et
 ga me, ita inclusam in intimis meis sensibus habeo, ut sim
 omnino aliquando, si non gratiam (abhorret enim mea
 tenuitas ab huiusmodi verbo) at similitudinem certē a-
 liquam gratiae relaturus. Postremò ob eam etiam cau-
 sam à me missus est, ut sanctitati tuae, & meo, & suo,
 & Christianae Reipublicae totius nomine, gratularetur.
 Quanquam haec gratulatio, neque mea magis esse debet
 quam ceterorum omnium: & si quod priuatum meum
 in gratulando officium queritur, videor illi alijs meum
 ad ipsam literis fecisse satis. Verum, Pater sancte, in
 illis tunc spei, expectationi, quam de te omnes habeba-
 mus, sum gratulatus: nunc perspecta, ac cognita virtu-
 ti tuae gratulamur, & felicitati. Non enim obsca-

rum est, nec latere iam quenquã potest, quo animo sanctitas tua Pontificatum gerat: quæ illis primis sui honoris diebus à liberalitate erga ciues, à cura placanda & ordinanda Urbis profecta, statim orbis terra vniuersam salutem animo complexa est, suamq; de conuocando consilio voluntatem proposuit, cuius vel nomine ipso multorum antea animi terreri videbantur. Itaque seditiosis & impijs, omnibusq; ijs qui disidium et confusionem in ecclesia Dei quarunt, videbatur hoc tutissimum esse impietatis suæ perfugium: vt cum castigarentur, cum monerentur, cum vel ad pœnitentiam, vel ad pœnã vocarentur, ipsi ad concilij nomẽ confugeret, illudq; indici flagitarent, & poscerent. Quasi non minus terroris ex eo principibus ecclesiæ catholicae allaturi, quàm in ipsis formidinis atq; vecordiæ ex mala conscientiaë stimulis insideret. Atq; hoc magnanimi Pontificis factum, secuta illa est plena equitatis & sapientie in regendis hominum cœtibus ratio: quod pluribus iam rebus & exemplis cognitum est, placere sanctitati tuæ, idq; imprimis tibi curæ esse, vt ius idem sit pauperi, & diuiti: vt ne potentia imbecillitatem opprimat: vt qui opibus plus possunt, ijs illi ad iniuriam faciendam ne abutantur. Quod institutum conueniens præcipuè, & dignum optimis principibus, sed iam desuetudine penè in obliuionem adductum, tua sanctitas modò in consuetudinem & honorem retulit. Hæc & his similia multa cum sanctitas tua ad summum Pontificatum euecta esset, sperantes tũ gratulabamur, nunc gratulamur experti. Nec verò minus iusta ad latadum causa est,

sa est, vidisse ea quæ pulcherrimè facta sint, quàm sperasse futura: cum præsertim illud quoq; accedat, ut hæc tempora, hæc actiones, hunc tuæ sanctitatis honorem atque statum, diuina liberalitas perspicuè comprobet.

Quando enim tot iam seculis, tot conatibus, tot Pontificibus, maiorum nostrorum votis atque atatibus datum est, id quod atati nunc est tributum nostræ, ut hostes Christianæ fidei, nostrum iam nomē, nostræ arma, nostras vires timere incipiant? qui antea liberè omnia depopulabantur, qui nos quotidianis damnis & cladibus affligebant, semperq; finitima quæq; sibi corripientes, nos angustiis iam finibus retinebant inclusos: hi nunc summi atque clarissimi omnium principis Caroli Casaris virtute, sapientia, felicitate, tuæ sanctitatis copijs consilijsq; iuuuantibus, toto repete mari infero depulsi, parte Africa primaria, & vrbe opulentissima Thunete spoliati, de sua reliqua salute pertimescere coguntur. Cum Christiani generis antiqua virtus, quæ iam dudum hebes facta & debilitata languebat, hoc præstantissimo duce & imperatore Carolo, non audeat nunc solum consistere aduersus impios hostes: sed pestem etiã illis exitiumq; minetur. Quæ ego cuncta cum animo meo cogitans, summoq; meo quodam perpetuoq; amore in Christianam Remp. incitatus, cum cuperem conferre cum sanctitate tua, & de his illi, & cum illa, Re. pub. Christianæ gratulari, ipse verò in his locis iustissimis rationib. retinerer, nisi iuuenē hunc, tanquã me alterum, imaginem animi sensusq; mei, qui eade iustitiam perserret, coramq; tuæ sanctitatis pedibus aduolutus,

tus, cū reliquas officij mei tibi debiti praeſtaret partes, tum de hac fortuna, de felicitate temporu, deq³ ſummis Dei omnipotentis erga nos beneficijs, quae omnia cum laude ſanctitatis tuae coniuncta ſunt, tibi & meo et ſuo nomine gratularetur. Quem ego natura penè filium amore verò & iudicio verè vnicum mihi filium, rogo atq³ oro ſanctitatem tuam, vt libèter atq² humanè pro ſua clementia excipiat atq³ audiat. Nullus ipſe onus ſanctitati tuae eſt allaturus: nec quicquam de illius fortuna ad ſua utilitatis fructū eſt allaturus: ſumus enim ambo mediocribus rebus ſat contenti. Humanitatem tantum, & benignitatem tuā nobis expetimus, in qua vna nobis ſunt omnia: atq³ vt faciles ipſe aditus habeat, ſit quae illi et viſendi, et adeundi, et interdū etiam alloquēdi ſui principis poteſtas. Nam quod ad ipſum quidem attinet, eum ego volo, perfunctum officio ſuo et munere, iſta vrbe perſpecta, moribus curiae cognitis, veteribus amicis noſtris conuentis, & confirmatis, ad me proſtiturus reuerti: quod eius pietate, & obſeruantia, & fideliffimis officijs ad mea ſubſidium ſenectutis vehementer indigeo. Quae hoc mihi inſeſtior impendere ſenectus videtur, quod ſtudiorum aſſiduitas, à quibus auelli non poſſum, quod idie aliquid magis de mea aetatis ſucco, et viribus corporis detrahit. Itaq³ illum abeſſe à me non facile eſſem paſſurus, niſi ſi qua occaſio incidereſt huiusmodi, vt aetione aliqua praecleara ac laudabili, ple naq³ dignitatis, illius mēs operaq² occuparetur. In qua (quod conſiderem eum egregiè facturum) explicare ipſe ingenium ſuum, declarare induſtriā, nauare ſuā

virtutem & Christiana Reip. & sanctitati tuae posset. Sed haec quae mea potestatis non sunt, ad Dei consilium nobis sunt reijcienda. Illud quod mihi scribenti fuit propositum, rursus deprecor sanctitatem tuam, ut & animum meum erga se, summamq; obseruantiam agnoscere, & huic iuueni de sua humanitate impartire aliquid velit: nosq; ambos habere in numero eorum qui sanctitatis tuae salutem, amplitudini, laudi omni animi studio sunt dediti. Deus sanctitatem tuam custodiat, eiusq; rectissima consilia ipsi & Christiana Reip. fortunet. VI. Idus Septemb. M. D. XXXV. Carpenteracti.

IAC. SADOLETUS EPISC. CARP.

Paulo III. Pontifici Max. S. P. D.

CVm Pauli reditus ad nos, magna per se latitiam me affecit, tum verò multò vberius gaudium meum factum est, humanitate earum literarum, quas sanctitas tua rescribere mihi dignata est. In illis enim non solum benefici Principis erga fideles suos studium, sed optimi parentis indulgentia quadam planè mihi esse expressa videtur. Itaque ego quemadmodum gratias sanctitati tuae agam, non reperio. Nec enim ad magnitudinem illius beneficiorum par à me ingenij vis, aut verborum copia afferri vlla potest. Neque verò ipsa rescriptis mihi solum liberaliter: sed liberalius etiam mecum egit, nullasq; meas preces irritas accidere auribus suis passus est. In Paulo autem ipso, quòd maxime cupiebam, id mihi in omnem partem cumulatè praestitit, & ut illum ex meo testimonio benignitate sua libenter cõpleteretur, & illius mox ingenio probitateq; perspecta,

assen-

assensu suo grauissimo comprobaret in eo fidem testi-
 monij mei. Ita si mihi liberalitas optimi principis qua
 sita est, nihil fieri potuit beneficentius erga me, quam
 à sanctitate tua factum est: si iudicium, atque honor, ni-
 hil ego expectare potui honoratius. Atque hæc Pater
 sancte indicia tam perspicua voluntatis erga me tuæ, si
 mihi ita tributa essent, vt aliqua ex parte merito meo
 viderentur data: haberem aliquid fortasse, in quo mihi
 ipse iure gratularer. Sed tùm nihil sit in me huiusmo-
 di, per quod sanctitas tua ad tantum benignitatis addu-
 ctæ esse videatur, quantum esse onus illius gratiæ debet,
 quam ego sustineo? & quam conceptam & inclusam
 intus in animo gerens, nullis eã verbis neq; factis aptè
 queo expromere? Sed quoniam & summo Principi de-
 corum est, superare operibus suis hominum predicatio-
 nem, & nobis infimis hominibus non inhonestum, illius
 amplitudini maiestatiq; concedere: ago quidem gra-
 tias sanctitati tuæ quantas possum maximas, agamq;
 semper: nec quin eas studeam referre (quantum in me
 quidem erit situm) vlla me vnquã rei difficultas det er-
 rebit. Sed si illa minores & leuiore fuerint, quam aut
 merita tua, aut gratissima mea volũtas postulat, quaeso
 obtestorq;, vt id nõ nature meæ, sed magnitudini tuæ,
 & beneficiorum tuorum attribuat. Cetera qua Pau-
 lus mecum tuæ sanctitatis verbis egit, accurateq; collo-
 cutus est: etsi ea quoq; ab eodem fonte benignitatis pro-
 fecta sunt, iniiciunt tamen mihi grauem curam respon-
 dendi, ne aut vendere operam meam ijs, quibus debita
 iam dudum atq; obligata est: aut occultam aliquam in
me

me ambitionem dissimulare velle videar. Sed opinor a
 gam quod ingenuo et libero animo maximè dignū est,
 sicq; sine omni fuco purè respondebo. Ego pater sancte
 nullum grauius incommodum sentire possū, quàm ex
 his locis auelli, in quib. sum & sanctissimo voto et per
 petuo firmoq; animi iudicio nō locatus solum, verū eti
 am affixus. Sed tamen vbi res & tempora postulabūt,
 gerenturq; ea & administrabuntur, quæ ad cōmunem
 Christiani nominis concordia³ consensionemq; spectan
 tia, magis ex bonitate & prudentia sanctitatis tue, q̄
 ex conditione tēporum possunt expectari: non deero of
 ficio, nec dignitati meæ: nullamq; operam, nullum dili
 gentia, obseruantia et pietatis studium, neq; à Christia
 na Repub. neque à sanctitate tua frustra desiderari ex
 me sinam. Extra hanc occasionem, cui rei possim valde
 utilis esse, non video. Sed tamen si quid præterea fuerit
 ad sanctissima consilia de repub. Christiana pertinens,
 in quo mea opera & præsentia sanctitati tuæ necessa
 ria esse videatur (quæ quomodo esse possit suspicari e
 quidem non possum, totumq; grauiſimo iudicio tuo
 permitto) sed si quid fuerit, ita ipsa de me merita est,
 vt & ad vocantē accedere, & imperanti parere prom
 pto animo sim paratus. Confido enim eam pro sua aequi
 tate & sapiētia, sine magna, et maximè necessaria cau
 sa, me ex his locis non euocaturam. Vnum illud semper
 excipio mihi, & reseruo, vt nullam in partem commu
 tato meæ fortune statu, eis confectis rebus quæ mihi mā
 datæ fuerint, reditus mihi liber ad ecclesiam meam, ex
 optataq; studia, & ad eam animi tranquillitatem pa
 teat,

teat, quam ego omnibus opibus atq; honoribus longissime antepono. His de rebus ipsis, scripsi ad amplissimum virum Gasparem Contarenum Cardinal. qui sanctitati tuae omnem animi mei sensum copiosius exponet. Valeat, agatq; omnia feliciter sanctitas tua: quam omnipotens Deus sua semper cura custodiãq; tueatur. I II. Id. Martij, M. D. XXXVI. Carpentoraãti.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Alexand. Farnesio S.R.E. Cardin. S. P. D.

QVo tempore primum de tuo honore amplissimaq; dignitate nuntius ex vrbe ad nos huc peruenit, etsi statim cogitans existimare cœpi, te, quanq̃ etate adhuc esses adolescens, indole tamen virtutis, & commendatione ingenij dignum habitum esse, cui tantus honos iure committeretur: tamen quominus festinare dare ad te literas, tuãq; & presenti, & speratã amplitudini gratulari, illa res effecit: quod neq; nature meã, nec instituti vnquam fuit, ita accurrere ad laudem & ad gratulationem, vt fortunam magis, quã iudicium secutus viderer. Itaq; etsi te probè noueram, quo ex genere ortus, & in qua familia educatus esses, splendoremq; et nobilitatem maiorum tuorum, in tuis iã nunc morib; & in tua indole ac natura lucere intelligebam: tum autem sepe videram quo studio, quantãq; cura ac diligentia optimus & maximus nunc Pontifex, tunc etiam & semper hoc principatu dignissimus, erga omnes suos optimis & studijs & moribus imbuendos vti solitus esset: vt te illius sanguine creatum, preceptisq; eruditũ, in eum virum quẽ speraremus, eua surum posse

mus

mus iam considerare: tamen ne sic quidem properandum
 mihi duxi: sed expectare volui, quo ad certius aliquid de
 te ipso ad nos perferretur. Postquā verò plurimorum
 literis ac nuntijs, vnaq; & constanti voce omnium, de
 tuo ingenio, tuaq; modestia, deq; optimis & liberalis-
 simis moribus illaq; imprimis admirabili comitate ve-
 rē nobilitatis sociā quā tu probos & doctos præcipuē
 cō plecteris, fama ingēs increbuit: egoq; Auenione tu-
 as quasdam legi literas diligēter scriptas, quib. cura &
 sollicitudo animi tui indicabatur: vt in ecclesia, quæ ad
 Deū, & ad cultū religionis pertinent, ritē atq; integrē
 administrarentur omnia, quæ ego virtutem omnium
 maximam esse iudico: tūc demum existi māui maturū
 esse scribere aliquid ad te, et tibi de tuis amplissimis or-
 namentis gratulari: cum iam non ad incertam ampliu
 spem, sed ad firmam et fundatam de te opinionem, mea
 & lætitia & gratulatio dirigeretur. Gratulor igitur
 tibi, & ex animo gratulor: quod tum honore isto quo
 es affectus, tum etiam spe quam de te eximiam summa
 virtutis præbes, magnum in te præsidium simul & or-
 namentum, cum ætas nostra habitura esse videatur, tū
 Christiana vniuersa Respublica. Non enim tibi à tantū
 initijs, talibusq; profecto, exiguum quicquam aut me-
 diocre spectandum est: neq; opes atque imperia eò per-
 tinent, vt augustis finibus vel actionum vel temporum,
 magnorum virorum animus includatur. Sed tibi de te
 ipso sic meditandum iam & constituendum est, vt ita
 te inslituas atq; appares, quod tua præstans virtus ac
 nobilitas, & publicè omnibus, & priuatim possit esse
 eme-

emolumento. Hac enim vera dignitas est, veraq; amplitudo, sic se exhibere ceteris, ingenijq; & autoritatis opesita expositas omnium temporibus habere, ut ad alios tuorum laborum fructus, ad te ipsum latitia animi voluptasq; perueniat. Quam recte agenda vitæ rationem qui secuti non sunt, & non tam honore ipso, quàm vanis insignibus honoris habiti sunt ornati: saepeq; eos exitus habent, quos graue mihi est commemorare: tibi autem videre & intelligere in promptu est. Nihil enim stabile est in fortuna, neq; perpetuū, quod prudentia, et aequitatis, imprimisq; humanitatis & modestia quasi vinculis quibusdam constrictum non sit: & cui prepotens Deus fautor non accedat. Quo ab vno omnium bonorum & copia, & perpetuitas nobis est petenda. Atque hac scire agere, atq; suscipere, videreq; quibus consilijs quàm optimè & quàm rectissimè vitæ dirigatur, non minimum quidem ab aetate atq; à natura, sed plurimum ex literis philosophiaq; acquiritur. Est enim ea sola ars rectè viuendi. Quæ è fontibus viuuis, non ex riuis haurienda est, non ad inslituendum duntaxat animum, sed ad ornandam quoque orationem adhibenda. Sed quid ago? aut quomodo à suscepto gratulandi officio, ad quandam præcipiendi rationem delabi me sume passus? qua tu non indiges. Aut si ea tibi quoquo modo opportuna est, habes domesticum exemplum præstantissima uirtutis, unde formare te, & fingere ad omnem excellentiam queas. Tuus enim Maximus est Pontifex, tuus iste honos, & domus tua gloria: ex qua qui uirtute & sapientia primarius semper fuit, idem impræsentia

tia orbis terrarum est princeps. Sed ignoscas etati mea,
 eiq; amori quo in te mirifico sum incensus. Is enim me
 non sine vlla solitudine esse finit: nec de virtute tua
 quidem dubitantē, sed incredibilem de te hominum ex
 pectationem pertimescentem. Fecitq; vt te admonerē,
 cū tu in hoc veluti theatrum publica de te latitia et ce
 lebritatis ingressus sis, tātis diuinis muneribus ornatus,
 quanta vix optari debere videantur. Et cū tibi natu
 ra excellens ingenium, fortuna insignē potentiā maio
 rum virtus summam nobilitatē, domestica institutio
 morem honestum, consuetudinem splendidā, rudimen
 ta artium ingenuarum per liberalia tribuerit: vt intue
 rere et cogitares, quid expectari putes à te, quid tu red
 dere maioribus tuis, quid omnium spei de te prestare de
 beas. In quo tamen confido, dei primum immortalis ope
 & beneficio, tua deinde virtute cū annis vnā adole
 scente, eis te instruētibus literis quarū tu optima et pra
 clarissima studia tibi delegisti, cunctorum te opinioni &
 votis planē satisfacturū. Quod vt ita eueniat, tibiq; i
 ste honos sempiternae & laudi & felicitati sit, Deum
 eundem supplex omnibus precibus rogo atq; oro. Vale.
 VI. Calend. Decemb. M. D. XXXVI. Carpentoracti.

ALEX. FARNESIUS CARDINALIS

Iacobo Sadoletto episc. Carp. S. P. D.

Cvm de summis ac praeclaris nostrae aetatis ingenij
 sermo apud nos sapius haberetur: audieram, Sado
 lete, ita virtutem laudari atq; extolli tuam, vt te iam
 inde a pueritia mea incredibili quodā modo diligerem.
 Postea verò quā beneficio Pontificis sanctissimi atq;

opti-

optimi, sacerdotium mihi Auenionense est datum, eam
 intellexi amoris in te mei accessionem esse factam, quā
 & aetas iā adultior mea, & vicinitas sacerdotiorū no-
 bis attulisset. Cum enim ad propinquas ac propē con-
 iunctas administrationes electi essemus, videbam (id
 quod maximē vtriq; nostrum conueniebat) fore, vt a-
 micitia quoque & amore singulari coniungeremur.
 Itaque dum in hac cogitatione versarer, atq; instituis-
 sem scribere iam ad te, ecce mihi asseritur à Paulo Sa-
 doleto iuvene tui simillimo meiq; amantiſſimo literæ
 tue, prudentiæ, charitatis, humanitatisq; plenissimæ.
 Hic me, quod idē facere meditantem anteuertisses, of-
 ficioq; vicisses, pudor quidā suffudit. Sed tamen literis
 tuis lectis, ad eodē grauitate ipsa, cōiuncta cū summa facul-
 tate dicendi, sum delectatus, & illis optimis monitioni-
 bus tuis, vt eum vitæ cursum, quem tenendum mihi an-
 teā statueram, addito tuo hortatu, multo sim alacrius
 persecuturus: ac summū Pontificem, quem admodū tu
 amiciſſimē & prudentissimē mones, semper mihi adi-
 mitandum propositum habiturus. Quod quidem conse-
 qui vt commodius possim, gratissimum mihi feceris, si
 sepe me ad eorum præceptorum memoriam reuocabis.
 Excusationem tuam, quod gratulatio dignitatis meæ
 non tam sit à te properata, quàm re probata, facile ac-
 cipio: vel quia sic debeo tibi magis, vel quia literæ tuæ
 nunquam mihi nō iucūdisimæ esse possunt. Itaq; de eo
 te amo plurimum, quod fecisti: non accuso, quod reli-
 quisti. Honoris autem nostri, sic videbor fructum esse
 amplissimum atque optatissimum consecutus, si multis

prodero, si saepe, si maxime: & si officij mei munera pareisq; tuebor. Qua quidem in re cum omnibus in locis, tum verò illic, quod ab ecclesia mea Auenionēsi nō longè abes, magno mihi adiumento esse potes. Nam & multa agi illic me absente, quae necesse nō esset, & multa omitti necessaria cum putē: vnum te esse video, qui partim monendis procuratoribus meis, partim (quod commodo tuo fiat) scribendo ad me, valde ipsis rebus mederi queas. Quod vt facias, pro tua humanitate, & pro mea in te beneuolentia, etiā atq; etiā rogo. De me verò illud tibi psuadeas velim, nemini me vnq; esse, neque studio in reb. tuis, neq; sanctitate amicitiae concessurē. Vale. XV. Calend. Februarij, M. D. XXXVI. Roma.

IOAN. PETRVS CRASSVS EPIS.

Viterbij Iac. Sadoletto Episc. Carpent.

S. P. D.

VT primum literas tuas ad Farnesium nostrum scriptas legi, tali me ipsum beneficio tuo affectum putavi, vt gratias tibi omnino agendas duxerim. In hac enim prouincia, quae Pontificis voluntate humeris meis imposita, meas vires longè exuperat, res adhuc nullas plus adiumenti conatibus meis attulit. Gratulationem enim quam institueras, ea prudentia temperasti, vt gratulationi immixta exhortatio, sapientissimis consilijs & nitidissimo ac dulcissimo genere orationis, quoniam alienissimum rapere atq; inflammare ad summū virtutis amorem potuerit. Itaq; nihil habui prius, quam vt eas literas mecum assidue haberem, & ad omnē loci & temporis opportunitatem, auribus oculisq; adole-

lescentis offerrem. Quid enim regendæ custodiendæq;
 adolescentiæ magis necessarium, quàm assidua virtutis
 commendatio? qua & illa boni honestiq; incognita o-
 culis pulchritudo, mēti atq; animo proponatur: & exi-
 mia virtutum præmia, ingentia vitiorū damna, dedo-
 cora, exitia demonstrantur: præcipuè verò pietas ac re-
 ligio sic altè inseratur, vt diuinum numen dictis, factis,
 cogitatis omnibus semper præsens esse intelligatur.
 Quid igitur talibus literis tuis opportunius? Ego qui-
 dem non magis tibi ob illas iam scriptas arbitror agen-
 das esse à me gratias, quàm te iam etiam enixè rogan-
 dum, vt si tali es, quali ostendisti, erga maximæ spei a-
 dolescentē, erga Pontificē ipsum animo: si CHRISTI
 ecclesiam, cuius vel præcipuo in præsidij loco hic ado-
 lescentis positus est, ita diligis, vt tua spectata virtus om-
 nibus persuadet: vt subinde aliquid eiusmodi vel bre-
 uiter scriptum mittere perseueres. Et si enim elegātis-
 simo superioribus annis opusculo edito mirificè studio-
 rum & vitæ rationem formasti, multaq; ac præclara
 in eo non modo ad docendos, verùm etiam ad impellen-
 dos animos posuisti: magis tamen apud vnumquemq;
 valent, quæ priuatim ipsi, quàm quæ publicè omnibus
 traduntur. Optima quidem adolescentis natura, & di-
 ligens adhuc educatio, & iam degustata studia: præci-
 puè verò Pontificis voluntas & cura spem nobis vel
 optimam asserunt. Sed item magno vt in metu simus,
 lubrica ætas, corrupti publicè mores, & magna hæc i-
 psa fortuna facit: quæ præter cætera hoc quoq; habet
 incommodi, quòd ad optimā fortunam pessimus quisq;

audissimè conuolat. Has nos quidem insauistas a-
nes, vndique quanta possumus vigilantia excludimus.
Sed ne frustra id à nobis & parum diu fiat, multò ma-
gis animi ipsius, quàm adium aditus obseruandi sunt.
Nec enim aut diu arceri, nisi displiceant: aut displicere
vitiosi possunt, si vitia placeant. In hanc curæ ac solici-
tudinis partem bonos omnes libentissimè aduocarim.
Quoniam verò huc te potissimū vel amor tuus, vel pu-
blicæ causæ utilitatis adduxit: patere obsecro te precib.
meis eodem nec frustra reuocari, quo tu ipse primum
vltro venisti. Nemo vel ob doctrinam vel ob innocen-
tiam, vel ob nominis famam, plus hac in re autoritatū
te vno habere potest. Nec tu quicquam vel publicè v-
tilius, vel Pōtifici gratius potes efficere. Ego certè quā
tuluscung₃ sum, quot similis argumenti literas tuas vi-
dero, totidē me beneficijs maximis tibi deuinctū puta-
bo. Vale. Romæ, Pridie Idus Decembris, M. D. XXXV.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. IO-
an. Petro Crasso Episc. Viterbij
S. P. D.

Cum ad Alexandrū Farnesium tuū dedi eas literas,
quarum tu in tuis mentionem facis, & ex quibus
sumptam tibi occasionē scribendi ad me præ te fers: e-
quidem eo volui fungi officio, quod non tam prudentia
mibi, quā mens perpetuus in illam familiam amor, &
quadā mihi ingenerata voluntas omnia honesta & re-
cta cupiendi, præscribebat. Sed verè dicā, subuereri mi-
hi interdum veniebat in mētem, ne parum sapiēter id
negotij attigissem, quod minimè omnium mihi videre-
tur

tur conuenire. Quis enim ego sum, qui has mihi partes
 assumam, docendi, et commonescendi florentissimi a
 adolescentis, quem praesertim & domestica exempla, et
 optimi domi doctores ad omne studiū virtutis quotidie
 erudiant? Ego autem & longè absim, & nulla insigni
 facultate ad id agendum sim prae datus? Sed (vt dixi) de
 di illud magis ei beneuolentia, qua mihi erga illū iam
 inde à maioribus ipsius suscepta est: quàm aut euigila-
 to consilio, aut vlli prudentia: satisq; me honestè di-
 scessurum putauit, si in perfunçãoe amoris, temeritas
 tantū mea non reprehenderetur. Tu & comprobas
 factum, & saepius idem vt efficiam rogas. Fateor tuam
 apud me auctoritatem esse plurimi, ac iure id quidem.
 Et si enim nulla familiari notitia coniuncti inter nos su-
 mus: tuum tamen ingenium, ac excellens virtus, cum
 multorum saepe testimonio ad me perlata est, tum in
 hac recente epistola, quam ad me misisti, totam se
 mihi penitus patefecit. Non enim video quid potue-
 rit scribi vel elegantius, vel grauius. Mouet igitur
 multū auctoritas me tua: sed hactenus mouet, vt quod
 adhuc à me factum est, id (quando tu ita sentis, teq; &
 autore vtor, & approbatore) iam non imprudenter,
 neq; temerè videatur factum: sinq; animo aequo ea de
 re, de qua antea non nihil dubitabam. Quod verò dece-
 re me arbitrer saepius ad idem reuerti, ne cadere quidē
 in cogitationem meam potest. Siue enim me vnum ma-
 xime statuo idoneum cui obtemperetur, fidesq; habea-
 tur: quid me arrogantius? Siue curationi vestre ingero
 me, atq; intrudo, qui iure optimo delecti ad id muneris
 estis:

estis: quid imprudentius dici, aut cogitari potest? Ex quo mihi in mentem venit, mirari vim & gravitatem literarum tuarum, quæ me id videntur prudentissimè rogare, quod ego præstare salua prudentia non possim. Sed tamen mi optime Crasse, quãdo res magna agitur publica, vt tu disertissimè scribis, cuius partes vel præcipua commissa huic adolescenti sunt: demus operam omnes, quoad possumus, vt bonum illius ingenium, optimaq; ad virtutem indoles, in regionibus officij contineantur. Quod summus Pontifex autoritate atq; exemplo, tu opera, consilio, assiduitate, egregiè præter ceteros efficere potes. Nulla pars est earum, quas in eo inchoatas, & tãquam pubescentes perfici optamus, quæ non in te præclare appareat, absolutaq; sit: siue meram gravitatem quarimus, siue optimarum artium scientiam. Enitere ergo, & elabora, vt in vno homine ornando, atq; expoliendo, maximum à te beneficium habeat cuncta Respub. Nos quod in nobis est, studium tuum ac laborem, precibus votisq; ad Deum subsequemur. Nec, si occasio fuerit, in eo quoque deerimus, in quo tu operam nostram tibi aduocasti. Sed omnis spes in te est: quem ego cum antea diligebam, opinione virtutis, & multorum testimonio doctorum, proborumq;: nunc meo certo exploratoq; iudicio ita diligo vehementer, magniq; facio, nihil vt mihi neq; tuis literis gratius, neq; instituta benevolentia optatius accidere potuisse videatur. Quam vt tueare & conserues, abs te ita peto, situm mutuuum facturum esse existimas. Vale.

IAC. SAOLETVS EPISC. CARP.

Gasp. Contareno S.R.E. Card. S.P.D.

SI verbis multis, & illustribus tibi de recenti honore gratulari vellem: verēdum mihi arbitrarer, ne in ea oratione nimium insistens, & fortuna munera aliquāto plus extollerem, quā fortassis aequum sit: & pristina tua amplissima dignitatis, quae ex virtute maximē pendenda est, viderer esse oblitus: dum gratulationem meā ad fortunam potius, quā ad eam ipsam virtutem ad iungerem. Cū verō tu is vir sis, ea virtute, ea doctrina, prudentia, integritateq; praeditus, vt omni honore longē iudicare superior: gratulor equidem tibi, quod habiturus sis locum tui & ingenij & animi in Christianae Reipub. vtilitate & commodis vberius explicandi. Et eo magis gratulor, quod raro adhuc exemplo ad obendum summum & gerendū honorē, nihil huiusmodi cogitans, alieno tantummodo iudicio fueris vocatus. In quo sanē testimonium amplum est, tuis praestantissimis virtutibus redditum. De ipso autem honore si gratulandum sit, honori mediusfidius magis gratulabor, quā tibi: qui quamuis splendeat, illustrisq; admodū sit, tua tamen dignitate ipse effectus est ornatio. Sed vt quod sentio planē expromam, ego omni tua amplitudine & dignitate, Contarene optime, ita gaudeo & triumpho, vt nihil mihi sit optatius, quā te videre auctoritate & gratia prorsus florentissimum. Qui enim possum non incredibiliter letari honore eius, quem ex ipsius scriptis doctissimū, prudentissimum: ex eius officijs, quae in me ipsum ab illo collata sunt, quotidieq; cōferuntur, humanissimū, liberalissimū, meiq; imprimis amantissimum esse cognosco? Non essem dignus eis lite

ris in quibus versor, non hac vita, nō hoc spiritu, deniq;
 homo non essem. si aut praclarissimas tuas virtutes nō
 agnoscerem, aut quenquam omnium pluris facerem quā
 te: & nisi te omni amore, studio, obseruantiaq; comple
 cterer. Ego cum tuam Rempub. à Superantio accepi,
 cognoui tum primum quanti tu me faceres. Quare ex
 eo tēpore mea benevolentia, qua propter tuas eximias
 virtutes suscepta mihi in te erat, fieri coepit ardentior.
 Nam verò cum ex Pauli mei literis intelligam, quanta
 tu illum humanitate excipias, quā beneuolē tractes,
 quā multa signa des summi tui cuiusdā erga nos amo
 ris, quem in suscipienda rerum & negotiorum meorum
 cura magis etiam declaras: quas me tibi agere gratias,
 aut quibus vti verbis in meo tibi animo penitus patefa
 ciendo oporteat, ego planè ignoro. Tu subuem, qua
 so, huic hesitationi mea, & ea verba, qua apta sunt ad
 gratiam meritam cōmemorandam, vicem meā exco
 gita: quando ego tanti officij onere oppressus, minus
 illa despicere, & inuestigare possum. Quae cum tu pro
 tuo summo ingenio facile & prudenter inueneris, om
 nibus me illis esse vsū putato. Certè nihil tam am
 plē, nec tam copiosè explicare poteris, quod gratam
 animi mei voluntatem superet. De tua Republ. quid
 sentiam, scripseram iam ad Paulum, ex quo iudicium
 meum potes cognouisse. Neque id tamen faciendum
 tam breuiter puto. Erit mihi locus ad hanc rem pa
 raus, vt non solum tu, sed ceteri etiam intelligant,
 quantum tibi à me in omni genere virtutis sapientiaq;
 tribuatur: ad quod tempus me reseruo. Interea hoc
 affir-

affirmo, nihil me videre, quod in ea vera prudentia laude, qua cum studijs doctrinae coniuncta sit: inq; eis actionibus, quae sunt ab integro animo liberaliq; profectae, quid vel ingenio tuo, vel in virtute, in institutis vita rectius aut splendidius requiri ac desiderari possit. Sed haec haecenus. Ego & gratulor tibi, quemadmodum antè dixi: & maximas gratias ago: teq; oro, ut tu unicum susceptum erga me amorè perpetuum mihi conserues: quo nil mihi charius neq; iucundius accidere omnino potest. Vale. Carp. VII. Idus Nouèbris. 1535.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Gasp. Contareno S.R.E. Card. S. P. D.

TVa in literis causarum commemoratio, quibus tu iam pridem adductus ad me diligendum es, tantam mihi praese ferre visa est & humanitatem simul, & erga me benevolentiam, ut nil sit quod audeam optare prolixius. Quod eo magis gratum & optatum mihi accidit, quod tua ista eximia erga me voluntas, non amoris solum habet fructum, qui est in omni vita vnus suauissimus: sed iudicij quaedam etiam dignitatē. Amari enim à tanto viro idem esse videtur prorsus, ac probari. Quamquam id tu quidem separatim etiam facis, ut de me commode existimare te scribas. Sed ego id ita interpretor, ut in benevolentia prorsus parte ponendum esse videatur. Mihi verò, qui te iam diu nò diligo solum, (nam id quidem etiam mediocribus hominibus praestamus) sed propter excellentem tuam in omni genere virtutis ac literarum laudem & scientiam mirabiliter colo, atq; adeò veneror: quanto opere esset elaborandum, si id age-

renunc vellem, vt meus animus erga te cuiusmodi ille
 est, pateret penitus, manifestusq; fieret? Quod quoniã
 & longioris temporis negotium esset, & grauioris
 cura, supersedebo quidem hoc scribendi onere, meq; ad
 commodius aliquod tempus reseruabo. A te verò im-
 prasentia petam, teq; plurimum precabor, id quod &
 ago maximè, & maximè impetrare ad te cupio, vt tu
 me eo incensum erga te amoris studio esse existimes, qd
 ego nec literis satis persequi, nec verbis cõmodè queã
 exponere. Atque hæctenus quod ad amorem attinet.
 Quod verò tuã ad humanitatem, quã illi potest quæso
 oratio par inueniri? cùm prasertim tu ea me omnibus
 partibus epistola tua ita alliges vndiq; atq; constri-
 ngas, vt respirandi locus non sit. Qui te primùm in no-
 strum ordinem adscitum esse dicis, eamq; rem auxisse
 benevolentiam in me tuam asseueras. Quasi verò idem
 sit eiusdem ordinis esse, & multo superiore in loco at-
 que honore esse positum: nisi tu cùm omni mihi digni-
 tate plurimum antecellas, humanitate parem te effice-
 re vis. Immodò ego istud gratulor & triumpho, quod ti-
 bi tuisq; clarissimis virtutibus meritis honor datus est.
 Atque ille ita datus, vt plus tamen in te omnibus digni-
 tatis, quàm in honore ipso situm esse videatur. At ego
 si mediocrem hunc cum tuo si conferatur honorẽ (qui
 tamen mihi nimiũ magnus est) non indignissimè ges-
 sero, præclare mihi à Deo factum arbitror. Nam
 quòd fungar, eo vti oportet cõueniensq; est, ne idoneus
 quidem ad cogitandum sum. Sed & hoc, & omnia ad
 Deum à nobis referenda sunt. Paulum in eũ quòd amas
 &

& complecteris, mirabiliter gaudeo. Spero enim eū,
 quem optavi semper & optimum & rectissimis mori-
 bus ornatum esse, tua imprimis cōsuetudine, summeq;
 tua prudentia & grauitatis exemplo, futurum etiam
 meliorē. Quod labores nō paruos mea causa suscepe-
 ris, ago equidem tibi gratias Sed (vt dixi) non magno
 pere audeo aggredi, quod me perficere posse diffido. In
 his enim omnibus tua illa apparet extatq; humanitas:
 qua me ita concludit, vt neque vnde incipiam, neq; vbi
 desinam, statuere satis possim. Qua quidem in eo ma-
 ximē clarissimeq; se ostendit, teq; mihi prabet noscen-
 dum penitus & conspiciendum: quod tu tam ingenuē,
 tam apertē, tam familiariter qua in meis scriptis desi-
 derares exposuisti. Ex quo quidem ego vel maximum
 tui amoris erga me argumentum capio. Facit autē tua
 prestans doctrina atq; autoritas, vt maximā mihi cu-
 ram suscipiendam putē, quō tibi animi mei sensum pe-
 nitus aperiā. Ego enim cū Epistolā illam Pauli mi-
 hi exponendam sumpsissem, ac in commentarijs multo-
 rum interpretum diu essem volutatus: non mihi vide-
 bar assequi id quod cupiebā, vt in Apostoli sensum pe-
 nitus introirem. Sed cū ingenium, & doctrinam, &
 pietatem illorum magnopere approbarem: erat ta-
 men nescio quid in Paulo occultius atque abstrusius,
 quō illi vixdum mihi penetrasse videbantur. Itaque a-
 lium studendi & inuestigandi modum secutus, in Pau-
 lo ipso legendo, atq; omnibus modis pensitando atque
 explorando, quā maximē me, & quā ditissimē ex-
 ercui: laboreq; tam diu & diligentia cōtendi, quoad ad
 eius

eius intimū sensum peruenire mihi visus sum. Verè, an falsò, nihil nunc ad rem: non enim aliud, quàm quod visum est, loquor. Sed cùm arcanas quasdam illius sententias, plurimum ad pietatem et cognationem Christiani mysterij facientes, adeptum esse me arbitrari: non putavi charitatis Christianæ esse, qualecunq; id lumen esset, diutius illud inclusum continere. Itaq; commētarios illos scribere sum aggressus: in quib. quod maximè obscurum mihi, & antea fide quidem acceptum & creditum, ratione autem ignoratū esse videbatur, mortis & crucis CHRISTI mysterium totū aperire atq; illustrare sum conatus: causasq; & rationes exponere, quamobrè salus nostrā necessariò requisuisset in mūdum venire CHRISTVM: atq; vti mortuus est, ita eū mori: quoq; modo non exēplum solū in eo sic à nobis agenda vitæ, sed etiā mysteriū nostræ & vitæ & salutis existeret. Atq; hoc feci Pauli sententias constantes sibi semper in hoc argumento (vt mihi quidē videtur) & verba ipsa persecutus. Quod autē parciore sui in praueniēte Dei gratia explicanda, quàm par esset: agnosco eum errorem, cū tibi ita videatur. Sed tamē & Græcorum, & Latinorum veterum exponendi morem secutus, à proposito Pauli argumento non discessi. Scis enim ipse, quàm rara de hac re mētio ac distinctio à Chrysostomo in hac Epistola quidem habeatur: quàm non multa à Theophylactō, & ab Euthymio, cui ego sententias Basilij, Chrysostomique referenti, in Epistolis Pauli enodandis tribuo permultum. Ambrosius quoque non admodum sæpe ad illam diuer-

ritur. Credo, quòd satis illis videbatur, ad Dei gratiam
 omnia vniuersè referre. quod in eorum scriptis creber-
 rimè inuenitur: præsertim cùm certamen nullum pro-
 positum haberent, quod eos cogeret rem tam tenuiter
 distinguere: quod fuit Augustino neceße bellum san-
 ctum & salutare aduersus Pelagium gerenti. Veruntã-
 men ego, quibus in locis Paulus ansam mihi dedit, ita
 sum de Spiritu sancto locutus, vt et principia & fines
 Christianorum virtutum illi omnium attribuerim. Si
 cut in illis verbis facio, quã Paulus dicit, quòd charitas
 Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctũ,
 qui datus est nobis. Quo in loco (quem te relegere &
 ponderare vehementer cupio) non solùm à Spiritu san-
 cto hæc omnia in nobis fieri: sed quem admodum etiam
 fiant, atque vt Spiritum illum verè sanctũ in nobis ha-
 beamus, ponere ante oculos omnib. conatus sum. Quã
 quidem euidentissimis rationibus (vt puto) penè demõ-
 strationem factam pleriq; interpretum cùm ad eum lo-
 cum venirent, collaudantes tantummodo (idq; iure et
 meritò) benignitatem summi Dei, veluti scopulũ quẽ
 dam refugiebant. Habes Chrysostomum, Theophila-
 ctum, Ambrosium, quos legere potes. Sed & illo in lo-
 co, quòd Spiritum adoptionis habemus, in quo clama-
 mus Abba pater: de hac Spiritu sancti item & vi in no-
 bis, & gratia, loqui non prætermisi. Non sum equidem
 iisdem verbis vsus, vt præuententem subsequenterq;
 gratiam appellarem. Sed sensus tamen (vt opinor) idẽ
 est. De natura autem nostra imbecillitate, quæ in pec-
 catum & mortem ab Adam inducã est, plura in eo lo-

co verba facio, quā Paulus eandem rem de Adam & de peccati ab eo in omne humanum genus translatione loquitur. Et tamen illud tibi assentior, potuisse me opportunè aliquibus in locis de hoc ipso morbo natura nostra, & de reparatione nostri arbitrij à Spiritu sancto facta disputare. Sed si id prætermissum est, alio loco Deo iuvante (vt tu prudentissimè consulis) reponetur: vel potius iam vt reponam, cogito. Scripsit enim ad me Lugduno Gryphius, se librum meum iterum impressurum esse. Faciam igitur interpositionem aliquam, per quam hac res tota breuiter illa quidem, sed tamè aptè, & quod satis sit, declaretur. Quòd si fortè liber Venetijs esset imprimendus, de quo scripsit ad me Paulus ne scio quid, cuperem magnoperè: idq; te etiam atq; etiā rogatum vellem, dares omnem operam, vt ne ante hanc secundā Lugdunensem impressionem id fieret: quòd exiret in manus hominum liber correctior et purior. Hanc rem tibi ita commendo, vt veriore animi studio cōmendare eam non possim. Nam & hoc plus erit in Lugdunensi libro, & nonnulla quoque alia, quæ (vt sit) à me vel mutata vel interposita sunt. De inijs bonarū voluntatum, & de eiusmodi genere toto, secutus equidem sum Græcos autores libentius. Præsertim cum Augustinus non satis se explicare mihi videatur. Verum & Latini veteres eandem quam Græci sententiam tenuerunt. Nec putavi hoc fraudi religioni nostræ fore, si aliquid in nostra voluntate nobis reliquerim. Neq; item nunc puto, tantis et tam magnis autoribus munitus, dum illud modò ne sentiam, à quo animus abhorret, aliquid

nos operibus nostris promereri, quòd à diuina gratia profectum non sit. Et hactenus quidem Catholica ecclesia nobis præscripsit, quantum ego scire possum, ne meritum vllum ex nobis tanquam ex nobis constitua-
mus. De cetero Pelagianum esse non puto, si in initijs aliquid retineamus, quod sit nostrum. Sed tamen quoniam in his non humanam laudē quærimus, sed nostrā & aliorum salutem, cedendum semper est maiorū auctoritati: idq; ratum habēdum, quod doctissimus vir dixerit, hoc est, Gaspar Contarenus. Nam reliqua quidē obiecta hominis illius, facillimā habent responsonem. Non enim me attingunt: neq; ego in meo libro aliud dico, quàm quod ipse disseuerit esse dicendum. Vnum graue erratum nuper cōmentarios meos relegens ipse deprehendi, quod nescio quopactō mihi exciderit: est enim prorsus à mea mente alienum. De quo & Lugdunum statim dedi literas vt corrigeretur. Et ad Paulum scribo, tecum vt cōmunicet, quando tu tanta benignitate, tantoq; studio eam de me curā suscipis, vt si frater tuus essem, maiorem suscipere non posses. Cui tua humanissima & naturæ & voluntati vtinam aliquando referam gratiam. Conabor quidem certè: nec tu me vnquā ingratum aut immemorem iudicabis. Vale amplissime & doctissime Contarene, nosq; semper dilige tui obseruantissimos. VI. Calend. Decembris, M. D. XXXV. Carpentoracti.

IAC. SADOL. EPISC. CARP.

Gasp. Contareno S.R.E. Cardinali

S. P. D.

Longum iam interuallum est, ex quo accepi tuas hu-
 manissimas literas, quas tu ad quartum Caledas Ia-
 nuary dedisti: quæ mihi in omni genere mirabiliter sa-
 tisfecerunt. Nulla enim est res in illis prætermis-
 sã, quæ vel ad sapientissimum hominem, vel ad amicũ of-
 ficiosissimum, vel ad grauem et sanctum autore Chri-
 stianæ pietatis pertineat. Certè nunquã tuæ litera ad
 me perueniunt, quin deferant secum effigiem eius viri,
 quem ego talem esse posse vix vnquã credidi: his præ-
 fertim moribus, & his tẽporibus. Itaq; incredibili sum
 amore incensus, & nouo quodam inflammatus studio,
 tui colendi, amplectẽdi, in oculis ferendi. In quo habeo
 propositum mihi exemplar eius vitæ virtutisq; imitan-
 dæ, quæ maximè beata vita cõtineri mihi videtur. Sed
 cum tu initio tuarum literarum tantum labores in ex-
 cusanda tarditate responsionis tuæ, quam ad meas supe-
 riores literas distuleras, quæ in re quidẽ peccati nihil
 fuit: quid mihi nunc reo veri criminis ægendum est? Fa-
 ciam breue opinor, & ad tuã facilitatem clementiãq;
 confugiam: teq; orabo & deprecabor, vt mihi lapsorũ
 hunc errorẽ veniã des. Nec tamẽ vekim existimes me
 aut negligentia, aut obliuione tui, aut quòd officij im-
 memor sim factus, duobus iam mensibus rescribere ad
 tẽ distulisse. Nihil horum est. Sed cum scripsisset Pau-
 lus ad me, quædam te secum de me locutum, quæ vehe-
 menter ad me pertinerent, eaq; ipse nonnihil in literis
 significasset, vberius autem coram se cõmunicaturum
 diceret: expectare illius aduẽtum antè volui, quam ad
 te scribere: ne si nihil ad te rescripsissem de illis rebus,

aut tacere ingrātè, aut dissimulare callidè viderer. Omnia autem quæ opus essent, scribere planè tunc nō possem. Ed factum est, vt ad hunc diem vsq; fuerim retardatus. Quæ vtrum idonea sit excusatio, necne sit, ego ignoro: vera quidem certè abs te accipienda, si tuæ singulari humanitati, eximiaq; æquitati constare voles. Quod te facturum esse non dubito. Nunc eis partibus Epistola tua omisissis, quibus tu humanissimè simul & modestissimè meum de te iudiciū imminuis atq; eleuas: tuum de me amplificas, atq; auges: cū iam decretum & iudicatum inter nos sit, quod ego abs te diligar, totum id esse humanitatis tuæ: quod verò ipse te colam atq; admirer, tuis præstantissimis virtutibus omne deberi: veniamus ad ea quæ rem ipsam continent. In quibus illud primum de commentarijs meis: qui quodd misissimè aliquanto antè Lugdunū erāt, quā inter me et hominē illum res conuenisset, iccirco non fuerunt correcta omnia loca, quæ ab eo adducta in controuersiam sunt. Sed quod tu me admonuisti, de eo missa est ad Gryphiū ad ditiō. Et erant alia nonnulla, quæ ego sponte mutaerā. Neq; tamē video in his ipsis quæ notata sunt, quid iure reprehensum esse videatur: cū verborum meorum sensus, id quod patet Latinè intelligēti, in plerisq; locis sugerit reprehensorem. Quod à me tibi duntaxat vni indicatum volo. Locum illum Esaia correxi libello misso ad Gryphium, cū iam liber ad exitum fermè adductus esset: cætera ferè eodem modo se habēt. Et quoniam nunc de hoc genere rerū inter nos sermo est: cum scripisssem ad Paulū, me quadam in re leuiter à te dissimulasse,

dere, idq̄, mihi dixerit, cupere te scire, vbi, & qua de
 re sit dissentio: primum tibi prae dico, me in illa de Libe-
 ro arbitrio sententia non omnino assentiri Augustino:
 qui libertatē nostrae volutatis perspicuē aufert: dumq̄,
 Dei Gloriā maximē complecti vult, videtur mihi illi
 derogare aliquid potius, quā quod debeat, tribue-
 re. Haec si essemus vnā, librosq̄, in manibus haberemus,
 faciliē me tibi probaturum considerem. Sunt enim in eo
 ipso, de quo loquimur, doctissimo nimirū sacrosissimoq̄,
 doctore, prorsus manifesta, quae in illam extremam &
 remotissimam sententiā se contulit, odio hereticorum
 & contentione disputandi (vt ego quidem arbitror)
 magis, quā considerata, et quieta rationatione ad-
 ductus. Nec tamen si non consentio cum Augustino, ic-
 circo ab ecclesia Catholica dissentio: quae tribus tantū
 Pelagij capitibus improbat, cetera libera ingenij &
 disputationibus reliquit. De quibus ego meā sententiā
 in Commentarijs protuli, nihil mihi arrogās: (abste-
 nim hoc à me) sed tantū ingenuē quid sentirem, expo-
 nens. Quod verò tu affers, moueri te verbis illis, quae
 apud Paulum sunt, quae ille ait, Deum vt nota faceret
 diuitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae prepara-
 uerat in gloriā, & quae sequuntur: haec ego verba quae-
 admodum interpreter atq̄, explanem, ne longum sit
 epistola complecti, ad meam expositionem horum ipso-
 rum verborum in cōmentarijs meis te reijcio. Quae
 abs te leguntur, gratum quidem mihi est, sed tuis gra-
 uissimis studijs atq̄, occupationibus parum arbitror ac-
 commodatū: cum praesertim fontes à riuu non mutue-
 unt.

tur: legereq; te nostra magis mihi honorificum sit, quã
 tibi vtile. Sed tu vt voles. Ego quidem hoc labore & o
 nere, quod propter tuam admirabilem humanitatem
 mea causa suscipis, prorsus te libero. Fratrem tuum mor
 tuum, non noueram: sed quia tuus erat frater, cum præ
 clarè de eius virtute ac natura sentio, tum illum nobis
 ereptum esse doleo, quem ego amo medijsfidius etiam
 vita functum, Deumq; immortalem deprecor, vt illi i
 pse propitijs & liberalis sua cœlestis gratia sit. Tuam
 quidem animi firmitatem, sapientiam, religionem, &
 miror, et meritis laudibus in cœlum fero, qui tam man
 suetè & patienter decreta Dei accipias. Verùm de his
 satis: responsum enim ferme est ad omne argumentum
 tuarum literarum. Nunc veniamus ad ea quæ pertinet
 ad me: pluribus mihi verbis exposita à Paulo, ac cura
 teq; narrata. In quibus illud non nouum, quod tua infi
 gnis erga me beneuolentia omnibus locis se ostendit:
 cui aliquando vtinam referam meritam gratiã: Hoc
 nouum, quod tu de honore meo atq; ornamentis cogi
 tans, id agis ac moliris, quo nil meis rationibus inueni
 ri potest inimicitius. Ego enim vitã beatam in liberta
 te animi, & in tranquillitate, eisq; agendis et suscipi
 endis rebus, quæ è libera nostra voluntate dependeant,
 positam esse duco. Cuius etiam generis facultatem quã
 dam nactus, exerceo me in illa, quoad quidem possum
 quantuluq; mihi tenuitas mea, Dei adiuta ope, suppe
 ditat & elargitur. Quæ ab hoc genere vite disidēt a
 lienãq; sunt, tanq̃ aduersaria mihi et molesta multũ,
 abijcio atque repudio: neq; vllum eorum appetitũ atq;

sensum ad animū meum introire sino. Quod acriore
 etiam iudicio facere mihi videor, q̄ utriusq; vna vim
 conditionemq; expertus. statuere facile possum, quan-
 tum hæc illi in omni ratioe beatitudinis antecellat. At
 interest Reipub. (cognouit enim ex eodem Paulo ratio-
 nes omneis & disputationes tuas, plenissimas nēpe &
 pietatis & doctrina) O doctissime, & optime Conta-
 re ne: vtinā te ista spes nunquā deceptura sit. Tu eximia
 adhuc quadam bonitate veraq; prudentia & integri-
 tate ad hoc sperandum adducis: cū quod optimum
 factu esse intelligis, & illis ipsis salutare, quorum cau-
 sa es sollicitus, id iam factum iri confidis, & existimas.
 Quod secus longè est, atq; vtinam ne esset. An tu arbi-
 trare, si esset spes aliqd præclare salutariterq; agendi,
 quin ego memetipsum essem expositurus atq; oblatu-
 rus, non dico ad honores, (improbi enim illud hominis
 est & non Deo, sed sibi fauentis & inservientis) sed in
 mortem atque crucem, vt caput Apostolorū dixit: cū
 quicquid meo incommodo et damno Reipubl. paretur,
 ego maximum meum lucrum existimaturus esse? Sed
 (crede mihi) temporum horum vitia, & estrupta stu-
 dia, istam probitatem sapientiamq; non recipiunt. Ca-
 put (vt spero) egregie probum habemus: hoc est Pon-
 tificem ipsum, cogitantem & cupientem ea quæ sedi-
 gna sunt. Sed non plus ille potest, quàm temporum per-
 uersitas. Aegrotat enim corpus Reipub. & eo morbi
 genere egrotat, quod presentem medicinam respuit:
 magisq; esset longo circuitu ad partem aliquam sanita-
 tis reuocandum: sicut ipsum paulatim curriculo tempo-
 rum

rum in hanc tabem delapsum est. Multis (inquam) vigilijs, plurimis remedijs, dissimulatisq; sapenumero consilijs, salus esset & dignitas Christiana Reipub. restituenda. Ac quoquo modo res quidem successura sit, si conuentus is agetur, de quo expectatio est: adero vnà vobiscum, nec deseram partes meas, quātula illa cunq; sunt, meumq; officium pium et debitum, tum Deo atq; Reipub. tum isti Sāctæ sedi Apostolica præstabo: teg; & videbo, & complectar ita libenter, vt nullam maiorem lætitiā animo meo sim percepturus. Interea onus hoc feram, quod ab Deo mihi iniunctum atque impostum est, si non aptè, & robustè, vt integrum & fortem decet, ac certè non contumaciter. In quo pro mea parte sanè in seruiam Reipub. cum meum pensum curabo. Aliquantumq; hinc tamen proficiam: qui si istuc essem, nec proficere quicquam possem, & proprium meū munus curationemq; relinquerem. Quamobrem si me amabis (quod profectò facies) cōsules huic ocio & tranquillitati meæ. Quæ si mihi salua permanebit, vberius erga te potero esse gratus, quàm si in illos fluctus, & turbidas rerum agitationes me cōiicerem. Itaque rogo te atq; obsecro, per fidem amicitie nostræ, quam sanctè inter nos constitutam, ad extremum diem vsq; inuiolatam perducturi sumus, vt suscipias otij & libertatis meæ patrociniū: atque ab ea mente, de me quam suscepisti, desistas: meumq; hūc statum, qui mihi maximè cordi est, & quo vitam ipsam non habeo chariorem, saluum mihi præstes, atq; incolumem: de quo plurimum spei in tua auctoritate, & prudentia, & amove adu-
sum

sum me, repositurum habeo. Ego de hac re ad summū Pontificem scribens, ingenuè illi quidem animū meum expono. Sed ut tu subsequare literarum mearum sententiam tuis amantissimis verbis atq; cōsilijs, (sic enim te facturum Pontifici pollicitus sum) peto à te magno pere etiam atque etiam. Paulus tuus iam magis quàm meus, nōnulla ad te meis verbis perscribit, ad rationes horum temporum spectantia: quorum vel supprimendorum, vel proferendorum tua erit potestas. Vale. III. Idus Martij, M. D. XXXVI. Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Nic. Archiepisc. Capux S. R. E.

Card. S. P. D.

Litera tuæ perbreues, sed amoris humanitatisq; plenissima, hoc mihi etiam fuerunt iucundiores, quod manu tua scriptæ, illud ipsum testimoniū de quo scribis nostræ perpetuæ & constantis amicitie, grauius multò faciebāt. Et si illud in eis nimis liberaliter: quod mihi ea honorum cognomina attribuis, quæ ego vobis summatis libenter facileq; concedo. Nam mihi sanè paruitas mea est voluptati, quæ in tranquillitate animi, otioq; literario posita letatur. Florere autem amplis titulis, & honorum ea insignia obtinere, quæ cum magnis curis & negotijs coniuncta sint, magis in te, ceterisq; amicis meis, quàm in memetipso gratum mihi est. Vestro enim patrocinio, vestro labore & opera, nos viuimus pacatiores. Quanqua nullus quidem mihi amicus est te antiquior, ac ne beneuolentior quidem. Ita enim & ad me scripsit, quoad in vrbe mansit, Paulus.

has: & reuersus ad nos illud idem vehementius confir-
 mauit, nullum sibi à te studium, nullum indicium amoris,
 quod quidem optari potuerit aut debuerit, defuisse: cū
 & in deferenda ope tua, insignem in se beneuolentiā et
 in communicandis maximis rebus, summā fidem: & in
 omni sermone vsuq; familiari, egregiam tuam comita-
 tem se expertū esse, plurimumq; ad amasse testificetur:

Quæ mihi omnia iucunda auditu, ipsa re pergrata, nō
 quidem præter spem, sed tamen supra spem mihi tribu-
 ta sunt: vt tantū tibi pro illis gratia debeam, quantum
 nostra amicitia patitur. Ea porrò vult, vt animo ma-
 gis quā verbis gratā memoriā officiorum cōprehen-
 damus: quod tibi quidem à me, & amplitudini tuæ nū-
 quam deerit. Tu quando mihi omne tuum studium &
 auctoritatem & operam amantiſſimis verbis polliceris
 atq; desers, summo me omnīū beneficio afficies, si amo-
 rem istum tuum erga me conseruaueris. V. de. III. Id.
 Martij, M. D. XXXVI. Carpentoracti.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

MARIO MAFFAEO VOLATER-

rano, Episcopo Cauallicensi.

S. P. D.

PAulus ad nos reuersus, tāta se abs te comitate, ac tā
 lautē & liberaliter acceptum esse narrat: eosq; se
 lepōres in te perspexisse ingenij, vrbānitatis, elegan-
 tia, vt difficillimum omnium rerum sibi fuisse affirmet,
 istinc se auellere, & ad nos proficisci, cū inexplica-
 bili penē glutīno admirabilis cuiusdā suauitatis tenere-
 tur. Quod ego Mari vsu illi venisse nō miror: cū enim

A a 4 hoc

hoc propriè tuum, & semper fuit, vt Syrenarū modo, non Mutianarum illarum, quibus Sauoia nos ter illudebat (recordaris enim profectò & hominum illorum & temporum) sed earum, quarū ex ore Homerus meliissimas narrationes rerum gestarum manare dicit, homines captos tibi vinctosq̄, detineas. Nam si ego cū Romæ ambo essemus, semper te appetebam, asidueq̄ tecum esse cupiebam, cū repellerer à te, & absterre- rer, omnibusq̄ modis congressus meos deuittares, quod natiuam illam tuam suauitatem sumpta ad tempus vo- cis, vultusq̄, asperitas obscurare non poterat: quid nūc debuit euenire Paulo, cui tu non solū omneis venustates tuas, quæ & plurimæ sunt, & amabilissimæ: sed a- nimum, domum, penum omnem patefecisti? Etsi est in eo quiddam quod me mordet. Quo enim fato mihi in- fortunato contigit, vt te ita facili & hospitali non sim vsus? cū nemo vnquam fuerit alienis cœnis tantope- re addictus, vt ego eram tuis: quarū vnū illud condimē- tum erat potissimum, quòd te frui ipso, ac vesci tū ma- ximè licebat. Itaque putās ne me tantam iacturā lepō- rum, omnisq̄, amœnitatis, æquo etiam nunc animo per- ferre posse, quibus tuarum sui paucitate cœnarum pri- uatus? Sed acta ne agamus. Quòd tantam humanitatē in Paulum ostenderit, valde mihi gratum: qui quidem tuus iam est magis, quàm meus: semperq̄, in ore nomen tuum habet: neq̄, loquendo, neq̄, predicando de te, sa- tiari vnquam videtur. Ab eo etiam accepi tuas literas, am inter quidem scriptas, sed nimis festinanter. Video enim tibi propostum fuisse, vt citò te exolueres. Vnt
est,

est, gratia tamen est habenda, quod abs te dignatus sim sonantibus illis vocabulis, in quibus me vsq, eò reuereris, vt magnus esse homo mihi videar: sed tātisper dum tuas lego. Nam vt à lectione earum digressus sum, statim irrideo ipse memet: nec tantam in me potentiā auctoritatemq, reperio, vt tu tam graui ter reuereri debeas. Sed omisso ioco. Ego mihi abs te familiarissimè scribivolo, atq, ita, vt nostra vetus coniunctio plena iucundissima libertatis etiam nunc, quoad potest, in literis redoleat. Phedri inscriptionem, quem modò ad te misi, gratam tibi esse gaudeo vehementer. Gratiarum acitorem respuo, meum enim fuit relinquere aliquod monumentum amicitiæ nostræ, meiq, summi & perpetui erga te amoris: idq, nisi fecissem, magis agrestis, quàm cum id feci, officiosus debeo existimari. Sed tu agis mecum liberaliter, cum de ijs gratias agis, quæ à me pretermitti saluo officio non possunt. Illud magis expecto à te, vt quando ego tātum tuo iudicio tribuo, quantum certè paucissimorum, ita legas librum, atq, expēdas, vt quoad eius fieri poterit, nihil obtrectatione dignum in eo relinquatur. Quod tuo imprimis acumine, et earum rerum præstanti scientia de quibus in libro agitur, me assequi posse confido. Quod mihi extremis tuis literis gratularis, quod dignum & benemeritum successorem mihi delegerim, id etsi ego feci bono (vt videbar) consilio adductus: tamen actiones meas tibi probari mirabiliter letor. Et enim tunc maximè nostris operibus delectamur, cū ea ab optimo quoq, laudari intelligimus. Vinam Deus nostra cōsilia fortunet. Nos certè id spe-



clauimus, vt in ipso amore nostro & iudicio, maiores
tamen virtutis partes, quã cõ sanguinitatis existerent.
Sed hac hæctenus. Ego et sat rectè, vt nũc est, me habeo:
et tibi semp rectissimè esse cupio: petoq; à te vt tibi cer-
tò persuadeas, te à me constanter et singulariter diligi.
Vale. IIII. Calend. Aprilis, M. D. XXXVI. Carpent.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. LAV-
rent. Granæ Signiæ, & Mario Aligero, Rhea-
tis Episcopis, S. P. D.

Cum digressus à vobis. Romã versus iter facerem:
eoq; itinere assiduè ob animum vestra mihi virtus
atque humanitas esset versata: simul vt urbem attigi,
paul. Lumq; otij mihi datum est, nihil habui antiquius,
quàm ad vos scribere, & facere vos de mea omni vo-
luntate certiores. Verè enim dicam, cum venissem Bo-
noniam, ac multa antea ipse de beneuolentia in me ve-
stra essem mihi pollicitus: re tamen ipsa expertus sum,
superatam etiam opinionem meam vestris officijs: ni-
hilq; esse à vobis prætermisum, quòd vel hospiti & pe-
regrinanti officiosus homo, vel amicissimus amicissimo
prestare posset. Itaque illo primo occurso congressuq;
vestro, omnis ea mœstitia qua animum meum obsede-
rat, probè depulsa est. Cum enim subinuitus, & con-
tra animi sententiam iter illud suscepissem, pietatem
atque officium in eo, non vllum meum cõmodum secu-
tus, etsi constanter id faciebam, quòd recti consilij ne-
quaquam me pœnitebat: tamen insidebat in animo qui-
dam dolor, quòd studijs meis, atque ea trãquilitate vi-
ta, quã ego maximè expeto am oq; vacare me aliquan-
cua

Æn necesse esse intelligebam. Incidi igitur in eos, qui et
 primi, & præcipuè illa me cura leuare potuerunt. In ve-
 stris enim vultibus, vestrisq; sermonibus plenissimis of-
 ficij, suauitatis, beneuolentia, tunc primum conque-
 ni: vidiq; & perspexi, quod fidelis amicitia est pro-
 prium, mei nominis charitatem nequaquam apud vos
 ex diuturna absentia mea imminutã fuisse. Quo quid
 mihi potuit accidere optatius? Esi enim alter ve strũ
 vetusta mihi familiaritate, alter recente est copulatus:
 tamen eandem prope vim habet natura bonitas in no-
 ua amicitia conglutinanda, quam fides in vetere con-
 seruanda. Ferme enim ad summum celeriter peruenit,
 quod firmis & ualidis radicibus est nixum. Quo in ge-
 nere virtus magnas partes obtinet. Quæ cum excellat
 in ambobus vobis, in me autem ipso non tam expressa
 illa quidem, quàm quibus sãã quasi lineamētis sit inchoa-
 ta: quid mirũ si et tu, optime ac doctissime Grana, per-
 petuò me constanterq; dilexisti: & tu Mari suauissime
 vixdum de facie cognitũ, amare tamen cœpisti? Quã-
 quam huius quidem amoris erga me, omnisq; officij
 quod mihi tribuistis, causa in vestra singulari humani-
 tate posita est. De qua habeo vobis magnam gratiam:
 neq; recuso, nisi pari vobis beneuolentia respondero,
 quin me ex hominum non esse numero iudicetis. Respõ-
 debo enim certè, neq; patiar me vllò in amicitia officio
 à quoquam vinci: cum id præsertim non tam in rebus
 atq; factis, quæ plerunq; fortuna & occasionis sunt, q̃
 in fideli & beneuola voluntate sit positum. Quæ nun-
 quam vobis à me deerit, neq; vlla vnquam efficiet dies,

vt talium et virorum & amicorum memoria apud animum meum obsolescat. Atq; huius promissi animiq; mei quo benevolentiam meam vobis dedo dicoq; has literas volui esse testes: vt intelligeretis, qua studia in me contulistis, ea longè mihi gratissima accidisse. Reliquū est, vt vos rogem, (id quod minimè videmini esse rogandi, sed tamen id more & consuetudine faciendū est) vt pristinum erga me amorem conseruetis, plurimamq; meis verbis Sfortia nostro legato amplissimo nuntietis salutem: gratiasq; illi agatis, quòd ab eo et humanissimè acceptus, & hospitalibus illius donis, quibus me opiparè muneratus est, edoctus planè sum, meū illi aduentum & gratum & iucundum extitisse. Valete.
V I. Nouemb. M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Mario Maffaeo Volaterrano. Episcopo
Cauallicensi, S. P. D.

CRedo iam ad te esse perlatum, me accitum à Pontifice maximo, statuisse suscipere hoc iter: accedereq; ad eam Urbem, in quam à me olim certo consilio relictam, nulla alia ratio, prater eam qua nobis propofita est, si forte videlicet succurri per nos possit periculis communibus, me valuisset retrahere. Quinquā ad hoc quidem tanti ponderis negotium, mea & auctoritas tenuis, et ingenij facultas admodū exigua est. Sed fit hoc illius forte error, qui hoc de me iudicium fecit: mihi quidem optima adest voluntas, cetera ab alijs meliora quarendā sunt. Nec tamen hoc mihi fuit propofitū, vt de hisce rebus ad te scriberem. Illud mea pro-

prium argumētum est epistola, vt cum ego sine te, neque urbem hanc, neque eā quam viuo vitā, aut vitam esse, aut urbem existimem: quōd omnis mea suauitas, omne persugium curarū molestiarumq; mearū, omnis deniq; animi mei latitia in tuo mihi optatissimo complexu cōspectūq; prorsus reposita est: te quidem orem atque obsecrem, vt facias mihi tui presentis copiam. Etsi quid eius amoris adhuc residet in te, quē erga me saepe ostendisti, ne graueris capere breuiusculum hoc iter, quod ego longissimum sum emensus, quantis meis incommodis & detrimentis non dico: illud tantum dico, in quo satis incommodi est, aduersus certē omnem animi mei sententiam: sed & officio seruiendum, & religioni fuit. Illud tibi confirmo, me toto hoc itinere incredibiliq; illa quam capiebam itineris molestia, te mihi vnum propositum semper habuisse, in cuius beneuolentia & suauitate, omnem essem angorem & sollicitudinem animi depositurus. Itaq; quoties reuocare me à tristioribus curis ad aliquam animi hilaritatem & letitiam instituebā, ad te ipsum protinus cogitatione reuertebar: meusq; erat vnus in mente mihi & in sermone Marius. Ille consolator mœlitia mea, ille animi cōfirmator: in hoc deniq; dulcissimo et mihi carissimo nomine acquiescebam. Postea verò quā veni ad urbem, neq; te hic offendi: quid dicam Mari? pudet me proferre, quā perculsus animo & destitutus fuerim: vt mihi sordere & iacere omnia viderentur, cum tu deesses vnus: qui tamen mihi es pro omnibus. Et si ceterorum quidem officia amicorū mihi non desunt: sed illa mihi
sic

sic grata & iucunda futura sunt, si sale cō dita fuerint
 venustatis tuae. Itaq; in maximo desiderio tui videndi
 & complectendi sum: neq; aliam spem vllam habeo re-
 liquam huius non longi temporis, quo Romae sum man-
 surus, cum aliqua leuatione molestiae traducendi, nisi
 tu dederis hoc vel amicitiae nostrae, vel humanitati tuae,
 vt nos tibi visendos esse statuas, conferasq; te aliquan-
 tiisper in hanc urbem: quae priuata conspectu tuo, ceteris
 quae te diligunt, ornamento suo spoliata, mihi vni de-
 ferta & penitus derelicta visa est. Nam si in itinere,
 inanis illa de te cogitatio tantum potuit, vt meos om-
 neis labores faceret leniores: qd faciet viua vox, quid
 vultus, quid ista significatio amoris, si tu mea causa ad-
 ductus huc te retuleris? Credas mihi velim, non possum
 tantum exprimere, quantum mihi in animo est, vel stu-
 dij, vel beneuolentiae, vel ardoris, vt te tuaq; & sperata
 & expetita consuetudine aliquandiu persuar. Quod
 quidem minimè longum futurum sit: statutū enim mi-
 hi est, secundum Martium mensē urbanas res relin-
 quere, & vel proficisci Mantuam, si agetur conuentus
 is qui indictus est: vel in Galliam reuerti, vbi iucūdam
 habeo & studiorum meorū, & omnis mei otij ac tran-
 quilitatis domicilium. Quae res cum ita sese habeat,
 & hac occasione amissa, deinde facultas nulla futura
 sit, quae sustinet animos vtriusq; nostrum spe iterū con-
 grediendi inter nos & amplectendi: quo me dolore af-
 fectum iri putas, si hac me expectatio, ac spes, quam
 nunc penè in manibus habeo, fruendi tui, fuerit frustra-
 ta? qui te vnum omnium plurimū et dilexi semper, et
 dili-

diligo: tecumq; cum sum, quod creberrimè sum exper-
tus, nulla omnino molestia, neq; grauiore sollicitudi-
ne soleo opprimi. Quamobrem Mari optime atque hu-
manissime, erit nõ humanitatis solùm tua, sed etiam o-
ius virtutis & integritatis, quam in colenda amicitia
semper adhibuisti, dare hoc nostris precibus, vt te hinc
presentem quàm primum habeamus: facilitateq; tua
efficere, vt quãuis mea animi incitatio longiorè oratio
nè desideret, tua tamè natura p̄pensa ad morigeran-
dũ, breuiore cõtentã fuisse videatur. In quo et tui ipse
simili eris, et vrbani omnib. facies gratũ: me quidens
ipsũ incredibili quadã latitia et summo beneficio asse-
ceris. Vale. V. Nonas Nouẽb. M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Anton. Suriano Patricio Veneto,

S. P. D.

Cum venissem ad Urbem, à Põtifice Maximo (quod
tenon ignorare arbitror) accersitus: atque ibidem
de tua erga me beneuola voluntate complurium et gra-
uium mihiq; amicissimorum hominum testimonijs co-
gnouissem: faciendum mihi putauit, id quod mea & na-
tura & instituti est, vt scriberem ad te, ageremq; tibi
pro tua prestanti humanitate gratias. Verè enim tibi
confirmo, cum multa eueniant in vita, quæ hominibus
grata accidere solent, nihil tamen mihi contingere po-
tuisse optatius, quàm à te t. di viro, omnib. & virtutis
ornamentis, & fortuna ac nobilitatis p̄dido, mei ab-
sentis famam innocentiamq; defensam esse, cum essem
iuius criminib. appetitus. Quid enim à me alienius,
quàm

quàm velle deflectere ab eis maiorum nostrorū sententijs, in quibus constanter & firmè retinendis salus & beata nostra vita consislit? Sed siue ille fuit quorundā error, siue religionis, vt videbatur, defendendæ studiū: (non enim adducor, vt malevolentiam fuisse credam) tu mihi ea officia præstitisti, quæ vel frater fratri, vel filio præstare indulgens pater solet. Nā & testimonijs tuis meam integritatem commendauisti, & illas falsas quorundam de me suspiciones ægerrimè ferre prætulisti. Quæ si aliquo meo erga te merito tributa mihi abs te essent, permagni tamen essent æstimanda. Cùm verò tu nullis meis prouocatus officijs, ita tamen partem meam tutandas susceperis, vt si frater tuus fuisset: quo me studio gratiæ, quòue obligationis vinculo tibi esse obstrictum putas? Equidem gaudeo te eum virum esse, cui optimo iure omnis honos debeat, etiam si nulla fortè deberetur gratia. Quid enim ingenio & doctrina tua, quid prudentiæ & virtutis laude illustrius? Cùm verò ad hæc tot tamq̃, eximia in te ornamenta, illud etiam accedat, vt maximo tuo beneficio tibi deum ætus sim: crede mihi Antoni Suriane optime atq̃, ornatisime, inter eos qui te amant et colunt, quorū, cū tu talis, tamq̃, benefica & liberali natura præditus sis, magnam profectò necesse est esse copiam: me ita primas appetiturum esse partes, vt nihil sis vnquā in me ipso quod in constanti & fideli amicitia requiratur de sideraturus. Itaque & quantum virtuti debetur honoris, id tibi à me nunquam deerit. Et quantum beneficio gratiæ totum tibi à me ita paratum est, vt omnia mea

officia & studia in te potissimum semper sim collaturus. Quod si aliqua mihi oblata fuerit occasio, qua me tibi gratum et memorem probare possim, agam id ipsum per me: sin à te fuero admonitus, efficiam ut intelligas, neminem te habere, cui aut fidentius imperare que velis, aut de quo plura tibi & maiora polliceri queas.

Que quidem non ad opibus fortuna, qua tenues mihi sunt, sed ab amore & fide constantis amicitiae possint proficisci. Interea iucundam nominis tui memoriam summa cum fide benevolentiaq; cōseruabo. Vale. IIII Non. Nouembris. M. D. XXXVI. Roma.

IAC. SADOLETUS EPISC. CARP.

Antonio Pulleoni Siculo S. P. D.

Iucundissimas accepi tuas literas XVIII. Calendae Octobris datas: quibus perspexi curam & sollicitudinem animi tui, quā de salute mea suscepisses, cum audiuisses (ut scribis) totum ferme id bellum, quod in Gallia provincia gestum est, ad nos esse translatum. Quod aut adiungis in eisdem literis, gaudere te, quod à summo pontifice accersitus, honestissima ratione ex illis periculis essem emerurus: equidem recognosco amorem tuum pristinum erga me, teq; in ea sententia esse planè mihi persuadeo. Sed profecto mi Pulleo alio ego modo metior pastoris & episcopi officia, ac tu fortasse putas esse metienda. Non enim illi terrores aut pericula terrere me debuerunt, ut discedere illinc cuperem: sed magis gregis mei timor ac perturbatio, in eius me custodia retinere, ut in vigilando et gubernādo tali eius tempore esse attentior. Quod & feci: omnemq; rationē

& periculi, et salutis mea cum vicib. meis communica-
 ui: nec ab illis cepi separatim vllam consiliū, quod mihi
 vni praesidio esse posset. Itaq; cum in medio ipso tumultu
 belli ac periculo litera Pontificis ad me essent allata,
 qua me huc accirent: eo animo fui, vt nisi prius Ciuēs
 meos extra omne discrimen positos viderē, non fuerim
 venturus. Sed dei immortalis benignitate ac clemētia
 haud ita multo. post pacatis reb. paceq; illis regionibus
 reddita, nō duxi tergiuersandum, quin me conferre ad
 hanc urbem. Inuitus quidem & gemens, quod nil mihi
 magis contra animi sententiā potuit accidere, quā cogi
 relinquere studiū & literulas meas in pace, in quib. an-
 tea bello fuisset interpellatus. Verū tamen ea causa af-
 ferebatur accersendi mei, atque is mihi proponebatur
 optimorum consiliorum fructus, vt me impium aduer-
 sus Deū iudicaturus fuerim, si non paruissim eius man-
 datis, qui me ad praeclarissimas actiōnes vocandum cē-
 sisset. Itaq; hoc animo ē meis locis sedibusq; egressus,
 Roma nunc sum: expectoq; quā mox aliquid agatur,
 non modò dignū Optimi Pontif. virtute ac prudentia,
 sed etiam leuandis horum temporum calamitatib. ne-
 cessarium. Eo enim statu (quod te non latet) Christia-
 na est resp. vt nisi aliquid noui remedij adhibeatur, om-
 nia omnino ruitura sint. Sed hoc Deus viderit. cuius e-
 go numini & voluntati totū me dedo permittoq;. De
 me autem ipso, meoq; animo erga te, sic existimare de-
 bes Pulleo (quod tamen te facere tua indicant litera)
 nihil te mihi esse in amore amicitiaq; coniūctius. Nam
 & iudicium quod semper de te feci, cum de tua integri-
 tate

rate, virtute, prudētia, honorificētissimè iudicauī, per-
 manet idē apud me: & in suscepta erga te beneuolētia
 cōstantissimè maneo: partim spōte, & consuetudine na-
 tura mea: partim verò maximā tuo in me perpetuo at-
 que insigni amore puocatus. Cognoui enim te in omnē
 tēpore mihi esse amicissimū. Itaq; q̄ me putas cupere,
 vt tu nobiscum vnā hic adesses? atq; his interesses nego-
 tijs (si modò vllum tractabitur negotium) cū intel-
 ligam tuam pręstantem prudentiam magno Reipubl.
 posse esse adiumento? Quòd si mea pondus haberet au-
 toritas, contenderem & eniterer, vt tu vocarere, tuāq;
 nobiscum consilia conferres. Nunc optare id licet, spera-
 re haud ita licet. Quanquam te honore & administra-
 tione honestissimi muneris à summo Pontifice ornatum
 esse tua causa vehementer gaudeo, tibiq; eam rem lau-
 di atque emolumento esse opto. Sanciū tuus egrota-
 bat cum ego ad Urbem veni, neque adhuc morbo satis
 leuatus est: itaque eum nec videre potui, nec alloqui.
 Quod sanè mihi fuit incommodum: hominis enim &
 probi, & experientis, opera atque opportunitate ca-
 rendum fuit: quem ego mediūfidius & tua & ipsius
 causa nō mediocriter diligo. Paulus nobiscum est vnā,
 magnopereq; me in rebus omnib. adiuuat, particepsq;
 est curarum consiliorumq; meorum. Is tibi pręstat be-
 neuolentiam quam debet, nec mētionem tui ferè inter-
 mitti sinit. Nos ambo te singulariter amamus, saluūq;
 & florentem esse cupimus: petimusq; à te more tamen
 magis, quàm q̄ necesse sit, vt solitam tuam erga nos be-
 neuolentiā tuare, atq; conserues. Vale. Idib. Nouem-

bris, M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Benedicto Accolto Cardinali, S. P. D.

Non potuit amantius neq³, liberalius scribi, quam scriptum est à te in eis literis, quas IIII. Non. Nouembris, ad me dedisti. Planè enim refert & illa fuerunt humanitatis, suauitatis, beneuolentiæ: & (quod in eiusmodi re mihi prope admirabile visum est) singularis etiam prudentiæ. Video enim te, cum fortiter & inuictè feras casus humanos, in cōmemoratione tamen nostræ necessitudinis, & in amicitia memoria remollescere animo, quod est bonitatis: molestèq³, ferre, quod me & videre, et alloqui prætereuntem non potuisses. Quo mihi quoq³, ipsi nihil accidere potuit durius. Cum enim redirem ad eam urbem subinuitus, vnde, bonis etiam rebus meis, certo consilio discesseram: vna illa consolatione sustentabar, quod reuisurus eram amicos veteres, & in eorum congressu ac colloquio mœrorem omnem depositurus, quicumq³, mihi iucundissimum otium relinquenti, & in eosdem, quos prius, fluctus è tutissimo ac tranquillissimo portu me referenti, ad animum obrepisset. Quod etsi mihi aliqua ex parte contigit, (certe enim multorū sum & vultu & animo amicissimo exceptus) te tamen vnum abesse, caput amicorum omnium, molestissime ferebam. Itaq³, te tanto interuallo videre amplectiq³, incredibiliter cupio: quod appetente vere faciundum mihi est. Constitui enim in Vrbe hyemem hanc manere. Qua confecta, aut ad Conuentum publicū profecturus Mantuam sum, si modo vllus is agetur: aut in

Galliam

Calliam, meam ad propriam stationem reuersurus. Istac
 vique iter facturus, vt optatissimo conspectu & ser-
 mone tuo ad arbitrium meum persuar. Quamquam non
 dissido summum hunc pontificem, vt est singulari boni-
 tate & clementia, honoris tui, ac dignitatis rationem
 quandoque habiturum. Quod autem scribis ad me, in-
 cundum tibi esse, me in pristina erga te obseruantia vo-
 luntateq; permanere. Ego mi amplissime Accolte, si is
 esse volo qui debeo, colam te atq; amem summo opere ne-
 cesse est. Cuius enim habeo plura erga me amoris &
 liberalitatis indicia ac monumenta? Quid virtus tua?
 Quid humanitas? Quid illa & crebro & vehementer
 repetita amoris tui erga me significatio? Quid doctri-
 na? Quid litera? per quas suauissimo vinculo commu-
 nium studiorum coniuncti inter nos sumus, parumne
 ista valent ad animum meum tibi obligandum, totumq;
 in ditionem et potestatem tuam tradendum? De tua au-
 tem in me beneuolentia hoc velim tibi persuadeas, neq;
 me existimare honorificentius quicquam me assequi pos-
 se, quam abs te sic diligi: nec aliquid animo meo accide-
 re posse iucundius. Ludouicus medicus tuus, homo (vt
 mihi visus est) & peritus, & prudens, idemq; studio-
 sissimus tui, offendit me in via, cum lectica veherer, quod
 nondum etiam eram ex recente morbo confirmatus.
 Cum eo sermonem habui de te, quem illum ad te pertulisse
 arbitror. Iter item mecum ad Urbem faciebat Molsa,
 summo ingenio & summa eloquentia vir, atque is quo-
 que amantissimus rerum omnium tuarum. Sed est quod
 mihi ignosci a Ludouico peruelim. Egi enim cum eo

parum sanè humaniter: qui cum sermones inter nos cõ
 sereremus, sisti lecticam non iusserim. Cuius me mei er
 rati acriter postea pœnituit. Consideranti enim post
 mihi, nihil visum est agi potuisse magis rusticè. Sed siue
 corpor quidam mentis atque ingenij ex morbo (vi ar
 bitror) contractus: siue ipsa commemoratio de te, ple
 na latitiæ partim, partim etiam doloris, ita consilium
 mihi excusit, vt quid tum deceret, nequierim perspice
 re. Huius mea culpa, cuius recordatio etiam nunc mihi
 molesta est, & abs te, & ab illo veniã peto dari, mihiq;
 ignosci peto. Reliqua mea officia in te, atq; in omni
 tuos fidelissimè semper amantissimèq; constabunt. Va
 le. XII. Calend. Decemb. 1536. Ex Vrbe.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Cosmo Gereo Fani Episc, S. P. D.

Vdouicus Beccadellus familiaris tuus conuenit me,
 L multamq; tuis verbis salutē mihi nunciauit: adiu
 xitq; in sermone, te molestè ferre, quod cū ego per ista
 loca ad Vrbe proficiscens iter facerē, tu istic nō affuis
 ses. cupereq; te in meo reditu, si eadem via iter facerē,
 videre me, & alloqui, hospitioq; excipere, quem iam
 antè in amorem & in beneuolentiã tuam recepisses.

Quæ cuncta mi optime Geri mihi abs te iucunda & gra
 ta accidere. Nam cū de te iam pridem in eam opinio
 nem venerim, vt de virtute & humanitate tua mirifi
 cè sentiam, multorum honorum testimonijs in hunc sen
 su adductus: tum verò hæc significatio tua erga me
 voluntatis & meum pristinum de te iudicium confir
 mat: & facit, vt te etiam mihi magis præcipua quã
 bene-

benevolentia diligendum putem : quem antea cōmuni
 illo studio, quod virtuti debetur, tantūmodo diligebam.
 Siquidē nihil est, quod me vehementius impellat ad a-
 mādum, quā cum intelligo me amari. Quod quoniā
 mihi abs te contigit, sic velim tibi persuadeas, neque in
 fide amicitia, neq; in benevolentia studeo, quāquam à
 viro bono desiderari conuenire, quod tibi à me non prō-
 ptum & paratum futurum sit. Meq; & tuam istā vo-
 luntatem, quam erga me eximiam ostēdis, maximi fa-
 cere: & tuis tantum tribuere virtutibus, vt existimem
 hanc modo inter nos initam amicitiam, mihi non solū
 voluptati, sed honori etiam permagno fore. Quare ita
 sentias & constituas volo, me tibi prorsus esse amicissi-
 mum. De hospitio quod mentionem facis: crede mihi, si
 te presentem istic offendissem, per libenter certē ad te
 diuertissem. Quid enim mihi tuo aspectu & familiari-
 tate occurrisset dulcius? Neque recusō, si in reuersione
 mea in Galliam per eadem ista loca transiero, per quae,
 vt nunc est, transiturum me arbitror: quin ad te rectā
 me conferam, tecumq; et apud te diem & noctem sim.
 Sed et pueri familiaresq; tui, te absente eam mihi sedu-
 latorum oiligentiamq; praeberunt, vt facile appareret
 ex disciplina domestica, qui tu, & quam liberalis hospi-
 tum receptor esses. Nullum enim certē officium prae-
 termiserunt, quod tam breui tempore, & peregrino,
 & hospiti potuerit praestari. In quo declararunt, cum
 me tam studiosē inuitarent & colerent, quanto opere il-
 lud tibi gratum iudicarent fore. Quae cum omnia rede-
 ant eodē, vt sint amoris erga me tui indicia atq; signa:

ne viuam, mi Geri, si cōcessurus tibi sum, vt tu plus me diligas, quàm ego te diligo. Itaq; & pro collegio & pro amicitia, paria tibi à me studia polliceor ac defero, atque illa sunt, qua tu in me contulisti: & si fieri poterit, etiam ampliora. Sed de his satis. Ego genus tuum vite, consiliumq; in ecclesia tua commorandi, vsque ad eò probo, vt non desinam id & laudare summè, & admirari. Deumq; immortalem quaeso, ut dignum tua ista virtute animiq; constantia fructum atq; euentum consilio tuo largiatur. Vale III. Cal. Decemb. 1536. Ex Vrbe.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO-
LARVM LIBER X.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDI-
nalis Herculi II. Duci Ferrariæ, S.P.D.



Voniam habeo te inter eos quos mihi eximiè semper colendos, obseruandosq; proposui: ideo putauit mihi faciendum esse, vt ad te mea manu scriberem, nuntia remq; id quod mihi contigit. Hevi enim nihil cogitans, ac ne cupiens quidem, sed prater omnem opinionem meam creatus sum Cardinalis. Cuius honoris magnum onus & splendidum, meis tamen humeris perquam graue est: non enim videtur mea fortuna tenuitas id posse perferre. Sed tamen seram vt poterō: & si copijs opibusq; deficiat, in eo elaborabo, vt
fide,

fide, integritate, amoreq; in Remp. muneri meo satisfaciam. Tibi vero praestantissime Dux, cuius nomini clarissimaq; familia iam pridē valde deditus sum, ita mea studia officiaq; polliceor ac defero, vt tibi cupiam persua sum esse, ea tibi imprimis praesto semper fore: meq; eorum nemini qui te amant et colunt, quorum pro amplitudine & nobilitate tua, magna copia est, vnquam concessurum: semperq; ea libentissimē facturum, qua honori tibi & ornamento esse possint. Sed hac, cū vsus venerit, re magis praestabo, quam verbis. Tu vt me diligas, habeasq; in numero tuorū, vehementer à te peto. Vale. Ex Vrbe, X. Cal. Ianuarij. M. D. XXXVI.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Petro Bembo, S. P. D.

Neq; hilariter possum, neq; tristib. etiam verbis ad te scribere: quod in altero mihi animus meus repugnat, in altero hominū opinio atq; iudiciū. Qualecūq; tamen id sit & mihi accidit, scire te volo, me his proximis comitjs à Paulo III. Pont. Max. in amplissimū ordinem S. R. E. Cardinaliū esse cooptatum. Quod sit ne letandum, necne sit, equidē ignoro. Scio enim me aliās huiusmodi occasiōes vitasse: & nūc quidē certē quod factū est, neq; ex voluntate mea, & prater oēm expectationē factū est. Ac singularis quidem Pont. Max. voluntas declarata est aduersum me, qui iudicauit eo honore me dignū, quo forsitan non sum dignus: vel potius plane nō sum. quis enim est tā arrogās, qui audeat ipse de se facere iudiciū dignitatis? Sed quod ego sine ambiguitate & sine vllō errore iudico, onera quae honorē e-

consequitur, mihi ita grauia sunt, vt nō videā quo pacto possim ea sustinere ac ferre. Te quidē rogo mi opta visime Bembe, vt me amare nō desinas. Minor apud te sum factus, q̄ fuerim antea. Hoc enim & ego suspicor & re ipsa ita est. Sed noli hoc quaeso, mea culpa adscribere: potius fortunā accusa, qua me cōpulsit in eiusmodi vada & cautes, vt aut fama omnis prudētia abiicienda mihi fuerit, aut libertas cōstringēda. Ego verò pudore et timiditate ingenua quadā malui cōstringi, q̄ stultus iudicari. Si lapsus iudicio sum, ignorātia id mea tribuendū est. Si verò mea ratio habet aliquā rationē, eā tu si defendendā susceperis, potero sperare, me omnibus purgatum & probatū fore. Te quidē ego indies magis magisq̄ diligo, plurimiq̄, facio. Lazarum meum meis verbis saluere iube: itēq̄, ceteros: quos ferē habemus amicos cōmuneis. Me quo minus plura scribā, mea moleste grauesq̄ sollicitudines, & cura rerū necessariarum auocat. Vale. Romae, Calen. Ianuarij, M. D. XXXVII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. RODULPHO Pio Carpenfi S. R. E. Card. S. P. D.

Cum me tecum vnā, Paulus Pontifex Maximus in amplissimum S. R. E. Cardinalium ordinem cooptauerit: non tam res ipsa mihi iucunda accidit, propter prioris vitae meae (vt ego arbitror) beatoris desiderium, quā summi benignissimiq̄, Pontificis tale de me iudicium, & iucundum, & gratū extitit. In quo auct per multum animi mei letitiam, quōd te sociū, vel potius ducem habiturus sum in omnibus praeclaris actionibus qua per nos ad Dei omnipotentis gloriam, & Christum

me Reip. salutem, & suscipienda fuerint, et tractanda: ut etiam si virrute tibi impar, voluntate tamen proximus sim futurus. Sed de his alia. Nuc tibi ex animo gratulabor, teq; videre qua primu opto: ut mutua nostra benevolentia, qua semper animo potius rententa, qua officij inter nos vsurpata est, propter disjunctionem videlicet nostram & vita, & locorum, nunc assiduitate consuetudinis, & communicatione consiliorum, uberiori multo amoris fructum nostrum utiq; afferat. Tu vale, & ignosce breuitati mee: plura enim scribere mea occupationes non sinunt. Iterum vale. Roma, V. Calend. Ianuarij, M. D. XXXVI.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. MARIO Aligerio Rheatis, & Laurentio Granae Signia Episcopis S. P. D.

Um me nihil tale cogitantem, ac praeter omnem expectationem meam, optimus Maximus Pontifex in sacrum collegium S. R. E. Cardinalium cooptasset, non existimaui tantum mihi curarum et sollicitudinis ab ipso honore, qui certe maximis occupationibus est impositus, afferri oportere, ut officij obliuiscerer, quo mihi videor ambobus vobis esse obstrictus. Tanta est humanitas earum literarum quas mihi rescripsistis: adeoque vestram propensam & beneuolam erga me voluntatem visus sum agnoscere. Quod profecto gratissimum mihi accidit. Talibus enim viris, quales esset vos, probatum me esse, praecipuum premium mihi videtur esse virtutis. Quae quidem virtus si tanta in me existeret, quanta a vobis magis predicatur, quam a me ipso

ipso agnoscitur, gaudere maiore in modum iudicio do-
 ctissimorum & amicissimorum. Nunc etsi opinionibus
 de me vestris imparē esse me sentio, amore tamē erga
 me vestro nihilominus letor: facileq; patior, videri vo-
 bis maiora qua benevolentia vobis depingit, quā qua
 veritas ipsa fert. Sed de his satis. Ego hoc honore factus
 sum vobis non amicus melior, sed aliquanto ornatio-
 rum. Qui quidem honor magis mihi erit & optatus & gra-
 tus, si ex eo facultas mihi affuerit, bene de vobis, & de
 vestri similibus promerendi. Non enim alium ex illo fru-
 ctum aut specto, aut percipere cupio. Vos si pristinam
 vestram benevolentiam erga me conseruabitis, & hu-
 manitati constabitis vestra, & facietis mihi gratissi-
 mum. Valete. Scripta erant haec litera, cum tuas eodem
 die Mari doctissime accepi literas, & simul alteras ad
 Paulum Grana nostri, vtrasq; honori nostro gratulan-
 teis: quas nimirum libentissimē legi. Gratulatio uestra
 optimi animi index mihi pergrata est. Vtinam ego ta-
 lem me prestare possim, qualem vos describitis. Con-
 bor quidem certē: & si aliud nihil, egregiam utiq; vo-
 luntatem ad Christianam Remp. afferam: cuius salua
 atq; amplitudo semper erit mihi mea vita charior. Vo-
 bis autem duob. hoc nunc habeo quod pollicear ac spon-
 deam, vos neq; constantiam in benevolentia erga vos
 mea, neq; in amicitia fidē esse desideraturos. Sicuti qui-
 dem & virtus vestra, & mea vita perpetua consueta-
 do à me postulat. Iterum ac sepius valete. Roma.

IAC. S ADOL. CARD. MARIO MA-
 fæo Cauallicensi Episc. S. P. D.

Etsi nihil adhuc abs te ad meas priores literas erat
 responsum, quib. ita flagitabam aduentum tuum,
 vt nihil fieri posset ardentius: tamen cum postea fato
 nescio quo, aut ne fato quidē, sed optimi ac praestantisē
 mi Pontificis nimis beneuola erga me voluntate, igna-
 rius, & incogitans, in sacrum ordinem S. R. E. Cardina-
 lium cooptatus essem, nō duxi pratermittendum, quin
 ad te literas hac ipsa de re darem: quanquā erā, quod
 te intelligere puto, maximis curis occupationibusq; di-
 stentus. Sed tamen amor meus erga te, & officij ratio,
 eius quod nostrae amicitiae debitum est, nullo impedimē-
 to teneri potuit, quin communicarē tecū hoc quicquid
 esset, siue gratulandum id sit, siue non gratulandum, vt
 ambo id vnā communit erq; faceremus. Non enim quic-
 quam à te seiunctum mihi esse potest: nec tu aliena ti-
 bi ea, quae mihi accidunt, debes existimare. Sed cū iam
 diu mutuis inter nos amor animos nostros in vnū quo-
 dam modo conflauerit, debet vterq; nostrum in altero
 semetipsum aestimare & pendere. Ergo si ornatior ego
 hoc honore factus sum, quā antea, horum mihi orna-
 mentorum pars aequa tecum est: si minus ornatus, mi-
 noriq; faciendus, (nam certē liber minus, et minus bea-
 tus redditus sum) tu leuare debes onus nostrum, aequa
 oneris parte mecum subeunda. Sed quoniam res im-
 presentia ad iudicandum difficilis est, egetq; discepta-
 tione maiore & tempore, illud vtique scire interim te
 volo, si te presentem hic habuero, maximas partes la-
 titiae & hilaritatis mihi fore restitutas. Nam & erit in
 omni amore consilijsq; requiescam: & nulla tam graui
 cura

cura sollicitudineq; opprimar, quàm aspectus tuus, et familiaris sermo noster nõ continuò tollat, atq; auferat. Tu vt valetudini tuæ seruias, mi suauissime Mari, et te huc aliquãdo conferre mea causa animũ inducas, vehementer à te peto. Vale. V. Non. Ianu. M. D. XXXVII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Andreas Gritto Duci Venetor. S. D.

CVm accepissem Amplitudinis tuæ literas, & Laurentij Bragadeni, hominis virtute & sapientia ornati, legati vestri verba audissem, qui suo sermone egregiè subsecutus est grauitatem earundem literarum: e quidem non mediocriter sum letatus, tale fieri iudiciũ de me abs te, & ab isto ampliss. senatu, in quo ego vestigia antiquæ dignitatis atq; autoritatis residere intelligo, vt me quoq; non inutilem ministrum ad subueniendum Christianæ Reipub. esse existimetis. Verum ista lætitia affert profectò secum maiorem etiam sollicitudinem. Magis enim video mihi laborandum esse, vt iudicio vestro respondeam, quàm letandum, quòd sic de me vos iudicetis. Quòd si recta administratio huius honoris ac muneris, quòd mihi nullo meo merito, sed quadã bonitate prepotentis Dei suscitantis de terra inopem, & de simo pauperem erigentis, delatum est, à me ipso mihi speranda atq; expectanda esset, dissiderem profectò, à vobisq; peterem, vt ne talem de me opinionem haberetis. Quid enim ego sum, si per memetipsum asseruer, nisi plebis abiectio? Sed quoniã ad clementissimum Deum toto animo conuersus, illius vnus & benignitati confido, & opem expeto: cupioq; illi, quanquam pet-

catò

eatis oppressus, studio tamē bona voluntatis in seruire:
 spe teneor posse me diuino auxilio fretum, aliquando
 & Reip. afflicta, & bonorum de me expectationibus ali
 qua ex parte satisfacere. Prasertim cū hac noua atq;
 inaudita multis iam penē seculis summi pontificis Paul
 li tertij bonitas ac sapientia, & collegarum meorū præ
 stantissimorum hominum, virtus ac religio, animū me
 um excitet atq; erudiat: quorū ego vestigijs consecran
 dis, virtutibusq; imitādis, errare minimē potero. Qua
 re in hoc mihi nouū vitæ genus hoc animo sum ingres
 sus. Primum, vt Deo omnipotenti, eiusq; sanctæ fidei,
 omni studio, opera, labore, sanguineq; deseruiam. Dein
 de, vt sanctam sedem Apostolicā prasidemq; illius Paul
 lum ita meritum de me, vt omnes sciunt, quātū in me
 erit, in omni sua autoritate ac dignitate tuear, atq; cō
 seruem. Tertio loco, vt ea agam & mediter, qua pro
 bis, & doctis, & amantibus mei, possint & honestatē
 esse & commodo. Quo in genere gratias amplitudinē
 tuæ agens, quod ad me tam humanē & tā amāter scri
 pseris, & tibi et isti amplissimo Senatui ita mea studia
 polliceor ac defero, vt quoad per me rectē fieri pote
 rit, paucos mihi pares in amore & cupiditate vestra
 rum rerum secundarum sitis habituri. Vale. XV. Cal.
 Februarij, M. D. XXXVII.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. CLAV
 dio Rangono Comiti, S. P. D.

Quid ad me & ad Paulum meum misisti literas,
 grate mihi maiorem in modum fuerunt. Reco
 gnoui enim in illis pristinam illam tuam erga nos be

nevolentiam, quam ego amare tant opere sum solitus. Praesertim adiunctis maximis virtutibus & animi & ingenij, quas ego in te abineunte tua adolescentia prospexi, easdemq; ad frugem bonam postea perducias cognoui. Quod honore nostro letatus sis, tam facile tibi credo, quam mihi ipsi. Quod verò honos ipse magni estimandus sit, disputas tu quidem & ornate & subtiliter. Sed, crede mihi, alia erant potiora, quae quidem ego magno animo eram persecutus. Nunc vereor ne me ipso factus inferior sim. Sed si erit locus Deo inseruendi, nauandeq; Reip. fortiter atq; constanter, maximo me honore affectum arbitrabor. Quod quidem aut hoc optimo prudentissimoq; Pontifice gubernacula tenere sperandum est fore, aut nullo alio. Quotus enim quisq; in hunc altissimum honoris & dignitatis gradum iam dudum sublatus est, cui Resp. fuerit cordi? Sed hac Deus viderit, cuius potestate & arbitrio reguntur omnia. Te ego amo, vt debeo, meq; à te amari vehementer opto. Imprimisq; id cupio, vt de meo optimo animo et voluntate erga te persuasissimum tibi habeas. Vale. Roma. XIII. Idus Ianuarij, M. D. XXXVII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. FRAN.
cisco Bellencino Mutinensi, S. P. D.

Avdieram saepe ex Paulo meo, qualis tu vir, & quam mirificè deditus liberalioribus studijs esses, ad quae abiure Ciuile, in quo eras multis iam annis cum laude versatus, etiam curam omnè animumq; transulisses. Quod quidem erat apud me animi ingenij & praestantis indicium. Sed crede mihi, tua litera non mo

Ad confirmarunt opinionem de te meam, verum etiam
 auxerunt. Ita enim perfecta atq; elaborata in omnem
 partem sunt, vt statuere satis non possim, vtrum elegã
 tius scriptas putem, an amantius: ita omnia in illis et in
 genij luminibus, & amoris sunt lita. Ex quo gratulari
 mihi in mentem venit communi patriæ, quæ tot inge-
 nia ex sese, et talia effert in hoc tempore, vt artium eam
 optimarum tanquam officinã quandam esse videamus.
 Quare quod mihi eloquentia laudem tribuis, feci equi-
 dem quod in me fuit, vt digitum intenderem in eam vi-
 am, per quam ad summum humane dignitatis gradum
 perueniri posse sum arbitratus, primus hanc ipse, aut
 certè cum paucis inirem. Sed nunc tam multi tato cum
 studio in eam se iniiciunt, vt mirabilis concursus sit. In
 quo ego æquisimus spectator aliorum laudis, multos
 partim antecedentes iam me, partim etiam consequen-
 tes, mira cum voluptate conspicio, saueoq; impensius
 bonis ingenijs. Quo in numero cum te vel imprimis cõ-
 stituam, debes existimare, gratum mihi accidisse istud
 studium quod prætefers, & colendi (vt tu ais) & dili-
 gendi mei. Nam quod honorem mihi hunc nouum gra-
 tularis, agnosco benevolentiam tuam: sed magis iure me-
 diusfidius illam pristinam meam vitam mihi esses gra-
 tulatus: quæ ego beatiorẽ aliam nunquam iudicavi re-
 periri posse. Vt nunc res se habet, quando in hunc locum
 euectus sum, dabitur opera à me Deo bene iuuante, vt
 noster honos neq; inutilis Reip. nec bonis & doctis vi-
 ri infructuosus sit. Quibus quidem si non re & fortu-
 na, at opera certè & voluntate non deero. Nullumq;
 Cc maius

maius premiū me asecutū esse putabo, q̄ si facultatē e-
ro nactus, bene de illis quacūq; ratione p̄merēdi. Tu vt
vales, nosq; diligere pergas magnopere à te peto. Va-
le. XII. Cal. Aprilis, M. D. XXXVII. Roma.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Petro Bembo S. P. D.

R Eddita à te breui tempore epistola mihi sunt dua,
quarū in vna honori nostro amicissimē gratulari.
altera habet defensionem facti nostri, ita accuratā &
grauem, vt summus in ea amor tuus cum singulari pru-
dentia certare videatur. Sic enim occurris omnibus du-
bitationibus nostris, sic omnia quae contra dici possunt,
rationibus tuis diluis atq; refutas: vt animus noster am-
biguis antea & vacillans, metuensq; ne quid admiffi-
set in sese, quod à reliqua via me videretur discrepa-
re, tua nūc autoritate firmior, & in suscepta ratione
constantior multo factus sit. Quanquam illa gratissi-
ma omnium ad consolandum est ratio: si mihi in hoc lo-
co constituto, tribuerit fortuna facultatem bene de bo-
nis & doctis promerendi: hoc si contigerit, cetera mo-
deratē feremus. Nam quod ad ipsum me attinet, nō s̄
existimare, mi Bembe, non me aliquantum animo com-
moueri, cū considerem qui fuerim, quā beatē, et q̄
meum ad arbitrium olim vixerim. Nunc autem ex illis
amplissimis atq; amcēnissimis libertatis spatijs, in bre-
uem gyrum seruitutis sim redactus: praesertim cū hic
etiam honos non maiorem modō virtutem et sapienti-
am, quā mea est: sed longē opulentiorem fortunā re-
quirat & postulet. Sed quoniam tuis praeceptis con-
stant.

stantia animi suscipienda est, & mollicies abijcienda, finis sanè in omni huiusmodi perturbatione sortes. Nostram perpetuam benevolentiam inter nos, amorèq; incredibilem ac singularem quo coniuncti sumus, equidem à mea parte tueor, tueborq; diligētissimè, citiusq; à vita deserar, quàm vt is vllum vnquam detrimentum apud me vel minimum patiatur. Tu vt eodè animo erga me sis, quo semper fuisti, non equidem te rogo: (nō enim vereor vt secus facturus sis) sed tamē nescio quo pacto, vt optem mihi in mētem venit. Vale mi charissime atque humanissime Bembe. XV. Calend. Febru. M. D. XXXVII. Ex Vrbe.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Andræ Alciato S. P. D.

Plenas amoris atque officij tuas accepi literas: quæ & quodam profecta à te, & quodam amicè atque eleganter erant scripta, plurimum mihi voluptatis attulerunt. Gaudebam enim Alciate tibi tali viro honorem nostrum probari: quo cum iuncta quidem est repentina propemodum totius vitæ commutatio, & ea mihi molesta, nisi interdum sollicitudinem animi mei doctissimorum hominum atque amicissimorū, cuiusmodi est tu gratulatio & lætitia leuaret. Etenim scis ipse profecto, quam vitam antea viuere eram solitus, quàm beatam, quàm liberam, quàm omnibus ijs fluentem rebus, quæ iucunda hominibus in vita accidere solent. Quibus omnibus nunc carere est necesse, longèq; diuersa & studia & instituta sequi. Sed si hoc mihi vni incommodum, ceteris fortasse vtile, ac Christianæ impri-

mis Reipub. futurum est, vt tu suauissimè atque aman-
 tissimè anguraris: subeat omne onus, & cuius iugo
 ceruices subdantur. Quanquam nil video esse in me a-
 ptum publicis commodis, præter bene et rectè facien-
 di voluntatem: que mihi quidem nunquam aberit. Est
 enim nõ cura mea aliqua, sed diuino in nobis beneficio
 innata, que si sola, & eis nuda præsidijs que ab inge-
 nio et prudentia suppeditantur, potest quicquam pro-
 desse rebus communibus, opera quidem mea non deside-
 rabitur. Cetera in potestate Dei erunt, ad quem nos
 omnia sumus relaturi. De te verò mi Alciate, nunquã
 dubitavi quin summam lætitiã effes capturus quacũ
 que ex re, quam mihi honestam & vtilem fore arbitra-
 reris. Noui enim animum tuũ tum propẽsum erga me,
 tum suapte sponte bonis omnibus fauentem. Neque id
 me primum litera docuerunt, sed hæc tamen iucunda at-
 que grata quòd testos extiterunt, non beneuolentia so-
 lum, verũ etiam memoria mei tue. Quas ego legens
 videbar tecum loqui. tanta in illis suauitas, tantaq; de-
 claratio amoris tui erga me inerat. Quare te etiam o-
 ro, vt interdum ad me, cùm ocium tibi erit, scribere ne
 grauere. Ego quod mee voluntatis in te proprium est,
 sic te statuere, & tibi persuasum esse volo, qui te plu-
 ris quam ego faciat habere te neminem. Quamobrem
 quicquid ego sum, aut esse vnquã potero, totũ tibi cõsi-
 das et tuis cõmodis paratũ. Vale. XIII. Calendarum
 Februarij, M. D. XXXVII. Ex Vrbe.

IAC. SADOL. CARD. S. R. E. RO-
 mulo Amasæo S. P. D.

Non

NON erat opus mecum tot vti excusationibus: non enim vnq̄ dubitavi quin tu me diligeres. Sed tamen in te quodammodo excusando cum adhibuisti nō mediocrem diligentiam, simul et illud, quanti tu me faceres, ostendisti. Quo ego tuo vel de me iudicio, vel erga me animo mirificè delector. Virtutē tuam, quā amabam & excellens ingeniū, quo es preditus, totum expressum vidi in tuis literis: quibus mihi elegantius nec eruditius legi à me potuit. Omnino egregie suslines nomen q̄ adeptus es. De quo tibi nō minus gratulor, quā tu honori meo es gratulatus. Cui ego honori vtinā par esse possim, vt ne obruar expectatione eorum, qui magna à me postulent, & maiora quidem, quā queã prestare. Sed in hoc misericors Deus nos adiuerit. Ego te diligo Romule, & de tuis virtutib. honestissimè sentio: meq̄, vicissim cupio à te amari, paratus, si q̄ d' fortè vti opera mea volueris, ea tibi prestare, quæ ab amicissimō homine iure expectanda sunt. Pompilium tu hic saepe video, eiusq̄ probitate, et ingenio, ac in me ipsu nō obseruantia sum in opere delector. Vale Romæ.

IAC. SADOL. S.R.E. CARDINAL. A
chilli Bocchio Bononien. S. P. D.

NVLLA fuit antehac mihi tecū familiaritas. Verum literæ tuæ, quas proximè ad me misisti, eam inter nos beneuolentiam conciliauerunt, quæ instar antiquæ necessitudinis haberi possit. Ita patuit mihi animus tuus, & vera visa est gratulatio, quæ ab optimo animo profecta est. Itaque te planè existimo hoc honore nostro vehementer esse latatum. Qui quidem honos vti-

nam sit eiusmodi, ut ex eo ego, & Christiana Reipub. (sicut tu sanctissime atque amicissime optas) prodesse possim, & doctis una & probis viris, in quos mea semper fuit propensa & est voluntas. Sed vereor ne quod pie volo, id re prestare minus idoneus sim. Non enim ea virtus in me, neque ea est doctrina, quam tu sortasse arbitraris. Sed cum ad prepotentem Deum et tu omnia referas, & ego ad eundem confugiam: spes est, si nobis fauerit, fueritque adiuuero, aliquid aliquando nos effecturos esse, quod ad illustrandam ipsis gloriam, & ad aliquod commodum Reip. pertineat. Verum hoc, ut illi fuerit placitum. Ego & gratulationem tuam gratissime accipio, & te in suscepta erga me benevolentia cupio permanere. Quod ut constantius facere debeas, pari ego te compensabo voluntate. Vale. Idibus Ianuarij, M. D. XXXVII. Roma.

IAC SADOLETUS CADINA. LA-
zaro Bonamico S. P. D.

Binas abs te acceptis commendatitijis literis, ijs quos mihi commendaueras, & vultu & verbis ostendi, quantum valeret apud me tua commendatio. Atque illi cum adissent me primo, responsurumque tulissent, tua me causa omnia quae ex me vellent, libeter esse facturum: cum reuersi postea non sunt. Credo, quod me vidissent, & sese noscendos mihi obtulissent, satis putasse impraesentia se esse consecutos: redituros, cum opus fuerit. Tu vero ita constitue de me, & tibi ita persuade, quicquid tu agere causa contigerit mihi, id gratius mihi semper futurum, quam tibi ipsi. Secuta sunt postea tua gratu-

latorie litera, qua Deus bone eloquentia? qua copia,
 quibus ingenij, et amoris refert & luminibus? qua cum
 mihi redderetur, casus interuenit mirificus. Eramus e-
 nim in senatu, et prope me amplissimi viri Contarenus
 & Polus: à quibus lecta, laudataeq; mirabiliter. Farne-
 sio lectissimo adolescēti deinde sunt tradita, qui postri-
 die domum mihi eas remisit. Ad eas quemadmodum de-
 beam respondere ego planè ignoro. Video enim te tan-
 tum permittere amori, vt ex iudicij tui, alioquin recti
 & boni, regionibus, non parum egrediaris. Tūne tanti
 me facis, et vsq; eò de me bene existimas, vt statuas ma-
 gnum aliquod ex me commodum Christiana posse eue-
 nire Reip. Vtinā hoc ita esset. Essem enim & fortuna-
 tior mihi ipse, et certè amic⁹ tibi ornatior. Quid enim
 est quod magis cupiā in vita, quàm huic tali tuo de me
 iudicio satisfacere? Quòd si tu de voluntate mea ita iu-
 dicas, nihil profectò falleris. Sin aut de facultate: quid,
 quaeso, tantum est in me virtutis & sapientiae, vt huic
 muneri obeundo egregiè aptus sim? Sed tamen cum vo-
 luntas saepe si acriter sit incensa, inuenire sibi viam ad
 res gerendas possit, dabo equidem operam, vt si non o-
 mmīno, at aliqua ex parte opinioni tua industria mea
 respondeat. Quòd de Paulo Tertio optimo maximoq;
 Pontifice & sentis praclare, & praedicas: certè mi La-
 zare nouum hoc exemplum à praestantissimo Pontifice
 in Remp. introductum est, vel renocatum potius ex i-
 pso more maiorum, & longo interuallo repetitum: vt
 in mandandis honorib. non gratia, sed virtutis ratio ha-
 beat. Quod in meis Collegis maximè patet. Quis e-

nim est eorum non singularibus atq; eximijis virtutibus ornatus & præditus? quorum ego numero vtinam adscribi dignus essem: constaretq; in me summi Pontificis iudicium, sicut in alijs constitit, qui item ab eo sunt in hunc amplissimum ordinē adlecti. Sed (vt dixi paulo antè) hoc diligentia vtar maiore, quò ingenio imbecillior sum. Tibi porrò quid ego scribam? nisi et agere me tibi gratias, qui tantopere meo honore gauisus sis, pristinumq; tuum amorem erga me, omni mihi tempore probatum & perspectum, hac etiam in re totum exposueris atque ostenderis: & tibi polliceri, meam illam beneuolentiā, qua te semper mirificè sum complexus, non modò stabilem & saluā consistere apud me, sed factam etiam, quā anteā, aliquantò auctiorē. Siquidē magna ex parte spes latius traducendæ vitæ in hoc ipso honore, qui mihi cateroqui grauem seruitutem affert, in eo mihi posita est, si amicis & familiaribus meis, in quibus tu principem penè locum obtines, & lætitiæ potero esse & commoditati. Vale. XV. Calend. Februarij. M. D. XXXVII. Romæ.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Augustino Beatiano S. P. D.

ELegans tuū carmen mira quadam suauitate me demulsi: vel propter lumina ingenij, quæ in eo multa extant: vel ob memoriam nostræ mutua beneuolentiæ dulcissimæq; consuetudinis, quæ nunquam mihi quidem ex animo lapsa est, sed nunc grata recordatione repetitur. Quòd gaudeas honore meo, non mihi nouum est, neq; inopinatum: eodem enim tempore tuo ipsius ho-
nore

nore lataris. Quid enim est amicitia, nisi communio rerum & secundarum, et aduersarum? Vtinam modò hæc secunda sint, per quas auulsum me à rebus mihi iucundissimis vò leo. Sed si quid hic boni erit, in eo inerit, si et Reip. & amicis ego vsui potero & ornamento esse. In quo dabo utiq; operam, ut quæ didici in otio, in negotijs expromam. Potestas modò detur agendi aliquid, & sit viro dignum, meam constantiam & studium non desiderabis. Ego tua gratulationi ago gratias: maximeq; opto, ut eadè qua fuissti erga me voluntate, semper sis: de meq; ita cõstituas neminem te habere, in amore tui superiorem me, paucos pares. Vale. Romæ.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDINALIS Lilio Greg. Gyraldo, S.P.D.

GRata mihi tua litera, testes tui perpetui erga me amoris, qui semper mihi iucundius accidit. In quibus quòd honori meo gratularis, agnosco eandem benevolentiam tuã: & in eo etiam magis, quòd me existimas alicui vsui fore Christianæ Reip. quod vtinam ita eueniat. Non enim tum me beatiorem vitã amisisse existimabo, quæ mihi in otio & tranquillitate posita erat: si aliqua via operis & negotij, eandem beatitudinem potero consequi. Non enim minus ad felicitatem labore honesto, quàm quiete animi peruenitur. Cuius facultatis si dederit mihi Deus occasionem, nõ committam, ut frustra quisquã meam operã, et officiũ boni viri videatur requisuisse. Te cupio valere, et me à te diligentiã opto, sicut ego quidè te diligo: quod re tibi declarabo, si acciderit, ut aliquando possim. Vale ex Vrbe.

C C S IAC.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Hieronymo Vidæ Albæ Episcopo, S.P.D.

GRatissima mihi fuerunt litera tua: qua & veteris
 nostra amicitia memoriam mihi renouarunt et de
 clararunt, in te non parum adhuc amoris erga me ipsum
 residere: quo mihi nihil optatius, neq; iucundius acci-
 dere potuit. Nā cum te semper ingenij & virtutis tua
 causa plurimū dilexi: tum verò optaui vicissim diligi
 à te. Id rectè existimans, coniunctionem tecum meam
 mihi magno honori semper fore: quod tuum de quoque
 homine iudicium in vtrang; partē magnam vim habe-
 ret. neq; solum impraesentia honorificum existeret, sed
 illucesceret in omnem etiam posteritatem. Quanquam
 hæc quæ notissima sunt, noua cōmemoratione mea non
 indigent. Venio nunc ad gratulationem tuam, quæ mi-
 hi magis propter animum tuum propensum & beneuo-
 lum erga me, quàm propter rem ipsam, de qua gratula-
 ris, iucūda extitit. Gaudeo enim à te tali viro honorem
 meum comprobari: ipso autem honore non tantopere
 delector. Qui etsi magnus, & expetendus omnibus vi-
 detur: mihi tamē boni multò plus abstulit, quàm dedit.
 Abstulit enim otium, quietem, libertatē. Alia quadam
 reddidit, quæ nequaquam cum illa felicitate prioris vi-
 ta, meo quidem iudicio, erant comparanda. Sed quo-
 niam oppressi subitò optimi Pontif. beneficio, spatij ad
 consulendum ac deliberandū nihil habuimus: pareamus
 sanè Deo, qui nos huic subiectos oneri esse voluit. Illud
 tamen curemus, in eoq; elaboremus, vt quoad vires no-
 stra ferre poterunt, hæc nostra dignitatis accessio,

Chri-

Christiana Reipub. & huic sancta Apostolica sedi possit esse utilis. Quod conabimur quidem certè. Quantùm autem prestare efficereq; possimus, id iam ad Deum ipsum referendum totum est: qui faciat nos idoneos ministros suæ voluntatis. Sed de his satis. Ego te doctissime Vida & amavi semper, vt paulò antè dictum est, & tuo præstantissimo ingenio, eximiaq; doctrina plurimum tribui. In qua etiam nunc & opinione eadem sum, & voluntate. Tibiq; hoc de me esse persuasum volo, si quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio esse arbitraturum. Tu vt valeas, & me vt diligas, magnoperè à te peto. III. Februarij, Roma.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. GERMANO Brixio S. P. D.

Semper hoc ferè euenit in tuas literas, mi humanissime Brixii, vt longo interuallo postq; à te data sunt, ad me illa perferantur. Velut has, quas recēs acceptas, plenissimas amoris, humanitatis, officij, summa cum voluptate perlegi. Scripta enim à te XIII. Calen. Februarij, octauo Idus Martias mihi sunt reddita. Credo, vt quò suauiores mihi & iucundiores sunt, hoc me diuturniore expectatione torqueant. Sed nihil agit fortuna: cum enim tuas literas non habeo, neque lego, tui tamen memoria cogitationeq; delector: quæ ita mihi in fixa est intimis in medullis, vt auelli nõ possit. Neq; verò ego fructũ in vera amicitia, qualis profecto nostra est, esse vberiorẽ vllum puto, quàm habere amicos animo suo præsentem, quos locorũ lōginitas ab oculis distrahit.

straxit. Hoc ego in te cum faciam assidue ac per dilige-
 ter, quod te idem in me facere arbitror: vtrinq; videor
 mihi consequi, vt neq; crucier tuarum literarum desi-
 derio: & cum eas accipio, vehementissimè gaudeam.
 Itaq; quibus queso, putas me elatum esse letitijs, cum
 eas legerè quas proximè accepi, copiosas, graueis, sua-
 uissimè atq; ornatissimè scriptas: quodq; pluris est quàm
 cetera omnia, ea indicia amoris præ se ferentes, vt iam
 non beneuolentiã erga me tuam videar agnoscere, sed
 singularem quandam atq; eximiam charitatē? Quid
 enim prætermissum est in declarando amore tuo erga
 me, cum vel tantum te honoris nostri accepto nuntio la-
 tatum esse scribis, quantum vix alius quisquam? vel de
 me ita laboras, vt cum extimescas (timidus enim solet
 esse amor, præsertim in viris prudentibus, & circum-
 spicientibus omnia) ne meus hic mihi honos animū cō-
 mutet, aliamq; personam, tanquã in scena, induere me
 faciat hoc extremo iam vitæ meæ actū, atq; à princi-
 pio indutus fuerim: non solum monitis, sed precibus et-
 iam agis mecum, vt me eundem præstare studeam in
 celebritate, qui fuerim in frequentia: & quem Roma-
 na ambitio florentiore etate nō mouerit, eadem desfle-
 xa iam, & penè exacta, ne moueat. Fateor hoc tuum
 consiliū, prudens, & imprimis fraterni animi à me exi-
 stimari. Sed tamen mi Brixii, res longè aliter se habet,
 ac tu suspicatus es. Non enim mihi adhuc videris perspi-
 cere, qui sit status causæ meæ, & quàm mihi hac ampli-
 ficatione dignitatis (sic enim populus fortasse existi-
 mat) non modò non letandum, sed etiam dolendū esse
 putem:

partem: qui à verè beata et plena incunditatū vita, me
 hac inani specie, graui ea quidem & molesta certè, di-
 strahi sim passus. Quanquam non ego ita sum passus,
 vt me a quo animo duci permiserim. Sed cū ignarus
 omnium & nihil minus cogitans, nocte ea primū qua
 antecessit comitia, certior Pontificis voluntatis ipsius
 nuntio factus essem, nec temporis haberē ad deliberan-
 dum satis: animo autem incredibiliter astuarem, quòd
 neq; res tota admodum mihi placebat: et tamen tantā
 voluntatem Pontificis optimi erga me, illudq; quod de
 me faciebat iudicium repudiare atq; aspernari super-
 bum existimabam, detuli rem ad amicos, non tam qui-
 dem de re, vt sententias illorum exquirerem, (eram e-
 nim prorsus ad recusandum paratus) quā vt recusan-
 di modum honestiorem quærerem: quē ego animo per-
 turbato videre satis non poteram. Maxima autem affi-
 ciebar cura, vt me ita gererem tractaremq; in recusan-
 do, vt & iustam penè iracundiam optimè meriti de me
 Pontificis ex repudiato illius beneficio, & famam stul-
 titia ab omnibus hominibus vitare posses. Atque hic
 illi qui à me consulti sunt, cū me grauius increpui-
 sent, quòd resistere conarer vocanti me Deo: cuius ego
 consilium & voluntatem sequi deberem, etiam si quò
 illa tenderet minus perspicere: cumq; sanctissimum
 mihi Reipublice Christiana nomen opponerent, neque
 concederet villo modo, vt meas priuatas rationes ante-
 ponerem publicis: fecerunt, & ego è meis pristinis con-
 silijs depulsus, ex tranquillissima vita, & iucundissimā
 rerum omnium libertate, commoditateq; non in hono-
 rem

rem amplitudinemq³, cuius minima cura mihi semper fuit: & si vlla fuisset, non difficile fuisset superioribus temporibus eade hæc assequi, quæ ego tu sponte libensq³ fugi: sed in durissimam (vt ego intelligo) seruitutem prudens ac sciens cõijci me sim passus. Quæ ego iccirco ad te scribo, quòd tu, qui vtrang³ vitam nosse deberes, & quid intersit huic ab illa optime callere, quippe qui vtraque es expertus: addo etiam, cum tantum ingenio valeas, tantum literis atq³ doctrina: cumq³ probitate & religione erga Deum sis admodum præditus, eosq³ fructus ex te quotidie ingenij & studiorum tuorum jeras, quibus nihil dulcius neq³ vberius sentiri possit: debuisti (vt mea opinio fert) potius ad me consolationem mittere, q³ gratulationem: hortariq³, vt ferrem forti animo, quòd tot suauitatibus pristina vita, eiusdemq³ multò beatioris, essem priuatus. Nã vt tu scias, quòd iuratus tibi confirmo, vixisse ego mihi videor, nõ iam amplius viuere. Non enim appellanda vita est, quæ tota ad alienum arbitrium ita degenda est, vt nihil tibi liberi, neq³ vacui tẽperis ad animo obsequendum tuo relinquatur.

Quanquam potest ea quoque habere suas partes voluptatis ac lætitiæ, alio tamen ex genere: si vsus fortè veniat, vt seruire Reipublicæ & satisfacere præpotenti Deo, & agere aliquid dignum viro possis: studiumq³ tuum ac industriam, adde etiam autoritatẽ, si placet, in vtilitatibus publicis collocare. quo genere actionum maiores nostri sanctissimi homines, maximã sibi apud homines laudem, apud Deum gratiam gloriamq³, comperauerunt. Quorum ego vestigijs insistere, factaq³

imita-

imitari sum opere cupio. Quanquam ceteris rebus omnibus longè impar, (agnosco enim imbecillitatè ipse meam) sed nemini tamen studio & voluntate cōcedo. Itaq; hac mente nouam hāc viuendī viam sum ingressus, vt me à libera, vera, honestaq; sententia, nihil vnq; omnino deflexurum sit. Sed studia interea nostra, mi-Brixi, quo abierunt? illa inquam studia, in quibus & tu indicas, et ego sentiebam, beatam verè vitam esse repositam? In hac tu vita sollicita fortuna, & misera propè dicam conditione rerum, etiam vereris, ne quid arrogantia mihi aut durioris ambitionis obrepat? qui sum quàm antè fui, multò abiectior, & mihi metipse vehementissimè displiceo: habeoq; iam nihil in quo libenter acquiescam. Sed etsi hac omnia ita sese habent, amorem tamen tuum valde exosculor: tibiq; de prudētibus monitis tuis atq; consilijs gratias ago, habeoq; pignus animi erga me tui. Nisi enim me summè diligeres, nunquam tantum de me curarum ac sollicitudinis suscepisses. In quo mihi præsististi id quod frater debet fratri, tamen si in nostra coniunctissima voluntate & amicitia, cum fraterna ipsa charitas, tum omnia sanctarum necessitudinum nomina inclusa sunt. Quam quidem ego amicitia et meam perpetuam beneuolentia erga te, sanctè semper atq; inuiolatè conseruaturus sum. Tu vt idè aduersum me facias, etsi minimè rogandus es (quid enim te fieri potest constantius?) tamen consuetudinis causa, te mi doctissimè Brixi enixè atq; vehemèter etiam atq; etiam rogo. Gratissimum quoq; mihi feceris si eos omneis præsistantes viros atq; doctos, qui tibi de nostro

nostro honore gratulati sunt, meis verbis saluere pluri
mū iusseris. Vale, et scribe ad nos q̄ creberrimè. Ex Vr.

IAC. SADOL. CARDINALIS FRID.

Nauseæ S. P. D.

Cum propter diuturnam absentiam meam ab hac Vr-
be, nimis mihi noti essent docti atq; insignes viri,
qui in ista Germanica natione florent: atque ego nu-
per Romam euocatus à summo Pontifice præter omnem
etiam expectationem meam, in hunc sacrum ordinem
S. R. E. Cardinalium adscitus essem: accepi tuas liti-
ras, plenissimas amoris, humanitatis, officij: quarum le-
ctione mirificè delectatus (erant enim & piè & ele-
ganter scriptæ) consului Antistitem Brundusinū, quod
is diu in istis locis versatus est, hominem, ut tute nosti,
summi iudicij, optimi animi, excellentisq; doctrina: at-
que cum de te accuratè percōtatus sum, qui mihi ea de
te narravit, tuasq; egregiæ virtutes tot apud me lau-
bus profecutus est, ut nō solum tibi rescribere, sed gra-
tius etiā agere, quod prior ad me scripseris, debere me
confitear. Quid enim mihi optatius, quàm adipisci bo-
norum beneuolentiā, vel ipsorū humanitate, vel meis
studijs atq; officijs erga illos, conciliatam mihi atq; pa-
ratam? Quod quoniam mihi in te, atq; adeo per te con-
tigit (non enim vlla merita antecesserāt erga te mea)
crede mihi, mi Nausea, ad te amandū non mediocriter
sum accensus. Facit enim apud me hoc virtus, ut quod
in cæteris vsus & longa effecit consuetudo, ea repente
me ad eos in quibus ipsa me est, diligendos alliciat. Atq;
ego, qui ad instituendas cum bonis amicitias promptus
&

& facilis sum, idem in eis tuendis soleo esse constantis-
 simus. Quare sic tibi volo esse persuasum, omnia offi-
 cia, quæ ab amico vetere, & multis in rebus probato,
 iure expectari possunt, tibi & esse à me, & fore semper
 parata: quem admodum re ipsa, si vsus venerit, cogno-
 sces. De concilio quod quæris, Pontifex stat in senten-
 tia. Et quanquam permulta sunt, quæ nos hîc retine-
 ant, imprimisq; discordiæ nostrorum principum, at-
 que eius periculi suspicio, quod à Turcis grauius im-
 pendet: quoq; omnia itinera omnibus penè in locis infe-
 sta sunt, vt qui conueniant ad concilij diem futuri non
 sint, præter admodum paucos: sicut & vobis Germanis
 patere ac perspicuum esse non dubitamus: tamen & de
 profectioe Pontifex loquitur, & iam ad iter aliqua
 parare incipit: nosq; sumus moniti, vt expediti ad tem-
 pus esse debeamus. Itaq; puto fore, vt exacto tempore
 ieiunij hinc profisciscamur. Vtinã, mi Nausea, auspicijs
 bonis, hoc est, fauente bonis cogitationibus Deo: quan-
 quam ille quidem semper ijs fauet. Sed tamẽ multa mi-
 hi veniunt in mentem, quæ tibi item venire certò scio,
 quamobrem de toto exitu rerum timendum magis mi-
 hi, quàm sperandum esse videatur. Etenim partim mo-
 res hominum, partim etiã maiorum opiniones ita cor-
 ruptæ sunt, vt medicinam nullam salutarem inueniã,
 præsertim exasperatis animis & aduersus verum con-
 tumacibus. Quod tu malum, quoniam istic es, & ab er-
 rorum fontibus propius abes, facilius potes & senti-
 re, & noscere. In quo tua quidem præstans atque exi-
 mia laus elucet: quod vir doctissimus, idemq; conciona

tor eloquentissimus, recta semper firmāq; tenuisti summi Dei, & sancta ac Catholica religionis vexilla: quo etiam nomine ego tibi plurimum debeo. Habes de cōcilio sententiā meā: quod si tu mihi scripseris, qui sint habitus animorum apud vos: & quid illic agant, & moliantur, qui nouitates, & dissidia in fide Catholica quaerunt: et sint ne ad equitatem animi modestiamq; parati, necne sint: cū nos certè equi, & faciles ad obsequendum, & indulgendum, quo ad recta perscribet ratio futuri simus: dabis mihi materiem saepius ad te scribendi. Quod quidem & libenter, & studiosè faciā: tecumq; hanc societatem libentissimè inibo, ut ambo & coniunctè, & pro sua parte vterq;, huic tanto incendio, quantum nobis datum fuerit, subuenire studeamus. Sed iā de his satis. Tua mei honoris gratulatio gratissima mihi est, proficitur enim ab optimo animo, et studiosa mei voluntate: q̄ ego potiorē ipso honore duco. Nā honor saepenumero temerè à fortuna datur: talia autē studia talium virorum, qualis tu es, assequi solius virtutis est: cuius ego fructum ceteris rebus omnibus antepono. Vale. VIII. Calend. Martias M. D. XXXVII. Ex Vrbe.

IAC. SADO. CARD. IO. BEL-
laio S.R.E. Cardinali S. P. D.

Litera tua non minus scripta sapienter, quàm eleganter, dici non potest, quàm valde me delectauerunt. Habuerunt enim nō honoris huius, quo nuper affectus sum, gratulationem, (id enim vulgare admodum & quorumuis hominum est) sed quod & tua prudentia ac acutissimè perspexit: & causa maximè postulabat mea,
conso-

consolatione potius mecum es usus. Vidiſti enim omni-
 um hominum ferè vnus, quid mihi extracto ex illo bea-
 tiſſimo ocio, in quo cum omnibus artibus & ſtudijs hone-
 ſtiſſimis dulcis mihi conſuetudo, & commercium erat
 quotidianum: libertate præterea adempta, ad leuandã
 animi mei moleſtiam opus eſſet. Itaq; tuum excellẽs in
 geniũ, quod ego imprimis admirari ſum ſolitus, eo po-
 tiſſimum adhibuiſti, vt lenires dolorem meum, non vt
 augeres lætitiã: qua nulla à me sanè ſuſcepta eſt. Et
 ſi intelligo diuinis conſilyſ eſſe nobis acquieſcendum,
 eaq; res vna ad equitatẽ animi me reuocat. In quo vſ-
 que aded mihi profuerunt litera tua, vt quoniã non da-
 tur mihi tui præſentis poteſtas, illa tuam vicem me &
 conſolatura ſemper ſint, & quem admodum in hoc mu-
 nere me gerere debeam, ad omne tempus eruditura.
 Quanquã, quod tui in me amoris maximum argumen-
 tum eſt, videris mihi tu plus aliquanto tribuere, quã
 ego agnoſcam. Quod me liberè atq; integrè dicturum
 in ſenatu ſententias putas, in eo minimè falleris. Quod
 verò aut mea eloquẽtia (ſic enim ſcribis) aut apud ſũ-
 mũ Pontificem autoritas multum ſit profutura Reip.
 in neutra re video quid aſſentiri poſſim. Nam neq; con-
 ſilio & oratione tantum valeo, quantum fortã eſſet
 opus: & ſi maximè valerem, tamen Pontifex optimus
 & ſapientiſſimus non aliorum conſilio in rebus agendis
 vtitur, ſed ſuo. Sed tamen vt cunq; eſt: ego certè, quod
 partium eſt mearum, neque ſtudio vnquam, neq; fide,
 neq; opera, neque perpetua mea vt rectè omnia agan-
 tur voluntate, Chriſtiana Reipub. deero. Vtinam ha-
 berem

berem te autorem, & moderatorem consiliorum meorum: praclare profectio inter nos conveniret. Sumus enim ambo ab eisdem propè disciplinarum fontibus profecti: tua & dignitas & doctrina longè est illustrior: sed certè animis non difficiles sumus. Verùm hæc viderit Deus, qui nos agit & versat, in quacumq; illi partè est placitum. Ego, mi præstantissime Bellai, de me tibi sic persuadeas volo: cum te antea semper coluerim atque amaverim, ut què maximè nunc in hac nova status mei conditione, amoris meo & observantiæ erga te, potius additum permultum, quàm quicquam detractum esse. Sicut tuam & tuam eximia virtus, & ea qua me prosequeris benevolentia postulat: à te peto, ut eadem sis voluntate erga me, qua esse cõsuesisti. Vale. Romæ M. D. XXXVII.

IAC. SADOL. CARD. IOAN. SALUATO S. R. E. Cardinali S. P. D.

Iam diu nihil literarum ad te dedi: quòd cum non haberem ferme quid scriberem, (quæcumq; enim hic agerentur, ad te perscribi à tuis sciebam) nolui te manibus literis meis obtundere, & me hercule etiam in id cause factus, quòd hoc nouo mihi vita genere à studijs meis abstractus, agrè ad scribendum referre me poteram, & tamen qua quotidie in senatu agerentur, admonitu meo ad te Antonius tuus scribebat: neque ea sanè multa, non isti enim ipse quàm pauca nobiscum communicet Princeps. Nunc prorogata Concilij die, & ea collata in Calend. Nouembris, has ad te duxi dandas esse literas: ut tuas elicerem, atque ex te scirem, quid constitutum haberes: rediturus ne esses ad nos, an istic ubi es, aliòue

quopi-

quopiam loco per aestatem mansurus. Alterum me a cupiditati tuae videndi magis aptum est: alterum tuae forsitan valetudini, cui tamen potius inferuendum est. Salubrem igitur & amœnum locum aliquem tibi deligas censeo, in quo aestatis tempus trāfigas: cum praesertim de nostro aduentu in istaec loca, animo iam possis esse ocioso. Ita enim prorogatum concilij tempus est, ut certus locus nullus ad conueniendum constitutus sit. Id accidit ex ea causa, quod Dux Mantuae concursum tot aduenarum in urbem suam reformidans, hoc (ut scribit ipse) turbulento & suspiciosissimo tempore, Mantuanam se conuentui sine firmo militum praesidio commissurum negauit. De hoc praesidio actum bis in senatu, omniumq; sententijs decretum, nullum omnino militare praesidium esse dandum, ne Lutherani, qui nos suspectos sibi esse nunc simulant, si intra arma & praesidia nostra venturi essent, verè atque ob rem id facere viderentur. Eius igitur loci spe adempta, alius erat nimirum constituendus locus, quod fieri commodè inconsulis Christianis principibus non poterat. Porro cum adesset iam concilij dies, neque ad eam diem de voluntate principum consistere nobis posset, visum est necessariò concilium esse prorogandum. In hanc sententiam discessere ferè omnes. Vna duntaxat Campani sententia, et mea, prorogationem dissuasit, cum videretur nobis plus multò utilitatis in concilio habendo, quam detrimenti in loci mutatione existere. Eligebamus autem ego Placentiā, Campanus Bononiam: ille commodiorem nobis locum secutus, ego Germanis opportuniorem. Ita enim Pla-

centia Casarianis est propinqua, qui armis atq; exerci-
tu in presentia valent, vt abstergere omnem merum
ed aduenientibus Luteranis possit. Et si illi quidem diser-
te conuentu Smalcada habito, negauerunt se venturos.
Vterq; autem nostrum in eo consentiebat, vt quem no-
bis locum non voluntas nostra, sed necessitas offerret,
eum nos non statam concilij sedem, sed diuersorum tan-
tisper vocarem: quoad ibidem de cunctorum consen-
su eorum qui adessent, certum agendi conuentus locum
constitueremus. Altera non mediocri opinionum dis-
sensio: quod ego in vrbe Pontificem retinebam, lega-
tosq; mittendos esse censebam: ille eum ipsum quoque
Bononiam extrudebat. Sed, vt dicebam, nobis frustra dis-
suadentibus, decreta nihilominus est prorogatio. Vti-
nam consilio bono, et prospero Christiane Reipub. euen-
tu: vehementer enim extimesco, ne hac procrastinatio
nostra aliquod magnum malum sedi apostolice pari-
at. Certè enim quos adhuc ex illa propè auersa & alie-
nata natione in officio retinemus, vereor ne amittamus.
Sed nos fortasse Deus benignius iuuerit. Paulum Sa-
cratum sororis meae filium, propediem istuc affuturum
esse confido: quem & fidei commendo & liberalitati
tua: vt quonia semel nos omneis tua beneuolentia com-
plexus es, nihiloq; recepisti te illius rationem, cum affu-
isset occasio, esse habiturum: meminisse velis, nos tibi ita
obstrictos esse, ob tua erga nos merita, vt tu humilitati
ac liberalitati tuae, nos tibi ipsi omnia debeamus. An-
tonius tuus funebrem Christi Domini nostri oratione
in delubro (vt mos est) adium Vaticanarum habuit.

sani

sanè luculentè. Ea nunc oratio versatur inter manus,
et summa cum laude ab omnib. legitur: in quo tui quo
que absentis honorem & memoriam non mediocriter
intelligo versari. Vale. Romæ, M. D. XXXVII.

IAC. SADOL. CARD. REGI-
naldo Polo S.R.E. Cardinali S. P. D.

POST discessum tuū, nihil adhuc ad te dedi literarū,
quòd de publicis rebus acta omnia ad te mitti scie-
bam. De tuis autem nihil mihi nominatim mandaras
proficiscens, quòd me tua causa facere aut sentire oportet.
Quòd si fecisses, benevolentia tibi meam & præ-
stitissem re ipsa, & literis saepe declarasse: etsi ad meum
tibi amorem testificandum, non opus puto esse literis.
Hic nos in magno metu Turcarum assidue sumus: præ-
sidia tamen adhuc nulla, quæ quidem appareant, com-
parata habemus: nisi illud vnu maximum nobis est præ-
sidium, quòd positum est in Principis consilio & sapi-
entia: qui iam sæpius nobis confirmavit, se in communi
tuenda salute, animo excubare. Et tamen arbitror à re-
rum peritis dictum, nisi extremo Sextili mense liberū
ad nos cursum classem habere hostium non posse. Tuos
conatus non eum habuisse exitum quem cuperemus, do-
leo equidem vehementer. Sed hoc equiore sero animo,
quòd ita fore prævideram. Tu modò saluum te nobis
exhibeas, atque restituas: occasiones alia non deerunt,
non enim eundem tenere statum diu possunt, quæ tanto
pere sunt commota. Nos hic in fortuna tenui sustine-
mus tamen onus dignitatis, quoad possumus: rectam ad
bibemus voluntatē, reliqua Deo permittimus. Te am a

mus & colimus, vt debemus, amariq; item abs te cupimus. Tu si quid fortè mihi per literas mandaueris, efficiam, vt te non frustra id fecisse intelligas. Episcopum Veronensem nostrum plurimum meis verbis saluere iubeas velim. Vale. Romæ, 4. Non. Iulij, M. D. XXXVII.

IAC. SADOLETI EPISC.
CARPENTORACTI EPISTO.

LARVM LIBER XI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Georgio Duci Saxonix S. P. D.



Iraberis fortasse, Dux præstantissime, quid mihi ego nunc volens, literas ad te dederim: qui neq; vlla tibi familiaritate coniunctus, nec nomine ipso penè sim notus. Faterer mirandum hoc esse, nisi illud magis mirum futurum fuisset, cum nihil ad allucinandum amorem virtute præstantius sit, si tua virtus insignis & spectata, tuum excellens Christiana pietatis studium, tua religio, non me & iampridè in amorè tui impulisset, & nunc animum tibi meum, quando coram non possum, literis vt indicarem, suaderet atq; hortaretur. Non enim veritus sum, ne tibi ingratum officium hoc meum accideret: nec dubitavi, quin tu, qui virtutibus reliquis excellis, etiã humanitatis, quæ ceterarum decus lumenq; virtutum est, maximas partes feras. Hac spe de te fretus, quod facere sæpe cogitavi, vt & meum amorem tibi pateficerem, & tuum concilia-

ciliarem mihi: id agere nunc aggredior, incensus cupi-
 ditate tecum ineundi sanctissimi illius sœderis, quod
 Amicitiam appellamus: cuius inter nos auspex & con-
 firmator Deus futurus sit, quandoquidem ambo illi pu-
 ro corde, & religione integra seruire cupimus. Etsi
 in hac quidem coniunctione amicitie nostræ, tuam ego
 mihi duntaxat benevolentiam expeto: ea enim mihi
 maximi muneris loco futura est: à me verò tibi non so-
 lum benevolentiam deberi confiteor, sed summam eti-
 am obseruantiam & pietatem. Cur autem in hunc vs-
 que diem dilata sit mea hæc voluntas erga te, & be-
 nevolentie significatio, patere, quæso rationem à me
 repeti aliquando longius: quo & ipse tibi notior fiam,
 & tu intelligas melius quam mente ad scribendum nunc
 sim adductus. Ego cum apud Leonem Decimum Pon-
 tificem Maximum (quod te meminisse aliqua ex parte
 arbitror) honestissimum locum tenerem: atq; illo tem-
 pore exorta essent noua hæc & turbulenta Luterano-
 rum dogmata: aliqua hinc quidem etiam culpa, sed ta-
 men maiore temeritate eorum, qui ab odijs hominum
 ad inimicitias Dei sunt progressi, ut qui essem Christo
 & Christianæ fidei vehementer addictus, sanctumque
 & inuiolate seruandum morem maiorum esse duce-
 rem, maximo ex illis rebus afficiebar dolore: neque
 quicquam vnquam vidi mea in vita tristius, quam il-
 lud factum esse inter nos disidium, quo non religionis
 solum vnitas atque concordia, sed salus tota Christi-
 ani nominis in discrimen vocabatur. Augel at dolo-
 rem meum, quòd multa quoque ab hac parte fieri vide-

*bã parum accommodata temporibus illis . Nam neque
 ea, quæ huic malo apta poterant afferrî remedia , nul-
 la afferebantur : nec vox audiebatur bene monentium
 & suadentium : vt quæ mansuetudine , & à quibus-
 dam rebus abstinentia temperantiâq; poterant vulne-
 ra sanari , ea ne ferro & asperioribus quasi medica-
 mentis inrudescere cogerentur . Excessit è vita Leo,
 breuiq; interiecto Adriani tempore, successit Clemens;
 vir natura bonus, idemque colens recti atque honesti,
 si perpetuò constare sibi ipse, & in consilijs suis manere
 potuisset. Hoc ego Pontifice speravi modum repertum
 iri pacandis disensionibus . Nam & ipse hoc maxi-
 mè agebat, volebatq; : & ego assiduus hortator illi ade-
 ram. Tunc agi cœptum est de conuocandis Episcopis ex
 omni regione orbis terrarum , quorum & doctrina e-
 mineret & integritas , vt eorum quasi opera atq; con-
 silio, sacerdotum mores , qui vehementer videbantur
 esse labefactati, in veterem statum redintegrarentur.
 Tunc cœpta iaci fundamenta sanctius colenda & ser-
 uanda religionis, sacerdotijq; ex sordibus & macula
 extrahendi . Res denique procedere cœperat : cum bo-
 nus, & mitis & religiosus Pontifex, verum idem in
 suis consilijs retinendis aliquantulum imbecillior, quo-
 rundam artificijs , qui nimio plus apud eum , quam
 Principi honestum sit , poterant : in bella & Princi-
 pum inimicitias descendere , & à sanctis suis cogita-
 tionibus desciscere est coactus . Hic ego spe erepta, pos-
 se amplius per me Reipublic. consuli : priuatam autem
 meum commodum , neque in honore , neque in fortu-
 na ad*

na admodum querens, potiusq³ eligens, & Deo, & mihi, & peculiaribus populis meis satisfacere, trans Alpes me meam ad Ecclesiam Carpentoracte contuli, ad tutum etiam singulari Dei beneficio, quod viginti diebus ipsis ante Roma sum egressus, quam clades illa horribilis et direptio huic vrbi incideret. Iam quemadmodum in Ecclesia mea per decem annos manserim, quomodo populos mihi creditos gubernarim, si non religione exemploque prestabili, at animo pio & benivolento cerè quantopere optimis atque honestissimis cum Philosophiæ tum sacrarum literarum studijs fuerim deditus, nil me commemorare nunc attinet, cum nec tua interfit ista intelligere. Illud commemorabo, quod huic tempori magis est appositum: me, cum animo, obfirmato constitutum haberem, nunquam amplius abiire ex eis locis, in quibus essem Deo quasi consecratus, nec stationem illam relinquere, in qua me volens ipse libensq³ collocassem: coactum tamen concilij nomine, & binis huius sapientissimi et optimi Pontificis literis ad Urbem me euocantibus, per causam qua erat scripta, ut tractarentur antè et deliberarètur ea, qua mox in Concilio agi expediret: & ut morum ecclesiasticorum honestati ac decori consuleretur, Romam reuertisse, merentem quidem & inuitum, si spectentur cætera hoc vno me consolâtem, quod tanta causa Dei omnipotentis pro mea parte nō adesse, alienum mihi ab officio & pietate Christiana esse videbatur. Vent igitur, & imperio parui, atq³ ibi paucis illis diebus cum essent comitia augendo numero S. R. E. Cardinalium facta,

facta, ego quoque infcius, & nil tale cogitans, iudicio tacito Pontificis Max. in amplissimum ordinem cooptatus sum. Habes seriem & rationem rerum mearum gestarum. Nunc ad ea quæ principio mihi fuerunt proposita reuertar. Ego Georgi clarissime & optime, cum semper tuum nomen, tuaq; fidei Catholica propugnatio, iam inde ab initio temporum & dissensionum illarum omnibus in ore & in sermonibus esset, celebrarenturq; aures quotidie mea tuorum dictorum, factorum, consiliorumq; ad vnitatem concordiamq; spectantium nuntijs & fama: cumq; & splendorem nobilitatis tue intuerer, & reliqua in te cognoscere nobilitati paria: illam autem constantiam, & virtutem, & magnitudinem animi tui vel imprimis semper essem admiratus, q̄ in tantis Germania motibus, tantis defectionib. eorum qui excursum et licentiã suis cupiditatib. queretes, sobriū illum et abstinentē morem maiorum aspernabatur passim et reijciebant, quorum etiã nonnulli honoribus tibi et propinquitate erant coniuncti: tu tamē perpetuo in optima ratione constans, et in sanctis consilijs fortissimus extitisses: tantã iã tunc erga te amoris obseruantiaq; suscepi, nihil vt vehementius cupere, quã aliquo tibi factō meo posse, aut dicto, incredibile animi mei studiū declarare. Fecit autem discessus meus, et longum absentia nostra interuallū, vt minus adhuc id agere, moreq; in eo mihi ipsi gerere potuerim. Nunc autē non modo retractus in hanc Urbē, quã sponte prius reliqueram, verū etiam in eo honore hoc munereq; affixus cum mandā mihi posthac in hac senatoria quasi

vigilia esse intelligam, tempestiuum duxi, scribere ad te: meq; ipsam totum tradere tibi, atq; dedere. Itaq; omni studio animi mei te rogo, si amor, si officium, si obseruantia erga te mea, si par atque idem in vtroque nostrum sensus, & religionis tuende sancta conspiratio, si deniq; amicissimi et beneuolentissimi hominis voluntas, in tua illa nobilissima mente, omnibus ornata, et virtutis & humanitatis laudibus, locum reperire sibi aliquem ad animum tum mihi conciliandi potest: Primum, vt me in amicitiam tuam recipias. Deinde, quoniam nihil mihi magis est propositum, quam fidem meam & operam Deo omnipotenti dicare, consilijs etiam tuis, & monitionibus iues: mihiq; significes, quid tibi per me agi suscipiue posse, ad subueniendum his afflictis rebus, & perturbatis temporibus videatur. Polliceor enim tibi, si ad me interdum scribere, et tui consilij prudentiam mecum communicare volueris, me effecturum, vt appareat nullus vnquam hominis autoritatem apud quemquam plus valuisse, quam apud me tuam. Quod hoc fidentius tibi promitto, quod cum habeamus summum Pontificem nil aliud cogitantem dies & noctes, quam quo pacto ista, quae dissijs & alienationibus animorum distraeta sunt, in vnum rursus quasi corpus coalescant: eundemq; consilio & sapientia singulari: hoc tanto munere Dei immortalis, ad commune bonum Christiani nominis, omnibus vti nobis licebit. Extremum illud est: quod fidelis beneuolentiae est proprium vt omnia mea tibi officia ac studia, omnemq; quae tula ea cumq; est in me, autoritatem deferam atq; pollicear. Proinde scito, nullo me

abs

abs te maiore affici beneficio posse, quam si occasionem mihi dederis in tuis & tuorum commodis atq; honoribus operam, curā, laboremq; omnem meum in hac urbe & curia ponendi atq; impendendi, si quid scilicet acciderit, in quo amici tibi hominis diligentia requiratur. Et si enim qui maioribus opibus, amplioreq; gratia tibi affuturi sint, multos habiturus es: tamē qui pari amore ac studio id agat, habebis profectō neminē, sicut tamen eadē probitas tua prestans & admirabilis, meūq; perpetuum de tuis maximis virtutibus iudiciū, requirit & postulat. Vale. Romæ. 14. Cal. Iulij. M. D. XXXVII.

IAC. SADOL. CARD. GEOR-
gio duci Saxonix, S. P. D.

QVod nō tam cito tuis literis rescripserim, præsertim tam accuratē, tamq; prudēter scriptis, ignosce (quaso) mihi. Non ea mea fuit culpa, sed cū emergere cōpissē ex graui morbo, quo quatuor penē mensibus oppressus, periculum vitæ non semel adij, allata ea mihi sunt, meq; summa & incredibili quadam voluptate affecerunt. In eis enim non solum recognoui tuā pristinam virtutem, et sapientiam, quā semper antea sum admiratus: sed singularem etiam & nouam quādam humanitatem cognoui. Sic enim benignē atque amanter me in amicitiam tuam recipis, vt mihi qui hoc summē semper concupiui, vt tibi aliquo amoris vinculo coniunctus essem, nihil accidere potuerit optatum. Non enim ego, Georgi præstantissime, diuitiarum aut pecuniæ amator sum, nec honores & potentiā magno studio requiro: sed amo viros animo & virtute excellētis,

lentes, inq̄ eorum amicitia & mutua erga me beneuo-
 lentia incredibiliter acquiesco. Itaq̄ tua nunc erga me
 voluntate perspecta, crede mihi tanto in te studio sum
 accensus, vt nemini vnquā concessurus sum, qui aut ar-
 dentius te diligit, aut maiore cultu atque honore tuas
 præclarissimas virtutes prosequatur. Quòd si locis dis-
 iuncti, congregari vnà & colloqui coràm inter nos non
 possumus, literis tamen & crebris scriptioibus idem
 p̄p̄modū assequemur. Sed de rebus, quæ in tua episto-
 la graues, & magna, & grauitè sunt, tunc tibi respon-
 debo, cum summum Pontificē fuero allocutus, atq̄ ipse
 quoq̄ factus ero firmior. Nunc eum nec mente adhuc,
 nec corpore satis consistam, accipe (quaeso) breuem hanc
 epistolā, testem animi et amoris erga te mei. Cum pri-
 mum facultas dabitur, vberius ad te scribam: nec te pa-
 tiar officium in eo meum desiderare. Tu vt valetudini
 operā des, nosq̄ diligere pergas, magnopere à te peto.
 Vale. Romæ IIII. Calend. Ianu. M. D. XXXVII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Georgio Duci Saxonix S. P. D.

Vp̄erioribus diebus, cum accepissem tuas, non solùm
 Selegantissime, verùm etiam prudentissimè scriptas
 literas: ipseq̄, ex graui morbo nōdum recreatus, etiam
 tum nonnihil laborarem, vt domo pedem nequirem ef-
 ferre: non potui ita cito illis vt cupiebam respondere:
 quanquam me & officium stimularèt, & amor: mihiq̄
 eam curam iniceret, vt sapientissimi Ducis, et optimi,
 partam mihi beneuolētiam, qua munus nullum maius
 a quoquam expectare potui, studiosè ac diligenter mi
 hi tē

hi tuendam putarem. Sed, ut dictum apud veteres est,
 necessitati ne Deos quidem ipsos repugnare, sic me cor-
 poris imbecillitas differre totū hoc negotiū coegit, ma-
 xima mea quidē cum molestia. Quid enim mihi iam
 optatius, q̄ quo vno modo fieri potest, per literas videli-
 cet colloqui tecum? quem habeo prope vnum hoc ten-
 pore, de cuius virtute, sapiētia, pietate, præstantissimū
 iudicium faciam: & in cuius humanitate & beneuolen-
 tia erga me, animus meus præcipuē requiescat? Sed, ut
 dixi, vis fuit quæ me impediit, quo minus quod summē
 cupiebam, facere id exequiq̄, possem. Quam tu vim, et
 quam meā tarditatem cunctationemq̄, in rescribendo,
 pro tua illa singulari natura clementia a qui boni con-
 sules. Etsi his paucis dieb. dedi ad te literas: breues illas
 quidē, sed tamen testes huius eiusdem & animi mei, et
 voluntatis. Post illas autē datas, cū factus essem aliquan-
 do firmior, nihil antiquius habui, quā adire ad summū
 Pontificem, eiq̄, literas tuas ostendere. Quæ, ut erant,
 sic illi videbantur planē accuratē scriptæ, & persapi-
 enter. Neq̄, verò ille tacitum habuit, neq̄, de tuis virtu-
 tibus non amplissimē est locutus. Sed cū maxima signifi-
 catione sui erga te amoris, & commendatione laudum
 tuarum, totum penē curriculum vitæ tuæ mihi expo-
 suit: Quid tibi ipse, quid sancta apostolica sedes debe-
 ret, quibus tu non operibus solū, sed etiam beneficijs
 cunctum Christianum nomen cōprehendisses. Hac ego
 etsi vel omnia, vel multò maxima ex parte per me in-
 telligebam: tamen non mediocri afficiebar latitia, cū
 audiebam summū virum, summi etiam principis voce

& testimonio laudari. Itaq; hoc tibi planè confirmo, si
 qua sit res, quæ tibi videatur ad commodum, aut hono-
 rem tuum pertinere, quam Pōtifex ipse efficere possit:
 facile te apud eum, & autoritate & gratia, vel me ip-
 so interprete, vel alio quouis valiturum. Non enim ip-
 se minus gratus est quàm prudens. Et cùm per pru-
 dentiam optimè discernat, qui sint de Republica me-
 riti: tum autem bonitate & beneficentia erga eos est
 propensus. Sed hæc hæctenus. Nunc veniamus ad eas
 partes epistolæ tuæ, quæ maximam curam in respon-
 dendo requirunt. quarum omnium præclarè abs te posi-
 tum illud fundamentum est, te semper existimasse, sta-
 tum orbis terræ commodè regi non posse, si qui præsunt,
 & imperium obtinent, ij non singulari inter se consen-
 su animorum sint coniuncti. Præesse autem Pontificem
 Maximum ecclesiæ, Imperatorem orbi, vt ambos ne-
 cesse sit pia conspiratione ad salutem cunctorum esse
 copulatos. Hæc ratio conspirationis & concordia in-
 ter duos summos Principes, & mihi maximè probata
 est, & abs te verissimè assertur. nec dubitarem quin va-
 litura esset, idq; efficeret, quod tu potissimè optas. si ta-
 lia semper essent Principum ingenia, quale tuum est,
 Dux sapientissime, quale eorum qui Reipub. bono non
 suis cupiditatib. addicti sunt, quorum minima semper,
 vt tute optimè nosli, fuit multitudo. pauci enim omni-
 bus extiterunt seculis, quibus potior esset publica, quàm
 priuata rei cura, qui singulari quidem sua cum gloria,
 & in veterum monumentis, & in nostris sermonibus
 adhuc viuunt. Sed tamen ille virtutis splendor, animis

Et prauis

praua affectione corruptis, minimè notus est. Cū ergo
 aut Pontifex sui officij immemor, pessima ratione
 recti atq; honesti, priuatas suas utilitates persequitur:
 & vnde maxime eas se adepturū sperat, eo totus fer-
 tur cupiditate & studio: aut Imperator libidine domi-
 nandi, Pontificibus metum appetit a ecclesiastica diuio-
 nis inuicem: tum illa contingunt, qua tu & pie & graui-
 ter detestaris. Quae quoniam vtraq; saepius facta sunt,
 & vt Pontifex priuatum sequeretur comodum negle-
 cto publico, & Imperator nonnunquam Pontificium
 ius vendicare sibi contenderet: iccirco exorta est taci-
 ta quadam cunctorum opinio, non posse ipsos inter se
 firma & fideli beneuolentia iungi. Quo quidem ex dis-
 sidio maximas tibi assentior Christianis populis inue-
 ctas esse calamitates. Sed quemadmodū vetera transa-
 cta sunt, ex antiquis Annalib. edocemur. Quid autem
 euenturum sit, nobis incertum est, nisi q̄ illud non tam
 explanandum nobis nunc quidem est, quā quodammo-
 do significandum, fore aliquando vt reperiatur remedi-
 um, si haec consilia tua in medium proferre licitum fue-
 rit, qua meis in hoc genere planè sunt consentanea. Nō
 enim si tu me, & ceteros prudentia vincis, quoddam profe-
 cto facis: id tibi etiam concedo, vt religione & studio
 bene agendi vincas. Si ergo promere tales rationes, &
 eos qui audierint velle illis obtemperare rationib. con-
 tingerit: non dubito fore locum sanctissimis optatis tuis:
 vt & perpetua inter duos hosce principes concordia
 constituatur, & è Repub. mala omnia tollantur. Quam
 quam quod optamus, & de quo disputamus admirabi-
 li Dei

li Dei beneficio hoc tempore videmur consecuti. Nam
 & Pontifex is est, qui nulla cupiditate extraordinaria
 se transuersum agi, neq; ferri passus est: qui patrem se
 omnibus communem prabet: qui nullas partes dissentien-
 tium est secutus. Et Imperator optima mente, sum-
 mo consilio, ac studio in tuenda Christiana Repub. pro-
 pè singulari. quodq; imprimis ad rē pertinet, ambo in-
 ter se coniuncti cum amicitia fide, tum eisdem penè stu-
 dijs ad communem salutem & voluntatibus. Quorum
 consensionem & benevolentiam mutuam, qui labefa-
 ctare & conuellere fictis suis sermonib. & iniquis dela-
 tionibus conati sunt, illa suspitione freti, de qua dixi
 paulo antè, per quam inter eos existere posse amicitia
 non putatur: y non virtutē & voluntatem optimorum
 principum mutauerunt, sed magis improbitatem osten-
 derunt suam. Quorum talium vtinā aut minor copia,
 aut ea minus idonea ad nocendum esset. Sed cum tui de-
 siderij euentū iam bona ex parte videamur nacti, duob.
 bis principibus amicitia iunctis, bello tetro atque exiti-
 oso per inducias dilato, aut (quod ego malim) penitus
 sublato: spe pacis iniecta, quam auidissimè cuncti & ar-
 dentissimè expectamus: reliqua est cura & cogitatio
 conuentus publici: qui in vrbe Vicentia, loco opportu-
 no & libero, omnibus qui in Christiana religione cen-
 sentur, est indictus, post aliquas temporum prorogatio-
 nes, quas necessitate fuisse expressas, qui sine cupidita-
 te iudicant, possunt facile cognoscere. Eo in conuentu si
 concursus fuerit is, qui ad rem tantam requiritur, non
 diffido fore, quin ad iniustam cuiusquam potentiam,

sed ad bonum commune consilia conferantur. Praesertim si tu, & qui virtutum ac religionis tuae imitatores sunt, concilio interesse studuerint. Nam Pontifex quidem noster optimo animo & summa temperantia praeditus, multa vestro, & tuo imprimis consilio, recta existimaturus est, quae nunc contrariis ex partibus disputantur. In quibus tua imprimis & ceterorum bonorum autoritas plurimum valitura est. Neque ego sanctis & salutaribus Christianae Reipublicae consiliis vlllo loco deero. Sed est hic quiddam quod mihi à te petendum sit: scilicet consilio uti me iuves: quando nil fugere tuam excellentem prudentiam potest. Peto autem, non quidem quo pacto in concilio me geram: scio enim debere hoc me Deo, et fidei meae, ut nihil in eo dicam, aut sentiam, nisi quod mihi rectum esse videatur: à quo ego proposito nunquam ne digitum quidem sum discessurus. Noui enim quid haec professio nostra, quid sacerdotij munus, quid Dei omnipotentis timor à me postulet. Quae si non essem literis & libris edoctus, in quibus omnem meam aetatem contriui, atque consumpsi: negotia tamen, & rerum tantarum longus usus, in quantis ego versatus sum, facile potuerunt me instruere & docere. Non igitur quaero, quo pacto in concilio me geram: sed quem admodum erga aduersarios Luteranos mihi agendum sit: qui primum dubito interfuturi sint concilio, necne. Quanquam si pax vobis diuino beneficio donata fuerit, Imperatore Carolo soluto à bellicis curis, facile (ut arbitror) cogi poterunt, ut intersint. Sed siue id fiat, siue non, anceps animi sum, quomodo cum eis agam: virtu-

acriter ac uehementer, an mansuetè et comiter. Primū
quàm malè processerit ijs, qui via illa ingressi sunt, in-
telligo. Alterū ego cū experiri conatus sim, literasq;
ad eorum nonnullos dederim humanè, ac satis etiam ho-
noricè scriptas: sentio quàm malè sim à multis in ista
Germanica natione acceptus, qui me aut scripsisse ad
hæreticos homines, aut illo modo scripsisse arguunt,
ac reprehendunt. In quo ego si consilio lapsus sum, stu-
dio certè & pietate erga Deum non sum lapsus. Quid
enim aliud ego quaesui, quàm dum honorificè & co-
miter ad illos scribo, ut ipsi quoque ad parem mode-
rationem & quandam etiam beneuolentiam mei insle-
derent se, atq; adducerentur? Quod si essem adeptus,
speraui maiora me multò & commodiora ad spem con-
cordiæ & rationem publica utilitatis esse facturum.
Qua voluntas mea certè reprehendenda non est. Nam
de iudicio, & utrum id sapienter à me factum fuerit,
an secus, tuum præcipuum iudicium Dux præstantis-
sime requiro: quod apud me maximum semper & gra-
uissimum futurum est. Tu enim mihi propositus es, qui
& norma consiliorum meorum, & actionum omnium
regula, quæ ad istiusmodi res & negotia pertinebunt,
futurus sis. Facit etiam amor in te meus, & fides in sti-
tutam inter nos amicitiam: ut meas abs te potissimum
actiones aut probari velim, aut corrigi: cū approba-
tio summam mihi animi voluptatem, correctio autem
maximam utilitatem sit allatura. Siquidem tuis casti-
gationibus & monitis si am melior. Summopere igitur
te rogo, ut de hac re scribas mihi sententiã tuã. Nam

si susceptum mihi hoc negotiū scribendi ad Luteranos, & cum eis humaniter agendi, ad quod ego accedere cōpi studio concordia & Christiana consensionis adductus, tu non improbaueris: pergam ut inslitui, & plures hoc genere officij comprehendere, ac mollire contendam. Sin autem hac tibi tota inanis actio & minus honesta esse visa fuerit, tuum ego cōsiliū potissimum sequar: nec vnquā tam firmus vlla in opinione ero, (de his loquor opinionibus, quae ad quotidianas rerum gerendarum deliberationes pertinent) quin tuum iudicium antepōnam meo. Verūm de his satis. Ego in amicitia hac nostra, cū & officiosi animi tui, & optima erga me voluntatis, ea indicia habeam, quae habere semper concupiui, dabo profecto operam, idq; meo incredibili erga te amore perpetuaq; & singulari obseruantia cōsequar, vt me tibi iunctū amicitia esse nunquam te poeniteat. Vale Dux praestantissime. Roma XVII. Calend. Februarij, M. D. XXXVIII

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Georgio duci Saxoniae, S. P. D.

Non possum sine aliquo dolore animi scribere ad te, & tuis humanissimis ac prudentissimis literis respondere. Quae cū reddita mihi essent illo ipso tempore, quo mihi proficisci ex vrbe necesse erat, & summum Pōtificem qui antecesserat sequi: nō habui tum spatium quicquam rescribendi. Nec verò itinere toto vsque ad Nicēam, vbi principum congressus cum summo Pontifice erat futurus, data est mihi facultas, non modo mandandi literis cogitationes meas, sed ne cogitandi

tandi quidem quippiam : quod & itineris molestia &
 difficultas, mihi ex superiore morbo nōdum penitus re-
 creato, & renouatus deinde Placentiæ morbus, qui me
 ad interitum penè perduxit, impedimento fuit, quò mi-
 nus ad te, ad quem maximè cupiebam, et quem mihi af-
 fiduè ante oculos propositum habebam, literas darem.
 Cùm interim meus in te amor perpetuus atq; cōstans
 animum meum requiescere non sineret: inq; eo mihi vi-
 derer peccare, in quo non peccabam. Ita enim cogita-
 bam tacitus, atq; hæc menti meæ subijciebam : quid ille
 nunc talis vir, & Princeps, cuius tu amicitiam præstā-
 tissimis illius virtutibus permotus tam cupidè appe-
 tijsti: si literas flagitat tuas, per teq; potissimum de re-
 bus quæ aguntur cupit fieri certior, tuūq; repentinum
 admiratur silentium literarum: quā tu eius suspiciōne
 de tua negligentia & tarditate excitabis? crede mihi
 Georgi clarissime atque optime, hæc animi mei solici-
 tudo ad morbum adiuncta, ipso mihi morbo aliquan-
 tum erat grauior. Etenim si quisquam est qui officium
 colat diligenter, & indulgeat amori, vbi eum semel er-
 ga quenquam susceperit: ego me illum esse existimo: er-
 go omnes quidem, in quibus aliqua insunt causæ cur
 debeant amari: (nihil enim est mea natura ad amādū,
 & ad fauēdum bonis propensius (in te ipsum verò hoc
 acrius ac vehementius, quiddā nec dignior quisquam ab
 vilo vnquam hominum qui ametur delectus est: nec eis
 virtutibus ornatiō, quæ non solum officia beneuolen-
 tiæ requirunt, sed obseruantia etiam summæq; venera-
 tionis. Quæ cū ita sint, cumq; ego tibi iam dudum

meum omnem amorem, studium, honorem, obseruan-
 tiamq₃ detulerim: te rogo atque oro, vt hanc meam
 pratermissionem officij in eam partem accipias, quasi
 hac culpa non mea sit, vt certè non est, sed fortuna:
 que fecit, vt nec ego mea cupiditati ad te scribendi ob-
 sequi possem, & tu diutius, quam par erat, literis meis
 careres. Habes causam mee taciturnitatis, quam tibi
 pro tua singulari bonitate & sapientia planè probatã
 iri confido. Nunc audi reliqua. Nicaeam veni quemodo
 quidem potui, delatus lectica, omni ratione admitens,
 vt interesset consilijs, in quibus de summa Republica
 agebatur: cum tamen quotidie aliquot horas leui febricula
 laborarem, essemq₃ inualidus: qua in valetudine
 adductus non sum vt desisterem à muneribus publicis.
 Non enim mihi corpus esse magnificiendum duxi, dum
 aliquam operam nauarem tum ipsi immortalis et omni-
 potenti Deo, tum pura illi sanctæq₃ Christiane fidei, q₃
 nos erga eundem Deum constanter retinemus. Cuius
 tu quidem fidei Georgi hoc tempore præcipuus es, &
 propugnator, et signifer. Itaq₃ in senatu, cum his habe-
 retur, semper interfui: dixi q₃ de pace, de concordia, de
 statu Christiane Reipub. sententias. Collaudaui sum-
 mum Põtificem bene institutam ab eo, susceptamq₃ pa-
 cificandi prouinciam vehementer comprobauit: preca-
 tus sum vt pergeret, instaret, rem vrgeret. Nosti iã ca-
 tera, qua in hanc rationem dici possunt. Id quoq₃ egi pri-
 uato officio, vt cum viroq₃ principũ colloquerer, deq₃
 eiusdem rebus cum illis agerem: suaderemq₃, vt civilibus
 exinctis discordijs, Christiano nomini ob eorum dis-
 siones

fiones præcipue laboranti, et ab hostibus Turcis in extremum penè iam discrimen adducto, cõiunctis animis ferrent opem, hostesque conprimerent: relinquerent hanc tanti nominis tantaq; gloriæ hereditatem liberis suis. Quæ quidem hereditas neq; ijs qui illam reliquisent, neq; ijs qui accepissent, unq; esset interitura. Nam cætera quæ sunt à fortuna, opes, diuitias, honores, imperia, omnia fluxa & caduca existere: neq; quenquam ea scire quandiu sibi aut suis māsura sint. Hoc pietatis erga Deum spectamē, hoc officium vere Christianorum Principum, sine vlla controuersia fore sempiternum. In his sermonibus cum vterq; Princeps aptè admodum mihi, atque humanè responderet, perspexi optimum animum Christianissimi Regis: Cæsaris autem virtutem & animi magnitudinem vehementer probaui. Post cõsecuta ea sunt, quæ tibi nota esse certò scio. Primum, qd ad inducias decem annorum attinet. Deinde quod ad colloquia ipsorum Principum, eorumq; inter se cõplexus, congratulationes, lacrymas: vt omnia optata à nobis & desiderata pacis, non solum signa atq; indicia, sed certissima etiã pignora habeamus. Quæ mihi cum sua sponte iucundissima sunt, (nihil enim vidi in vita quod letius mihi, aut optatius acciderit) tum verò cumulatür gaudium meū cogitatione illa, quæ te quoq; summo ob eas silem res frui gaudio non dubito. Itaq; & sapius relegens epistolam tuam hanc, quæ postrema ad me missa est, in qua imago vera optimi Principis expressa cernitur: & ea memoria repetens, quæ sapius à me tibi significata sunt, & mente & voluntate summi

Pontificis à dissiđijs aliena, de coniunctione eiusdem cū
 Casare, de rebus ceteris: valde sanè delector, & meam
 fidem apud te constituisse, & ea quæ optando in literis
 tuis sanctissime prudentissimeq; designas, ex sententia
 tibi atq; eadem etiam mihi Dei immortalis incredibili
 beneficio feliciter euenisse. Sed de his satis etenim ve-
 reor ne hac ipsa epistola modum iam transferat. Ego à
 Nicæa Carpentoracte ad meam ecclesiam diuerti, loco-
 rum viciniam, & spem commodiorè ex morbo con-
 ualescendi secutus. Vbi nunc sum, nec me hac hyeme in
 Italiam transiturum arbitror, vt postea melius confir-
 matus ad urbem proficisci possim, atq; ibi Reip. atq; a-
 micis operas meas impendere. Nunc tibi mitto orationem
 culam quandam meam, quam ego Roma conseceram
 ante discessum, modo Carpentoracti relecta ea à me est,
 & aliquot locis commutata. Ea continet sanè modestā
 (mihi vt videtur) & cuilibet rectè iudicanti probabili-
 lem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & totius sacerdotij defen-
 sionem, aduersus probrosas & penè quotidianas Luterā-
 norum vituperationes. De qua oratione aut continen-
 da aut inuulgāda tuum iudicium potissimum expecto,
 si eam vtilem, si profuturam existimas. Namq; ego irri-
 tare neminem prorsus volo, nec serere contentiones:
 hortator enim sum pacis & autor: id scribere opto, &
 nec Luterani iniquo omnino animo ferant, & Catholi-
 ci accipiant æquissimo. Hoc tu Dux optime diligenter
 animaduertes, mihiq; sensum animi tui significabis,
 & scadebis quid agendum sit. Te, & item Cochleam,
 & Indium, tuos viros optimos, & optimè de Christiana-

na religione meritos, quos ego quoq; valde diligo, rogatos volo, vt antequam ad me quid sentiatis, rescripseritis, egoq; vobis responderim, in alienas manus orationē meam ne exire patiamini. Vale. Capent. XI. Calendas Octobris, M. D. XXXVIII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDINALI
Iulio Peflugo decano Misnensi. S. P. D.

Noli mirari, si tuis sanè iucundis mihi & suauibus literis serius respondeo, quàm æquum fuit. Cum enim in illo ipso nostro ex vrbe Roma discessu, quo Nicæam omnes contendebamus, eas accepissem: neq; tum spacium habui rescribendi, & toto illo itinere incertis febribus doloribusq; intestinorū grauissimè vexatus, vix vitam potui retinere: qua certè fuisset amissa, nisi Dei summi bonitas & clementia opem mihi tulisset. Quanquam vtrum mihi magis expediat vtiliusque sit, viuere, an mori, ego nescio: neq; horum alterutrū mea nultum interest, idq; ad Dei voluntatē totū reijcio. Literis quidem tuis, vt primum commodè licuit, respondere non prætermisi: quas mihi scito fuisse gratissimas. Nam & ingenij tui specimen mihi detulerunt, & iudicium erga me non mediocri amoris. Quorum alterum facit, te dignum omnium beneuolentia iudicem: alterum, vt ipse quoq; te diligā. Quod quidem ita necesse est, si is volo esse, quem tu tibi aliàs cognitum ita humanum & comem esse scribis. In quo profecto non aberrat à natura mea prædicatio tua: sum enim ad faciendum bonis mirificè propensus. Itaque quod meam infidem & patrociniū contulisse te scribis, ego verò te Iuli

te Iuli charissime in ius et in amicitia fidem libenter recipio, vel tua virtutis, vel cognati tui hominis amplissimi collega mei causa, quem ego & viuum dilexi semper, & mortuum eadem beneuolentia prosequor, nec vnquam illius eximias virtutes officiaq; erga me è memoria deponam. Est et illa causa, cur te debeam amplecti, quòd viderem mihi videor in literis tuis pietatem eam qua erga Christianam Remp. es affectus. Sic enim quaereris, sic luges rerum presentium statum, vt appareat te meliora valde cupere. Cui cupiditati tue, meaq; vnà earundem rerum voluntati, vt inam prapotens Deus secundos aliquando exitus concedat. Sed hac hactenus. Ego in praesentia Carpentoracli sum, à Nicea huc digressus, quiescendi aliquandiu & valetudinem curandi gratia. Tu si quid opera mea indigueris, dum in his sum locis, per literas, cum Roma fuero, vbi me vere proximo futurum esse arbitror, praesens ipse ita te & res tuas tuebor, ut quoad eius fieri poterit, te aliquod in me praesidium tuis & rebus & fortunis constituisse nunquam peniteat. Vale. Carpentoracli, XI. Calen. Octobris, M. D. XXXVIII.

IAC. SADOLETVS CARD. IO-
anni Cochlaeo, S. P. D.

Tvas literas XVII. Calen. Augusti Misinae datas, ego Carpentoracli VIII. Calen. Decem. accepi. Eas tu me Roma, aut in itinere sperasti accepturam. Quae opinio non solum te, sed me ipsum etiam seseellit. Nam summum Pontificem ad conciliandos Principes Nicam proficiscentem, ego ex vrbe profecutus, toto illo itinere

Placet

Placencia praesertim, grauius aegrotauit. Nec tamen de-
 stitit quin peruenirem Nicaeam, illisq; sanctis & saluta-
 ribus negotijs interesset. Post conuentu soluto, locorū
 vicinitatem, & caeli salubritatem secutus, Carpentor-
 racte meam ad ecclesiam me recepi, vbi etiā nunc con-
 moror, nec ante proximū ver in Italiā rediturus sum.
 De his omnibus, deq; inducijs & compositione inter
 dissidentes antea inter se Principes facta, scripsi supe-
 riorib. diebus ad clarissimum virum Ducem tuū: quas
 ad eum literas hoc tempore arbitror esse perlatas, &
 cum eis vnā oratiunculam quandam meam, quam ego
 Roma conscripseram antequam inde proficiscerer, ad
 hac ipsa negotia videlicet, & Germaniae & Luterano-
 rum pertinentem. De qua oratione tum Georgij ipsius
 optimi, doctissimi, religiosissimi principis, tum tuum e-
 tiam iudicium exquirebam: edendāne esse videretur,
 an potius domi continenda: quod ut magis putem tua li-
 tera faciunt. Scripta enim sunt & accuratē, et pruden-
 ter. Videtur enim (quemadmodum tute scribis) disce-
 ptatio ad vos, ad nos autem iudicatio magis pertinere.
 Itaque ego, qui de tua & doctrina, & probitate, sem-
 per optimē sensi: nunc ex his literis tuis, & ex eo libel-
 lo, quē ad Sturmium misisti, qui à me lectus summa cū
 voluptate est, addidi etiam aliquid ad opinionē pristi-
 nā. Non enim solum mihi doctē, verū etiā moderatē,
 & leniter scribere videris: quam ego scribendi ratio-
 nem & viam imprimis probare soleo. Dederam sanē e-
 go quoq; ad Sturmium literas, cum leniter obiurgans,
 quartū exemplum misi ad te, vt si tibi etiā viderentur
 inuul-

inuulganda, tuo arbitrato statueres. Decet enim nos istorum insolentiam non exasperare cōiuitijs, quo in genere maximè exultant ipsi: sed mansuetudine retundere, quod proprium officium Christiani hominis est. De concilio spem non amisi, bene enim sentio de Pontifice maximo. Hac certè postrema eius prorogatio, roganti tuis & contendentibus ambobus principibus facta est. Quare ego quoque ad id temporis quo auspiciandum conciliū est, in Italia esse cogito. Albertum Pighium, hominem meo quoque iudicio doctissimum, audio ex te libros edidisse de Ecclesie Principatu: quos equidem habere cuperem, libenter enim lego eius hominis scripta. Quòd uero in quibusdā tibi videatur nimis ille exaggerare summi Pontificis auctoritatem, idque tametsi uerè fiat, tamē in hoc tempore non nihil periculosum esse: noli egre ferre. Utinam tam mores nostri probati essent hominibus, quàm est Pontificis potestas sine ulla dubitatione maxima. Neque hoc nocere publicæ causæ (ut ego arbitror) potest. Reliquum est, ut à te petam, ut ad me frequenter scribas, faciasque me de istis rebus Germaniæ quàm sepius certiore: quòd nihil gratius expectare à te possum. Mea & beneuolentia & opera semper est tibi, & erit parata. Vale, & Georgium ducem præstantissimū omnium, meis uerbis iube saluere quàm plurimum.

Carpent. Pridie Calend. Decembris, M. D. XXXVIII.

IAC. SADOLET. CARD. IULIO

Peflugo, & Ioanni Cochleæ, S. P. D.

Communes ad uos dedi literas, quòd eram multis occupationibus impeditus: uestras autem amborum

& diligenter, & non sine aliquo animi dolore legi.
 Quæ statum mihi Germania ante oculos posuerunt &
 infelicem, & miserum: & cui (vt perspicio) non à no-
 bis, sed à summo Deo auxilia sunt petenda. Quanquã
 ego quidem pro mea parte non deero. Sed quid possum
 vnus, aut certè cum paucis? video enim omnino paucos
 quibus ista negotia sint cordi. Concilium futurum sit,
 necne, non possum affirmare certò. Spe tamen teneor,
 Pontifici Maximo, hanc rem fore curæ: optimè enim ip-
 se & loquitur & sentit. Quo autem tempore aut quo
 Christiani populi commodo sit futurum, nõ habeo quid
 dicam. Primum pendet non è Pontifice solùm, sed Chri-
 stianis etiam ex principibus, qui maioribus curis distri-
 cti mihi videntur: præsertim tanto conflato aduersus
 Turcas bello. Alterum, quidnam euenturum ex cõcilio
 sit, nec satis scio, nec si sciam ausim dicere. Maxima mi-
 hi videtur ratio fore constituendæ Christianæ Reipub.
 si Pontifex vnus ad corrigendos mores ecclesiæ incubue-
 rit. Quod ipse tamen prædicat & promittit se factu-
 rum. In vestris porrò literis tua pietas in Christi rem
 & fidem mihi Iuli probata est, et benevolentia erga me
 incunda, neq; ego tibi propter virtutem tuã propterq;
 eum Principē, cuius tu cõtubernalis, ego amantißimus
 & studiosissimus sum, vllò vnquam loco sum defutu-
 rus. Tu verò Cochlae, nihil mihi gratius facere potui-
 sti, quã me de illis in oratione mea partim meis, partim
 etiam librarij erratis admonere, quæ ego corrigi iussi.
 Hoc tu, si me amabis, semper vt me admoneas facies.
 De oratione edenda scripsi ad Clarissimũ Ducem Geor-
 giũ

gium quid mei consilij sit. Tu illas leges literas, & ages quod vtile tibi videbitur Christiana esse Reipub. Librū tuū in illas vesanas Luteri declamationes, legi summa cum voluptate, vehementerq³ probavi. Arbitror posse me affirmare, raro adhuc vidisse in eo genere quicquā editum, quod distinctius mihi, & accommodatius scriptum videretur: atq³ ex ea quidem doctrina, quam ego maximè probo: non spinosa & cauilloſa: sed plana, atque illustri, è puris sacrarum literarum fontib. deprompta. Quamobrem miror illum hominē impurissimum, ita ferreum os ad contentionum studia asferre, vt eum neq³ vite neque impietatis suae pœniteat. Sed illum vlciscetur improbitas sua. Ego quodam alio in opere, quod nunc cudo, habeoq³ in manibus, nonnulla in sector Lutherana dogmata, eorū quae maximè ad reuellendā Christi religionem inuenta sunt. Rectēne an perpetā, tuum & aliorum erit iudicium. Mihi quidem voluntas bona est, et ad tutandā autoritatem ecclesiae animus paratus: sed vires interdum me deficiunt. Quicquāta men erit à me, ad Dei gloriam & fidelis populi salutē totum erit. Tu vt scribas ad me crebro Cochlae, atque adeo ambo vt scribatis, vobisq³ psuadeatis me omnia cupere & velle vestra causa, à vobis peto. Valete. Carp.

IAC. SADOLET. CARDIN.

Ioanni Cochlaeo, S. P. D.

BInas à te vno ferè tempore accepi literas, quae vltimam ad me nunquam fuissent allatae. Tristissimum enim mihi nuntium attulerunt, de Georgij morte optimi & sapientissimi Principis. Quem ego propter preclariss-

clarissimas illius virtutes, æquitatem, religionem, integritatem, prudentiam, summo in honore habebam: eumq; ita amabam, vt si fuisset eodem ex vtero geniti, neq; maior meus erga illum, neq; iustior potuerit esse amor. Itaq; tanto dolore sum affectus, vt moderari mihi ipse non queam. Quid enim est quod me amantis sumum & talium virorum, & rei Christianæ publicæ, maiore vulnere conficere potuerit, quàm tanti Principis mors? quæ, vt ipsi forsitan matura, rei quidem publicæ extitit peracerba. Mihi verò tantum mæroris, tantumq; luctus attulit, vt penè mihi solus in hac calamitosa conditione temporum videar esse relictus. Qui cum die noctuq; de Repub. cogitans, in eo curas consumerem omnes meas, vt aliquando reconciliata ecclesiæ vnitæ, in pace & otio debitum cultum Deo tribueremus: maximam eius rei spem in illo sapientissimo Principe repositam habebam. Quo nunc sublato, quid est quod sperare amplius, aut quod nostris conatib; & consilijs considerare debeamus? Quanquam solet Deus, cum ad desperationem penè res ipsa nos deduxerit, subitas interdum spes & improvisa auxilia fidelibus suis ostendere. Quem equidem supplex omnibus precibus obtestor primum, vt anima illius præstantissimi viri clementiam & misericordiam suam tribuat. Deinde, nobiscum ita agi pmittat, vt ne cogamur eum nimis sæpe, nimisq; acriter & dolenter desiderare. Etenim video pericula quæ impendent: tuq; satis planè ad me omnia perscribis. Sed tibi mi Cochlae, quantum in me est, quodq; meæ exiguae fortunæ mihi concedunt, ita benevolentiam meam

polliceor, vt nulla sim vnquam in re tibi defuturus. Cū
 hæc ad te scriberem, aberam ab vrbe, deq; meo illuc
 reditu nondum quippiam certi constitueram: vt te nõ
 possem Pontifici Max. præfens commendare. Sed quod
 absens efficere possum, scribam ad amplissimum virum
 Gasparem Comarenum, vt is et suam et meam vicē in
 te commendando suscipiat: addatq; ad amorē eum quo
 te ipse diligit, aliquid præterea mei honoris, & mea
 erga te volūtatis causa. Quod facturum illum non du
 bito, tanta est virtus hominis, & in omnibus bonos bene
 ficentia. Ego, quæ mea erunt partes, nomen & memo
 riam sanctissimi Principis mortui, charissimè semper
 diligentissimeq; custodiã. Tibi autem & Iulio ita ero
 affectus, vt plus quidem vos in me facultatis ad vos or
 nandos, amoris autem & studij nequaquam plus sitis
 desideraturi. Tu cura vt valeas, et in omni fortuna eã
 patientiam præsta, quam Christiana virtus postulat.
 Carpentoracti, VII. Idus Iulij, M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Ioan. Cochlæo, S. P. D.

Dolore non paruo affectus ex tuis literis, quas abs
 te mense Augusto datas, ego VI. Idus Nouembrii
 accepi, statim hæc ad te scripsi: non sine aliqua aduer
 sus fortunam querela. Quod cū iam antea tibi, & il
 li præstantissimo Duci Georgio de mea ad Germanos o
 ratione non vulganda rescripsissem: deinde ex binis li
 teris tuis, primum de obitu filij, deinde de ipsius etiam
 morte certior factus, tibi quoq; tum respōdissem, illius
 religiosissimi Principis obitum, & simul Reipub. Chri
 stianæ

stiana calamitatem deplorans: intelligo nihil mearum
 ad te literarum allatum fuisse: cū tamen absens adhuc
 & in ecclesia mea manens Carpentoracti, meis qui in
 vrbe sunt, praecepissem, vt omneis meas ad te literas
 per Ambrosium Theutonem, quem tu mihi nominas
 in literis, ad te mittendas curarent, quod ita factum
 esse ab illis non dubito. Sed fortuna profectò mihi mœ-
 rorem renouare voluit, quem ex Georgij optimi et san-
 ctissimi Principis morte acceperam, cuius mihi mentio
 et nomen ita haeret in intimis sensibus, vt nunquā Deo
 pro mortuis supplicē, quin illum nominatim et impri-
 mis diuina misericordia commendem. Sed hac quae ad
 priuatum officium pertinent, non tam nobis commemo-
 randa, quàm praestanda sunt. De te mi Cochlæe velim
 hoc tibi maxime persuadeas, eam me suscipere cogita-
 tionē, quam frater de fratre suscipere solitus est. Amo-
 enim te, tum probitatis, religionis, doctrinae, tua cau-
 sa, quam ego magnifacio: tum etiam quòd intelligo me
 abs te amari. Itaque facultates meas, quantulacūque
 ea sunt, omnes tibi libenter defero. Si cetera te defi-
 ciant, quae aliunde maiora & vberiora expectare po-
 tes, digna virtute & laborib. tuis, apud me quidem re-
 ceptus tibi est, et communicatio fortunarum mearum:
 quae etsi pertenuēs sunt, animis tamen à cupiditatibus
 liberis, & maioribus virtutis ac literarū subsidijs pra-
 ditis, exiguae opes ad bene viuēdum sufficiūt. Si Roma
 essem, plura polliceri tibi possem: nunc cū sim in his lo-
 cis, neq. illhuc (vt nunc est) me conferre cogitem, cau-
 sis & multis & necessarijs adductus, vt Euangelij ver-

bis vtar, quod habeo, mi Cochlae, hoc tibi do. Tu certe nunquam in me nec fidem, nec officium, nec amicitiae memoriam, nec beneuoli hominis animum desiderabis. Iulium tuum quem singulariter diligo, cupio tecum omnia habere prospera. Faueo certe viri^q, vestrū & vestro proprio, & communis religionis nomine. Quae scribis ad me de Ecclesys istic disertis à cultu Dei, deq³ concionibus aduersariorum nostrorum, periculisq³ omnibus quae pijs & probis hominibus impendent: ita mihi acerba & luctuosa visa sunt, vt non audeā ea, tanquam vulnera animi mei, verbis resiccare. Deum supplex oro, vt aliquādo ipse benigniorib. oculis nos respiciat. nō. n. iam vllis nostris in consilijs, sed in eo vno sunt omnia, ad quem spes nostras penitus habere cōuersas debemus. Vale. Carp. Pridie Idus Nouēb. 1539

IAC. S ADOL. CARD. GVLIELMO Bauariae Duci S. P. D.

Cum ab Carpentoraetensi ecclesia mea Roman redisset Pōtificis maximi iussu non modò euocatus, verum etiam compulsus, nihil habui antiquius, quā vt ad te literas darem: per quas testarer, illum ipsum amorem, illam insignem beneuolentiam simul & obseruantiam, qua te & fratrem tuum clarissimum virum, vniuersamq³ domum & familiam vestram semel sum, nō casu, nec fortuito, sed propter maximas virtutes, vestrāq³ in Christianam Remp. egregia merita complexus: manere & perseuerare eandem. nec ob mea absentiae diuturnitatem quicquam ibi detrimenti, aut diminutionis accidisse: meq³ eo esse animo, quo semper fui:

vt vestro honori, commodo, dignitati, ornamentisq; o-
 nibus, incredibili animi studio sim addictus. Sic enim
 & summa virtus vestra nobilitasq; meretur, & mee
 constantiae ratio postulat, & tempora ipsa praecipue
 requirunt: in quibus turbato statu orbis terrarum, di-
 ninis humanisq; legibus penitus contemptis atq; reie-
 ctis, vestra imprimis pietas, & sapientia, tanquam in
 tenebris lumen elucet. Itaq; ego, qui ob propinqua pe-
 ricula quae instant nomini Christiano atq; imminent,
 dies noctesq; assidue sollicitor, nec vllam partem capio
 quietis: vehementissimè equidem optarim habere Sto-
 camerum nostrum, aut alium quempiã tuorum, qui cū
 ea quae me angunt & sollicitant, cōmunicare tutò pos-
 sem. Profectò enim si ceteris auxilijs, opibusq; defi-
 or, quas si haberem, libentissimè tibi deferrem: non o-
 nino monita, consiliaq; mea tibi aut ingrata essent in-
 terdum, aut inutilia. Sed tamè ita Stocamerū habere
 velim, si id quoque reliquis tuis rationibus conducatur.
 Etenim scito me grauitè angī, quòd video nos omnes
 in extremum iam ruere discrimen. Quando ista auxi-
 lia apparatusq; Germania, qui feruntur, me quidē non
 consolentur, sed perterreant. Quamobrem & quibus
 de causis, non est epistola committendum. Sed hac ha-
 ttenus. Et quando iam Romae, & apud Summum Pon-
 tificem sum, ita hīc tibi operā, fidē, studiū, beneuolen-
 tiamq; meam defero atq; polliceor: vt tibi hoc esse per-
 suasissimū velim, neminē te vnquā reperturū esse, aut
 amantiorē tui, aut qui maiore studio et diligentia tuis
 reb. deseruiat. Vale. Romae, VI. Idus Maij, M. D. XLII.

454 IAC. SADOLO. EPIST.
IAC SADOLETVS CARDINA. GV
lielmo Duci Bauariæ S. P. D.

Accepi tuas Dux præstantissime literas, ex quibus
duplici lætitiâ affectus sum. Nam & de tua, fra-
trisq; tui clarissimi viri salute & incolumitate nunciū
mibi optatissimum attulerunt, et vestrā mei erga vos
amoris memoriam declarauerunt apud vos vigere.
Quorum vtrum mihi iucūdius acciderit, iudicare diffi-
cile est. Sed quod pertinet ad eas curas, & sollicitudi-
nes quibus cū ad te scribebam, vehementer eram distri-
ctus, & ob quas Stocamerum hīc adesse cupiebam: vt
satisfaciam desiderio tuo, qui te cupidum cognoscendi
esse scribis, quæ me res tantopere sollicitum tūc habue-
rit. scio me, cū dolerem vehementissimè & angerer,
regnum Vngariæ ab immaniſſimo hoste nominis nostri
Turca Christiana Reipub. esse ereptum. Maiore quo-
que in metu præterea fuisse, ne expeditio ista Germa-
nia, & conatus vester regni illius recuperandi, cum-
laret potius clades & ruinas nostras, quàm leuaret.
Cur autem ita pertimescendum putarem, has habebā
causas. Primum, videbam exercitum conflatum ex va-
rijs nationibus, non facile in vnum posse consensum cō-
spirare: vt omnium prorsus eadem esset, & vis & vo-
luntas. Deinde, intelligebam nullum esse certum nostri
exercitus ducem eiusmodi, qui scientiâ rei militaris re-
gere, autoritate & fama rerum antè gestarum, mili-
tes ad promptè acriterq; parendum cogere & com-
pellere posset. Tum utem territis altero iam, aut ter-
tio aduerso prælio nostrorum animis, non magnopere
con-

confidendam putabam. Postremò, vt essent tollerabilia
 cetera, videbam tamen in vno prelio periclitari for-
 tanam totius Christiana Reipubl. qua, si fusi, fuga-
 tiq; essemus, (quod quidem Deus omen in suos hostes
 conuertat) nullum mihi videbatur praterea habitura
 presidium, quo aut se sustinere diutius, aut vnde niti ad
 se vindicandam posset. Etenim quis nõ intelligat, si vi-
 ctus sit noster exercitus, Austriam cõtinuò in hostium
 illationem concessuram? Germanos Principes vt quisq;
 proximus Austria sit, differendi supremi exitij causa,
 pactiones & fœdera cum Turcis quesituros? Maximũ
 subitò equitatum hostium in Italiam irrupturum: om-
 nia deniq; terrore et tumultu cõpletum iri? Atq; hæc
 cum timerem, grauius etiã illa re exterrebar, quòd con-
 trà apud hostes omnia se habebant. Vnus Dux summa
 potentia, et autoritate, exercitus numero infinitus, cõ-
 cors inter se atque consentiens, idem consuetudine vin-
 cendi ad pericula audax: equitatus praterea propè in-
 numerabilis: quem quidem equitatum quomodo no-
 stri sustinere possent, non faciliè rationem inueniebam.
 Hæc cum cogitarem, Dux optime, & perhorresce-
 rem casum propinqui certaminis, non immeritò (vt
 arbitror) quietem animo non percipiebam. Nunc pars
 mihi aliqua timoris adempta est, si Rex hostium (vt
 aiunt) ad exercitũ nõ est venturus. Quanquã his pau-
 cis diebus contrarij venire nunciij: qui pertulerunt, il-
 lum ad iter sese, & ad bellum accingere. Habes ratio-
 nem angorum & sollicitudinum mearum. Sed de his sa-
 tis. Ego tibi et fratri tuo, totiq; familia vestra ita sum

animo beneuolentiãq; addiãtus, vt nihil sit quod uehementius optem, quã & diligi à vobis, & meum vobis amorem omnibus in rebus præstare atque ostendere.

Romæ, X. Calendas Augusti, M. D. XLII.

IAC. SADO LËTVS CARDINAL.

Guliel. Duci Bauariæ S. P. D.

QVòd post reditum meum ad Vrbe[m], non cõtinuò dederim ad te literas: nec veteris meæ erga te obseruantia beneuolentiãq; memoriã renouarim: nõ meã negligentia, neq; aded obliuione mutui nõstri amoris: sed potius pudore quodam accidit. Cũ enim sapius iam conatus essem, exoluere me his vrbanijs curis atq; negotijs, & in ecclesia mea Carpentoractensi Deo, & mihi, & populis meis dũtaxat viuere, studiãq; ea persequi, quorum & liberalissima est cognitio, & fructus iucundissimus, nescio quo meo fato siue iniqua potius conditione fortuna, (namq; ego meas partes sedulo & accuratè egi) contingere tamen mihi non potuit, vt animo meo morem gererem: coleremq; eã vitã, in qua qui doctiores & sapientiores semper existimati sunt, munia beatæ vitæ maximè posita esse censuerunt. Sum enim quotiescunq; illuc me contuli, toties huius Pontificis Maximi, à quo etiam præsertim mihi assentiẽte, commeatum obtinueram, iussu atq; imperio in hanc vrbem reuocatus. Quæ si meã, ac non alienæ voluntatis commutatio varie asq; extitisset, puderet me uehementè inconstantia meã, neq; auderem quicquam hoc ad te tempore scribere. Quid enim esset quod polliceri alteri de me possem, si mihi ipse & consilijs meis non con-

starem? Sed cum, si qua in hac re culpa inest, ea certe mea non sit, totiusq; temporis & rebus quotidie nouis, quam consilio cuiusquam aut voluntati illa sit attribuenda: peto à te Dux humanissime atq; optime, vt quòd ego toties domicilium cõmutasse visus sim, id Põtificis voluntati tribuam: quòd suam ille voluntatē, id assignes temporis. Proxima enim causa illinc me extrahendi & Romam euocandi, concilij habendi necessitas fuit et cogitatio Quod vtinam consilium bonum ac prosperum Christiana sit & religioni & Reip. Etsi Deum quidem considerare debemus tandem aliquando populis suis esse consulturum: sed tamē, vt se nunc res habent, quid spei certa sequamur, non videmus. Illud quidem in hac tanta perturbatione temporum, singulari tamen nobis est letitiæ & voluptati, quòd apud omnes bonos tuum nomen in summa est gloria. Nihil enim tam celebre, neq; tam commemoratum est, quam tuæ virtutis, cõstantiæ, pietatisq; prædicatio: quæ vna & consentienti omnium voce in cælum meritò fertur. Itaq; ego qui tuam amplitudinem iam diu omnibus meis studijs officijsq; sum complexus, quotidie non benevolentia quidē (nā ea ad summum iam peruenerat) sed meis dictis, testimonijs, scriptis, ad te colendū honestandumq; sum propērior. Gaudeoq; vehementer, & tibi gratulor, quòd in reddenda tuis clarissimis virtutibus debita laude, ego qui tantum ceteris studio erga te amoreq; anteeo, prædicatione tamen tuorum meritorum superior esse non possum? tantus est consensus omnium, de te omnia præclara egregiaq; memorantiam. In quo non magis homines, quā

Deus ipse, cuius tu integram & veram religionē susti-
 nes atq; defendis, de tua fide & sapientia illustre testi-
 monium fert. Sed hac quæ theatrum maius & grauio-
 rem operam desiderant, in tempus magis idoneū disse-
 renda sunt. Ego sicut tibi saepe alias scripsi, quicquid in
 me est, quantulū id quidem est, ingenij, diligentia, stu-
 dij, autoritatis, totum tuis cōmodis et voluntatibus ita
 polliceor ac defero, vt si quid vsu venerit, in quo tua
 causa mihi sit elaborandum, id sim alacrius multo, libe-
 riusq; facturās, quā si mea ipsius causa idem mihi co-
 mandum et suscipiendum esset. Quod cū acciderit vt
 agam, cura quidem & amore satisfaciam tibi: studium
 autem et cupiditatem meam satisfacēdi nunquā asse-
 quat. Nunciatum est nobis fratrem tibi decessisse orna-
 tissimum, atq; nobilissimū: quod mihi auditu sanē quā
 molestum fuit. Amavi enim illum semper tecū vnā, di-
 gnissimumq; illo loco & honore iudicavi. Quod si de
 tua virtute & sapientia non eam haberem opinionē,
 quam certē habeo, aggrederer fortasse aliquid ad te
 consolandum: exponendisq; rationibus quare tu hunc
 casum animo aequo ferre deberes, leuare dolorem tuū
 adniterer. Sed cū tu aliorum consilijs non indigeas,
 magisq; ipse ad consilium alijs dandum sis paratus,
 supersedebo hoc genere orationis. Tantum te horti-
 bor, vt animum illum, illamq; prudentiam, quam in ca-
 teris reb. eximiā praestas, eandē in hac quoq; re adhibe-
 re meditare: vt oēs homines intelligāt, nihil tibi deesse,
 quod minus et in secundis reb. et in aduersis, par & per-
 fecta vndiq; & virtus sit, et constantia tua. Iterū et sa-
 piens

pius vale. Romæ XVII. Calend. Augusti, M. D. XLV.
IAC. SADOL. CARD. GVLIEL-
mo Bauariæ Duci S. P. D.

Cum ex literis tuis multiplici sum ac varia animi la-
citia et voluptate affectus, tu quod in extremis illis
à te est positum, grauissimisq; & ornatissimis verbis
explicatum, id mihi maximè iucundum, et de tua singu-
lari eximiaq; virtute etiam admirabile accidit. Sic e-
nim scribis, te hanc piã et sanctã Catholicæ fidei, et Chri-
stianæ religionis causam, quæ omnium bonorum Prin-
cipum cõmunis, et quorundam etiam magis propria
esse deberet: nulla iactura & periculorum, quæ plu-
rima ism adijsti, habita ratione, & amplexatum esse
adhuc constanter ac fortiter, & ad vltimum vsq; spiri-
tum amplexaturum esse. Quibus tuis verbis quam ex-
pressiorem habere desiderareue posimus Principis o-
ptimi et præstantissimi imaginem, non video. Faxit ille
ipse omnipotēs Deus, quem tu in literis tuis omni cum
fide & pietate inuocas: vt talem animum, dignamq; o-
mni ipsius gratia & beneficentia mentem, ea præmia
consequantur, quæ & in cælo & in terra debeant iu-
dicare maxima. Quanquã cui in hac vita pacatus cum
Deo animus, & secum ipse concors, in altera domicili-
um beatæ immortalitatis est propositum, is semper ma-
ximis & verissimis præmijs à Deo affectus esse videat-
ur. Sed tamen ne hac quidem quæ in his locis expeti
solent, tibi desutura confido. In tanta enim rerum om-
nium confusione, quantam alia ætas nulla vnquam vi-
dit, aberrantibus ferè cæteris omnibus, & propè men-

te dimoto, quibus harum rerum gubernandarum et re-
 gendarum potestas erat data: consiliaq; sua nō ad salu-
 tem publicam, sed ad propriam ipsorum (vt illi putāt)
 vtilitatem, vt autem res indicat, et magis etiam quoti-
 die indicatura est, perniciem conferentibus, stare & e-
 minere vnum, in cuius animum atq; virtutem, cū hac
 temporum mala damnāq; incurrunt, tanquam fluctus
 saxo, sic illa eius consilio sapientiaq; frangantur: non
 solum his temporib. nouum quodam modo & penē in-
 auditum est: sed apud bonorum iudicia imprimis admi-
 rabile. Itaque necesse est, posteaquam satis fuerint de-
 bacchati, qui ex incommodis publicis sua priuata com-
 moda venari & captare soliti sunt: postea quā edor-
 mierint sui erroris crapulam, & nihil inuenerint vera-
 rum diuitiarum in manibus suis: vt experrecti tandem
 aliquando & resipiscentes, cum stupore quodam maxi-
 maq; admiratione intueantur eos, qui in tanta iacta-
 tione tempestatis publica, soli tenere portum & vo-
 luerunt, et valuerunt. Quorum vtinā quidem magnā
 copiam haberemus. Sed tua insignis virtus atque con-
 stantia, Gulielme praestantissime, multorum in eono-
 bis Principum vicem prabet. Es enim tu & casta in-
 tegraq; religionis illustre exemplum populis Christia-
 nis omnibus, & in omni posteritate consequentiū tem-
 porum, futurus es verae sapientiae veraq; virtutis egre-
 gium documentum. Quam cunctorum de te summam
 existimationē, nō video posse fieri, quin aliqua terrena
 etiam, non modō quae è celo sint, praemia comitentur.
 Hac igitur ego tu a laude & Christiana pietatis sum-
 ma

ma
 cipit
 anin
 qu
 in m
 omni
 ita c
 caui
 es at
 anic
 mus.
 & ob
 bene
 habu
 tia fr
 Idus
 IAC

A
 p
 cere v
 fit qu
 erga n
 tur ti
 sic ea
 cipere
 gamus
 virtut

magloria (vt initio epistola scribere fuerã orsus) præcipuè sanè delectatus sum. Cetera quæ scribis de tuo animo erga me amico ac beneuolo, deq; ea cupiditate, quàm præ te fers, factis mihi probandi qua voluntate in me sis: sunt mihi quidem gratissima & iucundissima omnia: sed vno (vt mihi videtur) amicitia nomine cuncta continentur. Sic enim ego memetipsum donauit diciturq; tibi: sic tu me tua humanitate & benevolentia es amplexus, vt quod iam bonorum virorum, & fidelis amicitia proprium est, certare officijs inter nos debeamus. In quo ego quæ ad tuam amplitudinem colendam & obseruandam pertinebunt, omnia summa cum fide benevolentiaq; præstabo. Tu si me dilexeris, charumq; habueris, maximum hunc me adeptum ex tua amicitia fructū semper sum existimaturus. Vale. Romæ, VI. Idus Decembris, M. D. XLV.

IAC. SADOLETVS CARD. FRAN-
cisco Fregepani Vngaro, Episc.
Agriensi S. P. D.

Accepi tuas literas mihi gratissimas: in quibus illud perhumanum, quod mea erga te officia plurimi facere videris. Quasi verò non ego ita agere debeam: aut sit quicquam, quod à me tua eximia virtuti & amori erga me non debeat. Imò verò, quacunq; mihi dabitur tibi commodandi, & rem gratam faciendi occasio, sic ea vtar, vt eodem tempore beneficium me abs te accipere sim arbitraturus. Quid enim est, quod potius agamus, quàm vt faueamus bonis, & virorū insignium virtutes, cuiusmodi tu profectò es, iustis honorib. afficiamus?

ciamus? praesertim tãto amicitia fundamẽto inter nos
 iacto, quod non solum beneuolentia mutua, sed iure eti-
 am hospitij sancitũ sit. Noli enim putare me obliuisci
 posse illius humanitatis, qua tu adductus, Carpentora-
 cte vt me inuiseres diuertere voluisti. Quo quidem tẽ-
 pore cepi fructum permagnũ e conspectu & sermo-
 nibus tuis. De quibus scripsi ad Pontificem ea qua mi-
 hi videbantur: illud praecipue spectans, vt si quid antea
 ille fortẽ in tua natura fuisset offensus, animaduerte-
 ret & sciret, inter elatione animi & libertatem pla-
 mũ interesse. Quod de ecclesiarũ dilatione confirma-
 tionis scribis, cum mihi tua litera sunt reddita, vnã itẽ
 Roma scriptum à Ioãne Marsupino tuo est, omnia esse
 iam trãfacta: praesertimq̃, quod ad te attinet fuisse per-
 fectum. Quo equidem nuntio valde gauisus sum. Illud
 tantũ dolui, me non fuisse in senatu, cum mẽtio de te fa-
 cta est: iustis enim & debitis laudibus dignitas & vir-
 tus nõ caruisset. Quanquã illa quidem sine cuiusquam
 nostrum testimonio per sese splendida ipsa est. Ego illa
 verba in literis tuis maximopere probo: tibiq̃, impri-
 mis conuenientia esse duco: quib. te cõfirmas nullis vnq̃
 iniurijs ab honore et cultu sancta sedis apostolica esse
 discessurum. Certẽ sic facere decet eos, qui Deum, non
 qui homines intuentur: quiq̃, vt tu grauissimẽ & san-
 ctissimẽ scribis, spectant ea qua non videntur, non ea
 qua oculis & sensibus subiecta sunt: in quib. homines
 falli & errare iam quotidianum est: Sed de his satis.
 Tua epistola longissima mihi forent suauissima. Nam
 quas accepi, per breues visa mihi sunt, tanta à me cum

voluptate sunt lecta. Qui si Romæ essem, laceſcerem
 te crebro meis scriptis. Nunc longè gentium abſum,
 neq; sanè mihi conſtat quod ad tempus ſim ſim in Urbè
 reuerſurus: nam neq; quicquam adhuc video quod me
 illuc attrahat: & multa ſunt hic quæ me detineāt. Pro
 inde ſcito, labare meum illud primum cōſilium Romæ
 redeundi. Quicquid tamen egero, faciam te certiorè.
 Tu me vti diligas, Regiꝫ tuo meam et fidem offeras,
 et obſervantiã Brodericūꝫ plurimū meis verbis ſalu-
 tes, valde te rogo. Carp. VII. Idus Iulij. M. D. XXXIX.
 IAC. SADOLETVS CARD. FRAN-
 ciſco Fregep. Vngaro, Epiſc. Agrienſi S.P.D.

A Ccepi tuas literas datas Vienna extremo mense Iu-
 nio, ad me Septembri ineunte perlatas. Ex quibus
 cognoui, quod mihi ſuit iucūdiſſimum, te rectè valere,
 & apud Regem Romanorum eſſe Reipubl. cauſa: acce-
 piſſoꝫ optatum nuntium de confirmatione veſtrarum
 eccleſiarum. Quæ diu antè debita, aliquot de cauſis di-
 lata, poſtremò tandē à ſummo Pontifice facta eſt. Quæ
 etiam ego de re dederam ad te literas, quas te accepiſſe
 poſteà arbitror, & meam de omnibus tuis commodis
 lætitiã, ex eis cognouiſſe. Etenim noli exiſtimare o-
 ptime Franciſce, quicquã mihi poſſe euenire optatius,
 quàm audire taleis viros ad gubernacula eccleſiarū de-
 ligi, & vocari: qui tantum onus & conſilio regere, &
 virtute tueri, & religione ac pietate illuſtrare etians
 poſſint. Cuius quidem generis hominum quæ ſit penu-
 ria his afflictiſ temporibus, vtinam potius priuatis in-
 commodis noſtris, quàm publicis calamitatibus ſentire

mus. Sed de his viderit Deus, quem tantū orare atq; obsecrare reliquum nobis factum est. Quid autem generatur, quid paretur, quò tantis damnis eatur obuiam, nihil dum cernimus. Sed vt ad propositum redeam: ego honorem tibi delatum vel cōprobatum potius, & tibi honestum, & Reip. Christiana vtilem esse foreq; non dubito. Mihi quidem certe, qui te vehementer diligo probōq; iucundissimum. Qua eadem in causa Broderico etiam nostro gratulor: à quo habeo literas, quib. ille à me quiddam petit, nimirum Roma me nūc esse suspicans. At ego nō dum de ecclesia mea decepsi: vbi multas habeo commorandi causas, nullam adhuc aliā me conferendi. Quòd si Roma fuisset, & vobis id significassem, & nullum meum officium, quod ad vos quidē pertineret, desiderari essem passus. Nunc absens, id quod queo, vos absenteis amo. Vbi proficiſcar ad Urbem, oēs meae & opera, & diligentia fructus, vobis imprimis promptos atque expositos esse intelligetis. Ioannes Marsupinus tuus planè mihi satisfacit: est enim in scribendis ad me rebus vrbaniſ admodum diligēs. Idem tibi apud me maximas sepe ait gratias, tuāq; erga se beneuolentia & liberalitatis complura iam indicia non desinit predicare. Quae mihi quoque ipsi grata sunt, eaq; vt persequare à te vehementer peto. De rebus Turcicis nihil habeo quod placeat mihi ad te nunc scribere. Tu quòd propior illi es, hoc melius nosse omnia potes. Nos illud timemus, (in quo vtinam fallamur) ne iam de nobis ac Christiano nomine actum penè sit: ita laboramus intestinis externisq; malis, nec quicquam firmi auxilij

paratum nobis esse vlla ex parte cernimus: nisi quòd in Deo vno sunt omnia. Sed hac hactenus. Vina Gallicana te interdum optare, suaue admodum mihi est intelligere ex tuis literis. Quòd longè esset suauius, si te illorum possem facere participem. Non enim mihi bibere illa tam foret iucundum, quàm tecum bibere. Quòd forsitan Romæ aliquando licebit vtrique nostrum. Regi tuo optimo & clarissimo Principi, plurimam meis verbis salutem dic. Vale. Carpentoracti, IIII. Idus Octobris.

IAC. SADOL. CARD. FRAN-
cisco Fregep. Episc. Agriensi, S.P.D.

ET si liberae tuae tardissimè ad me fuerant perlatae, tamen cum esset occasio Romam scribendi, nolui praeterire, quin ad eas responderem. Quàmquam mutata temporum conditione, te iam extra periculum & timorè huius anni esse suspicarer. Nihil enim hostes adhuc mouerāt, quòd quidem fama ad nos pertulisset. Neque, dum tamen pax inter vos dicebatur esse constituta. Cum autem precipitante aestate, hyems antè videatur affutura, quàm administrari bellum possit: spes est, aut discussum iri, aut in longius tempus collatum id malum, quòd te pro tua pietate curaque Reip. sollicitat. Equidem videores Principum Christianorum ita contractas, vt nihil neque sperari boni possit, neque non metui mali. Sed erit ingenij, & virtutis, & prouidentiae tuae, primum agere omnia, quantum in te sit, quòd imminentibus istis regno è Turca periculis occurratur. Id si autem non poteris, neque erit tuae facultatis prouidere: tum tibi ipsi parare aliquod subsidium, quò, si ita res cadat, sustentare

Gg fugam

fugam atq; exilium tuum possis. Quamquā quod ad nostram amicitiam & amorem mutuum attinet, ego me met tibi, & mea defero omnia, quantum lacuna sunt, Sed tamen te tuis fortunis frui malo, quā alienis egere. Si tamen aliena dicenda sunt, quae ab amicissimis hominibus libenter deferuntur. Id autē cum in potestate nobis non sit, videanturq; casu magis & temeritate, quā aut hominum consilijs, aut prudentia Principū regi, & pēdere omnia: ego qui tutiores et ab omni periculo remotiores oras incolo, per fugium habeo paratū eis omnibus quos & propter necessitudinem, & propter virtutem dignissimos statuo, qui à bonis diligantur. Quo in numero tu mihi inter primos propositus es. Sed de his satis. Diplomata vestrarū ecclesiarū nondum vobis esse red dita dimittor: videoq; vbi resideat culpa. Est enim genus quoddam in nonnullis hominibus sapientiae, quod quibus modis res geri tractariq; cōueniat, penitus nescit. Itaq; etiam qua bene facta sunt, saepe ingrata accidit illis, in quorum gratiam & utilitate sunt facta. Sed tamē habebam ex vrbe à Marsupinis literas, Ius tibi, consecrationem, & Pōtificatus (vt mos est) insignia accipiēdi, esse datum. Quod idem valere debet, ac si ipsum diploma commendata tibi Agriensi ecclesiae testimonium habuisses. Quod libertatem tuam homines perperam interpretentur: eamq; magis velint superbiam existimare quam libertatem: noli mirari, Francisce optime, in tam corrupto seculo, tamq; seruilibus moribus. Vtinā verò semper apud nostros Principes libera vox valeret: cuius inopia & egestate est factum, vt aut nulla

aut ta

aut rara consilia ineantur, per qua decus atque splendor, salus etiam & incolumitas Christiana Reipub. restitui possit. Sed hac qua ab hominibus aut prodita, aut deserta sunt, diuinis consilijs gubernabuntur. Te quidem sensisse hominum perfidiam, neque suis promissis stetisse eos, qui te in spem illam adduxerant, iccirco non agerrimè fero, quoniam nihil video quod sit expectandum in eo premio, quod fuerat tibi ostentatū. Quin letor magis, quod magnitudinem animi tui agnosco: quàm vehementer probo: magisq; virtuti & constantiæ tuæ gratulandum à me esse arbitror, quàm consolationem ullam adhibendam. Se hac hæctenus. Ego etiam nunc Carpentoracti maneo: nec cogitationem ullam habeo digrediendi ex his locis. Litera tuæ, quanquam tristioribus curis referta, me quoque tecum in eandem penè solitudinem & societatem mæroris attraxerunt, tamen in eo mihi fuerunt periucundæ, quod magnum mihi dederūt testimonium tui erga me amoris: qui me potissimum delegisti, cū quo omnia quæ te angebant, communicares. De qua re velim sic constituas, te neq; fidelio-rem deligere potuisse quenquam, neq; amantiorem tui. Vale. Brodericum nostrum diem suum obijse molestum mihi fuit: amicum certè hominem, et eūdem virum bonum prudentemq; amissimus. Iterum Vale. Carpentoracti, X. August. M. D. XL.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDINAL.

Friderico Nauseæ, S. P. D.

Titubās, infirma manu, contra valetudinis commo- dum, hac ad te mi Nausea scribo, vt succensere mi

bi definas. Etenim scito, biduo post, aut triduo, quā ac-
 cepi tuas literas, & illam eruditissimam orationē, qua
 me nihil vnquā delectare potuit magis, me in grauem
 morbum incidisse: febribusq; vexatum et adductum fu-
 isse, vt aliquando de mea vita desperatum sit. Quo ta-
 men periculo Dei clementia liberatus, in ipsa remissio-
 ne morbi nondum nec mente nec corpore satis confisto.
 Quod si tu humanos casus cōsiderare voluisses, omnia
 prius cogitare debebas, quā me neglecti officij accu-
 sare: etsi gratum id quidem mihi accidit. Video enim
 et beniuolētiam erga me tuam et desiderium literarū
 mearum. Ad hominē illum scripsi, bono, vt mihi visus
 sum, consilio: sancto quidē, et pio certē. Neg; enim ali-
 ud quaesui, nisi cōciliare mihi eius voluntatē. Quod si
 ex sententia mihi successisset, crede mihi, aliquo pracla-
 ro munere Christianā Rempub. affecissemus. Cur autē
 ea litera tantopere reprehendantur, causa certē nō est:
 nihil enim est in illis, nisi priuata familiaritate prescri-
 ptum. Fortasse aliquando humilius, quā nostra digni-
 tas ferat: sed ego inter homines grauitatem meam cō-
 seruo, in causa Dei depono. Siquidem & Dauid ante
 arcā Dei pietatis memor fuit, nō dignitatis. Nā quōd
 ego ad Luteranos desciscam, quis suspicari ex illa epi-
 stola potest? cūm testificer in ea, me opinionibus ab eo
 dissentire? Amo ingenium hominis, doctrinam laudo,
 sententias certē non probo. Ex quo mirum mihi valde
 accidit, id quod tu scribis: videri me ijs literis & sum-
 mum virum Symonetam, & totum collegiū nostrum
 quasi perstringere. Hoc tu, quaso, quibus ex verbis epi-
 stola

stola mea colligere potuisti? Ego collegis meis omnem
vbiq³ honorem defero, et in Catholica veritate constā
tissimus sum, erog³ quo ad viuam: potiusq³ de vita, quā
de sententia decedam. Cupiebam plura, sed languor a-
nimi corporisq³ prohibet. Cū valetudinem recupera-
ro, crebritate literarū tibi satisfaciam. Interea quan-
do in imprimenda epistola mea id agere cœpisti, de quo
ago tibi gratias, samam & existimationem meam ti-
bi commendo. Vale mi Nausea. Vale, & perpetuū dili-
ge. Roma, X. Calend. Decembris, M. D. XXXVII.

IAC. SADOLETVS CARD. IOAN.


Archiepisc. Vspaliensi Gotto, S. P. D.

D XV. Calend. Ianuarij cum essem in mea ecclesia

A Carpentoracti, quò post discessum à Nicæa summi
Pontificis me cōtuleram, accepi tuas literas Tertio de-
cimo Calend. Nouembris Venetijs datas. Ex quibus co-
gnoui iustissimam querelam tuam, et dolorē eum, quē
ex publicis incommodis, tuisq³ priuatis, nō sine magna
ratione susciperes. Itaq³ tuis literis ad dolendum tecū
vehementer permotus, optaui equidem esse Romæ, quo
tibi præstarem eadem officia quæ apud summum Ponti-
ficem antea præstitissem. Sed cū id fieri non possit,
absūm enim ab Vrbe passuum sexcentis amplius milib.
nullum habens remedium quo à me posses iuuari, cum
sim ego quoq³ in angustijs positus: has constitui scribe-
re ad te literas, quib. de mea erga te voluntate certior
feres: & quoniam operam meam non posses, animum
saltem meum in te propensum benuolumq³ recognosce-
ris. Quod scribis perniciosum fore fidei Catholica, cō-

cilium habitū non esse, nostrosq³ aduersarios ea de causa iā insolentiores esse factos: nihil sanè mihi significas noui. Ego enim & hoc prouidi ita futurum: & postea quam contigit, vt concilij habendi spes omnis extingueretur, auctos animos eorum, qui contra Romanā inuehantur ecclesiā, multorum nuncijs literisq² cognoui. Quin quotidie aliqua ad aures meas perueniunt de opinionib. illorum hominū, aduersus Deū impia, ob multitudinē cum illis consentientiū periculosa: neq² adhuc video quid nobis iā reliquum ad spē rerum meliorum esse possit. Etsi Pontifex Maximus (quod ego scire tum potui) ad omittendū concilium non sua sponte, sed duorum summorum principum consilio fuit adductus, qui negabant tempus idoneum esse tanta agēde rei, qua & tranquilliorē Christiana Reip. statum & otium à Turcis ac fidei hostibus requirebat. Itaq³ ego eodem consilio vsus quo tu, pariq³ dolore affectus de Christiana Reipub. incommodis: optimum factu mihi constitui manere in hoc portu, & in hoc meo exiguo gubernando grege Deo ac fidei mee satisfacere. Cum præsertim in optimarum et sanctissimarū literarum studijs assiduus sim: Christi q³ fidē, quam autoritate & opibus non possum, meis quoad licitum est scriptis, meisq³ vigilijs in veterem dignitatē restituere coner. Alia tua causa est, qui non portum tenes, sed tempestate iactaris, et fluctibus. Quod mihi quidem dolori est: eoq³ magis, quod quemadmodum tibi opituler non habeo. Sed si diligentius tecum ipse scripture sancte documenta recollere volueris, intelliges, talibus potissimum qui propter defensionem veritatis & iustitiæ, hominum impiorum odia

sectationesq; perpetuuntur, regnum calorum et promis-
 sum esse & paratū: in q; per arumnas & huius vitæ ca-
 lamitates oportet nos ingredi. Non asseram scriptura-
 rum testimonia: quæ tibi nota sunt: illud dicā, Nullum
 mihi malum in ista tua misera afflictāq; fortuna vide-
 ri inesse, si modò tu is es, quē te mihi Romæ ostendisti.
 Cū ego & scientiā tuā bonarum literarū artiumq;
 adamarē, & constantiā animi in rebus aduersis laude
 psequerer. Nec verò vllum cuiquā malum dominari
 potest, cui Deus prorsus, & suū in Deo summū bonum
 sit repositū. Sed hac hæc temus: non enim arbitror te ege-
 re nostris admonitionibus. Ego quoniā Romæ non sum:
 tibiq; in ea vrbe operā nauare nō queo, scribo ad Cōta-
 renū talem virū, qualem tu nosti, sciētia, religiōe, inte-
 gritate, omnib. præstantē: vt is causam tuā, & suo &
 meo nomine apud Pontificē agat. Ad quē si tu quoq; de-
 deris literas, measq; hæc ante tuā profectiōē in Ger-
 maniam acceperis: non dubito, quin aliquo genere sub-
 fidij à summo Pontifice tibi subueniatur. Vale. Carp.
IACOBI SADOLETI S. R. E.
CARD. EPIST. LIBER XII.
IAC. SADOLETVS CARDIN. ALE-
xandro Farnesio S.R.E. Card. S.P.D.



VENIONE cū essem, adie-
 runt ad me cōsules cum multitu-
 dine honestissimorum ciuium: sa-
 cerdotum etiam ordine adiūcto:
 vehementerq; à me petierūt, vt
 cū ipsi scripturi ad te essent, et

cum vir amplissimus legatus idem esset facturus, ego
 item scriberem: ut oēs vno consensu te rogavimus, quo
 velles tam nobilem & tam illustrē ciuitatem ornatam
 esse abs te Episcopo, qui vicem tuam sacris præesset,
 assidueq; in ea commoraretur. quando quem tu huic cu-
 ra & muneri præfecisti, is & abest multo maximam
 partem temporis, & raro Auenionem comitat. Acci-
 dunt autē ferè quotidie multa in tanta vrbe, quæ ege-
 ant Episcopo: præterquam quòd non mediocre sibi or-
 namentū deesse ciuitas putat, si Episcopus præsens non
 adsit. Hac de re cum ipsi ad te accuratè dant literas, tū
 ego quoque optime Farnesi summo animi studio te ro-
 go, ut satisfacias florentissimæ ciuitati: præsertim quæ
 in te vno spes suas omnes collocatas habet. Facies enim
 eius gratissimū: meq; qui pro illis rogo, magno ornamen-
 to affeceris, si passus fueris preces meas, illorumq; vna
 auctoritatem, quæ certè parui non facienda est, apud a-
 nimum tuum, ad impetrandum quod petimus, valere.
 Ego cum te semper optimo ingenio, egregiaq; natura
 præditū esse cognouī: tum illud tibi imprimis cura esse
 debere arbitratus sum, ut istam felicitatem atq; fortu-
 nam, quæ te complexa est, in ijs præcipuè actionibus
 adhibeas, atq; exponas, quæ ad beneuolentiā hominum
 virtute ac beneficijs tibi conciliandam sint accommo-
 data, ne tibi postea vlla rerum temporumq; commuta-
 tio nocere possit: tuq; iudicio & prudentia tua magnus
 semper sis, non casu. Sed ego fortasse ineptus, qui hæc
 ad te scribam: cum tu domesticis & admonitionibus et
 exemplis quotidie fias doctior. Verūm ignosces mihi,

maio-

maio rem amoris mei erga te, quã eius officij quod mihi conueniat, rationem nũc ducenti. Quem maximè apud se cupiant esse Episcopum. Auenionenses ipsi ad te scribunt. Hortor & oro, vt eorum voluntati morem geras: & tamen præscribas, quibus eum finibus vti velis potestate, quem sacris rebus tuo nomine tractandis agendisq; præficias. Quo maximè modo sine vlllo honoris & fame tue periculo, tuis per te populis & ciuitati nobilissimæ erit consultum. Sed hac hæctenus: non enim vereor ne iustissima preces locum apud te non habeant. Summus Pontifex mihi mandar at, cum me in hac loca ex Nicæa essem recepturus, vt curã & vigilantia adhiberẽ, quod ad hosce populos in recta religione continendos pertinet: quod audiebat Lutheranos in his regionibus valde increbrescere: quod idem ego quoq; multorum literis cognouer am. Itaq; huc postquã veni, quid egerim & Carpentoracti et Auenione, quomodo insidias omneis eiusmodi rerum, suspicionesq; cõpreserim, quã nunc omnia composita sint & sedata, malo eũ ex literis aliorum cognoscere quã ex meis. Certè eam & voluntatem, & obedientia, quã illius sanctitati debeo, perpetuam præstabo. Et quoniam vt hic maneam vsq; ad proximum ver, & multas & necessarias causas video me coacturas: rogo te amplissime, Farnesi, mihiq; merito charissime, vt in tuis cum Pontifice Max. sermonibus, interdum mei mentione facias, neq; memoria mei apud eum intermori totam sinas, habeasq; tibi & fortunam & dignitatem meam apprime commendatã, si tamen tua officia apud hominẽ gratum positurum te

intelligis. Vale. Carpent. IIII. Calend. Octob. 1538.
 IAC. SADOLETVS CARDIN. ALE.
 xandro Farnesio S.R.E. Card. S.P.D.

GRata mihi tua litera tantumne? imò verò & peroptata, & dulces: quae aliquā mei memoriam residere apud te mihi indicarunt. Quod ego quanti faciā, non nunc scribo: aliud erit tempus ista commemorādi. Hoc dico, in tuis iucundissimis literis illud tamen offensionis fuisse, quod haec tardissimè ad me perlatæ sunt. scripta enim à te VII. Idus Septembris, tertio Idus Octobris mihi sunt reddita: sexto & trigesimo die videlicet postquam tu eas dederas. Sed quod ad rem pertinet, vtinam Farnesi amplissime vobis vocantibus, quemadmodum quidem cuperem, subito parere possem: neminem profectò promptiorem ad obtemperandum vobis inueniretis. Sed quae me impediunt cause quominus statim accedam, scribo ad Pontificem Max. scriboq; non tam sapienter, quā ingenuè & liberè. Quod Pontifex ipse pro sua perpetua praestantiq; humanitate in bonam partem accipiet. Earū ego literarum exemplum ad te misissem, nisi illas cōmunes tecum fore existimassem: quod certè ita futurum est. In ijs ego peto atq; oro, vt tempus mea absentia mihi provogetur vsque ad proximum mensem Aprilem: quo tempore in Italiā reuerti mihi in animo est. Hac in re Farnesi optime, te mihi aduocatū esse cupio, vt facilius impetrem, quod a quissimè à me petitur. Neq; tamen recusò, si vos omnino ita statueritis, quin primo quoq; tempore istuc veniam. Sed cum neq; in ignum fructum ex me istuc percipere.

cipe
 filijs
 et eg
 nere
 vos
 aute
 ad ea
 bi et
 senti
 esse p
 mum
 res it
 Vale.
 IAC
 SVp
 Senu
 modo
 pus co
 tificer
 pio ess
 pta p
 nullas
 fideba
 non fr
 nes m
 studia
 pertur
 sit. Po

cipere possitis, quod in tot sapientissimorum patrū con-
 silijs, & prudentia, parum eminere opera mea potest:
 et ego magni mea interesse sentiam, aliquādiu hīc ma-
 nere: erit humanitatis & liberalitatis vestrae, faciles
 vos praeberē in eo, quod vobis parum admodum, mihi
 autem plurimum profuturum sit. Sed de his reijcio me
 ad eas literas, quas Pontifici scribo, futuras (vt dixi) ti-
 bi etiam communes. Te quidem ipsum rogo, vt mei ab-
 sentis famam atque fortunas in tua fide & patrocinio
 esse patiare: talemq; te mihi praestes, qualem ego ani-
 mum erga te in omni tuo honore dignitateq; tuenda, si
 res ita ferret, plenum amoris & diligentia afferrem.
 Vale. Idibus Octobris, M. D. XXXVIII. Carpentor.
IAC. SADOLETVS CARDIN. ALE-
xandro Farnesio S. R. E. Card. S. P. D.

Superioribus his diebus tuis literis, quibus me Romam
 seuocabas, respondi: reddidiq; rationem mea hic non
 modo iusta, verum etiā necessaria vsq; ad certum tem-
 pus commorationis. Quod item aduersus summum Pon-
 tificem feci, cui mea acta atque consilia imprimis cu-
 pio esse probata. An verò mea excusatio in bonam acce-
 pta partem à vobis fuerit, nondum equidem sciebam:
 nullas enim ea de re acceperam literas. Sed tamen con-
 fidebam, vestra natura clementia & bonitate fretus,
 non frustra vobis oblatas fuisse preces & obtestatio-
 nes meas. Itaq; sedato eram animo, totus ad literas &
 studia conuersus, nescio quid excudebam, quod in hac
 perturbatione temporum alicui fortassis vsui esse pos-
 sit. Postea venerunt ad me ex vrbe litera, omnia de vo-
 bis

bis lata nunciantes, quā de nuptijs & affinitate Casaris: quā de vestra familia aucta & amplificata dignitate: quod vtrunq; mihi iucundissimum auditu fuit. Cum enim habeā summū Pontificem auum tuum omnis mei honoris & dignitatis autorē, omnia ego vobis debeam necesse est. Itaque ex hac vestra amplificatione fortunæ tantum letitiæ capio ac voluptatis, quātum ex mea aut meorum, si isto ego loco essem, profectò non caperem. Deumq; supplex oro, vt ista vobis rata & perpetua esse statuatur. Et tamen, vt timidus est amor cogitāti mihi rerum vicissitudines, & temporum, atq; in secundis & prosperis varia & dubia semper pertimescenti, videbantur vestra hæc, siue fortuna, siue etiam humane prudentiæ premia, clauo vt dicitur trabali firmiter ad diuturnitatem temporum figi posse, si quam sapientiam hoc tempore in amplificanda generis ac familiae suæ dignitate, summus Pontifex adhibuit, eandē ad religionem Dei redintegrandam, sanctosq; mores in sacerdotum ordine reuocandos, quemadmodum quidem initio agere aggressus est, vsq; ad præclarissimi operis affectum adhibuerit. Quod mihi sanè videtur nō diuturnæ consultationis, sed magni animi & parati fore negotium. Vt enim nauis aduersus vim et metū impediētis tempestatis duabus anchoris religari solet, quarum maior altera dicitur, altera minor: sic vos maiore anchora fortunarum vestrarum in ipso Deo iacta atq; firmata, ab omnibus tempestatibus tuti atque muniti, secundos semper cursus tenebitis. Sed ego ineptus qui ad ista progrediar, quasi verò aut virtus vobis de-
 sit,

sit, a
 dare
 grati
 stris
 amic
 Calen
 IA

ET
 ru
 Polum
 prasta
 scripsi
 lator
 autor e
 nos cer
 giam in
 isse. Qu
 pricipu
 tis tua i
 quasi cr
 quoque
 micissim
 amplius
 tius labor
 gere & d
 mihi insit
 here, cui
 ti, quā

fit, aut consilium: quod utrunq; in vobis cernitur abundare. Illud meum est, Farnesi amplissime, ut & vobis gratuler, quod equidem libentissimè facio, et optem vestris secundis rebus perpetuitatem: quod semper animo amicissimo sum facturus. Vale. Carpentoracti, pridie Calend. Decembris, M. D. XXXVIII.

IAC. SADOL. CARD. ALEXAN.

Farnesio S. R. E. Cardinali S. P. D.

ET si aliquāto antè idem cognoueram ex literis meorum, quod tu ad amplissimum nostrum collegam Polum de amplificata Bembi summi viri dignitate & praestantissimo erga eum Pontificis Maximi beneficio scripsisti: tamen omnia illa tua litera mihi vberiora, latioraq; fecerunt, cum essent abs te ipso scripta, qui autor etiam tam praclari operis extitisses. Scito enim nos certiores esse factos, maximè insignem atq; egregiam in illo ornando, operam tuam, auctoritatemq; fuisse. Quod etsi tu liberalitati, nobilitati, virtutiq; tuae praecipue tribuisti: quo his initijs, & veluti fundamentis tua in posterum praecollens dignitas in immensum quasi cresceret, tamen quoniam eius beneficij magna quoque pars ad me ipsum peruenit, qui pro homine amicissimo, & fraterna mihi necessitudine coniuncto, amplius etiam quàm pro me ipso egissem, & vehementius laboravi: sic habeto, maximas me tibi pro eo & agere & debere gratias, neq; ex multis officijs, quae tua mihi insita in animo & in memoria sunt, vllum me habere, cui iustius & libentius me obligatum esse confitear, quàm istud ipsum, per quod, in Bembi mei honore

me

me nō mediocriter à te esse ornatum intelligo. Verum
 in his tua tibi virtus & liberale ingenium, etiam si mi-
 nus gratiam nos referre poterimus, qui animo quidem
 sumus alacres, sed parum valemus opibus, maximu fru-
 ctum & verissima animi voluptatis, & singularis lau-
 dis asseret: nos certè id agemus, quod est gratorum ho-
 minum, vt beneficia vestra memoria & predicatione
 nostra, piog₂ animo semper prosequamur. In quo cum
 ego neque erga te, neq₃ erga summum Pontificem sa-
 cere satis animo & cupiditati mea possim, rogo te am-
 plissime atq₃ ornatisime Farnesi, atq₃ omnibus precib.
 vehementer oro, vt tu meam vicem Pontifici agas gra-
 tias: quantumq₃ me ille sibi hoc nouo munere deuinxerit,
 quem tot iam vinculis habuerat antè obstrictum,
 explices & exponas sacundia tua: quando ad magnitu-
 dinem rei mea vox satis viriū non habet. Quod abs te
 gratissimum mihi, et simile futurum est tuorum omni-
 um. Polus tuus, vir fortissimi animi, virtutisq₃ non exi-
 mia solum, verum etiam admirabilis, (quod ipse et a-
 lias saepe, & nunc cum maximè, in hac iniquitate for-
 tuna, acerbisq₃ suorum euentibus declarauit) summa
 mea cum voluptate nunc est Carpentoracti. Itaq₃ ab
 omnibus colitur, & in honore habetur, vt non hominè
 nostri temporis, sed quasi è cælo demissum, aut ab anti-
 quitate nobis redditum, videantur intueri. Tanta est is
 sapietia, modestia, humanitate, religione: quod quidè
 etiam in gloriam vestri nominis cedit: cum videat ha-
 nationes, cuiusmodi vos viros ad sedis Apostolica gub-
 ernacula acciendos esse putaueritis. Sed hac notiora
 sunt,

sunt, quàm vt noua commemoratione indigeat. Tu valebis Farnesi optime, & nos gratia ac presidio tuo tuebere. Vale. Carpentoraçti, Calen. Maij, M. D. XXXIX.
IAC. SADOLETVS CARD. ALEXANDRO FARNESIO S. R. E. CARD. S. P. D.

Tuus subitus discessus, & festinatio Romam perueniendi fecit, vt quod maximè cupiebam, atq; optabam videre te et alloqui, id mihi fuerit ereptum: tamè iudico te quicquam nisi bona adductum ratioe fecisse: quòd vel pietas tua erga tuos, vel desiderium rerù urbanarum, quòd sepe etate iam prouectis, nedum adolescentibus, magnum calcar affert: vel forte Pontificis imperium & voluntas appropere te coegit. Tamen in expectatione maxima tui videndi & complectendi cum essem, quòd mea me spes frustrata est, non possum non colere. Qui si tuo inductus nuntio non fuisset, quomodo Carpentoraçti subsistere; & tibi hospitium parare iussisti: obuiam certè tibi Auenionem processissem: & si non omnem, at aliquam tamen partem cepissem sperata voluptatis. Nam & conspectus tuus mihi iucundissimus, & mea tibi obseruantia (vt arbitror) non ingrata extitisset. Nunc cum neq; hic, neq; alibi cõspicere te potuerim, measq; tecum rationes familiariter cõferre, cumq; ciues mei, penè populariter, summa cum alacritate & lætitia obuiam tibi prodire, festumq; diem agere aduentus tui constituisset: potes pro tuo ingenio existimare, fuisse nobis molestum, quod tu in alium repètensum, & aliud iter te conuerteris. Sed si hoc quod non cecidit perincommodè, tibi idem commodum atque
 oppor-

opportunum accidit : & si iter totum sic ex sententia
 confecisti, vt ad tuos saluus incolumisq₃ redieris (quod
 ego & spero, & Deum quaeso vt ita sit) vincat senè v-
 rilitas tua cupiditates nostras: sitq₃, nobis potior tua sa-
 lus & voluntas, quā omnes ea rationes, quibus nos spe-
 rauimus ex congressu tuo gaudium nobis & letitiam
 posse comparari. Nam quæ ego coram tecum erā actū-
 rus, parum sanè interest, vtrum ea voce, an per literas
 exponam. Quod verò summa voluptatis & letitiæ ex
 tuo aduentu ad nos percipere potui, id amissum, sic ani-
 mo aquo sero, si tibi id fuit gratius, atq₃ optatius. Dabi-
 tur enim mihi (opinor) aliud tempus, meam tibi abser-
 uantiā, & gratiam in omneis tuos voluntatem declarā-
 di. Nunc vt veniam ad id quod egi tecū, cūm fuisti Aue-
 nione, de diuturniore mea mansione in his locis: id te o-
 ro atq₃ rogo Farnesi amplissime, vt in memoriā habeas
 excusesq₃ me apud summū Pontificem, totūq₃ me de-
 nique & tuendum tibi, & defendendum suscipias. Ego
 nec vllō patrono possum esse munitior, quā te, si mo-
 dō dignus à te fuero iudicatus, qui in fide & clientela
 tua sim: nec tu opinor, dedecus vllū ex tua erga me hu-
 manitate suscipies. Ita enim me geram, & eā operā
 dabo, vt te mihi presidio adiumentoq₃ fuisse ne vnquā
 pœnitent. Cur autem istuc venire nō possim, causa par-
 tim necessaria sunt, partim habent in se honestatem et
 laudē. Neccitas in confitendo nō nihil pudoris affert,
 ingenuis præsertim animis: quam tamen neccitatem
 vos intelligere, etiam tacente me, potestis. Nec tamen
 propterea ambio à vobis quicquam, aut flagito. Sed si

ego ea natura præditus sum, vt nemini velim sumptui esse, & oneri: decet vos quoque ea esse benignitate, vt me cōmodum meum sequi, & vestræ liberalitatis insignibus ornatum, vbi cunq; sim, duplicem vobis habere gratiam patiamini, & maximi honoris ac beneficij, q̄ in me contulistis, & summæ benignitatis, qua me morem mihi gerere, & meo obsequi animo indulgentissimè p̄mittitis. Sed (vt dixi) necessitas verecundiâ quâdam habet: honestas est prædicabilior. Dico igitur, me hic manere non inuitum: quod & inter amantissimos mei versor, et multa quotidie ex me commoda atq; ad iumenta his populis proueniunt: quod diurnis nocturnisq; meis cogitationibus hoc consequar, vt & pace atque concordia eos contineam: & propulsem hinc impios, qui veritatem catholica religionis conantur euertere. quorum, nisi ego huc venissem, magna iam copia in his locis existeret. Nunc meis vigilijs atque curis sit, vt illi non modò ad nos, sed ne ad vicinos quidè nostros se audeant conferre. Contingit enim peropportunè, vt cum apud populos etiam alieniores fides mihi non parua sit: tum verò senatoria consilia quæ Gallicanis præ sunt prouincijs, vt Aquense, vt Tholosanum, vt Gratianopolitanum, meo non minimùm testimonio moueantur. Itaq; cum his paucis diebus diploma ad me pontificium esset allatū, quo datur mihi in Luteranos inquirendi atque animaduertendi potestas: accepi equidem illud venerabundus, & gratulans: gratiasq; de eo summo Pontifici egi, qui tantū mihi honoris suo iudicio detulerit: quas etiam à te Farnesi optime meis illi verbis

agi, cupio, idq̄, vt facias rogo. Sed quod ad vsū istius
 potestatis pertinet, equidem si necesse erit, vtar: dabo
 operam tamen ne sit necesse. Nam quibus ego armis li-
 bentius vtor, ea vt leniora sunt ad opinionem atq̄, aspe-
 ctum, ita ad conuincendos improborum animos longè
 sunt validiora: cū non terror ab illis neq̄, supplicium, sed
 veritas ipsa sed et Christiana imprimis mā̄suetudo, cō-
 fessionem erroris, corde magis quam ore prolata ex-
 primit. Est autem hoc loco quod vobis à me apertè in-
 dicandū sit: de quo tecum habui si recordaris, mentio-
 nem cū tu in Hispaniam iter haberes: deq̄, eadem re
 tecum postea, me absente amplissimus Polus collocutus
 est: cui tu, & mihi benignissimè es pollicitus: de Iudae-
 rum negotio videlicet: quibus aliquando franū aliquid
 imponi profectò est necesse, si non illorum auaritia in-
 famiam, qua gens illa præter ceteras laborat, transfer-
 re ad nos totam volumus. Agam fortiter, vtarq̄, liber-
 tate, quam tribuit mihi Deus: neq̄, eum Principem, cui
 omnia debeo, cuius eximiam laudem virtutis, probita-
 tis, sapientiæ, vllis hominum sermonibus infringi aut
 imminui iniquissimo animo patior: falsis assentationi-
 bus in errorem inducam. Sed dicam apertè vt seres ha-
 bet. Quis potest videri amore religionis in suis prouin-
 cijs Luteranos persequi, qui in eisdem prouincijs tan-
 topere sustinet Iudeos? Sustinet autem? Imò verò au-
 get, condecorat, honestat? Nulli enim vnquam vllis
 Pontifice Christiani tot gratijs, priuilegijs, concessio-
 nibusq̄, donati sunt, quot per hosce annos Paulo Tertio
 Pont. honoribus, prærogatiuis, beneficijs, non aucti
 lum

lum, sed armati sunt Iudæi. Ac cæteris quidem fidelibus
 & optimè meritis, noua iuris beneficia, ad propulsan-
 dam, si qua illata sit, iniuriam conceduntur: Iudæis so-
 lum ad inferendam. Quanquam non est ista Pontificis
 optimi culpa, sed eorū qui ad suum ex Iudæis quæstum,
 Pontificis nomine abutuntur. de quib. honestius est vos
 existimare, quàm me scribere. Iudæi quidem opibus re-
 ferti, fautorib. insolentes, inter has plebes, tanquā in-
 ter pecudes lupi grassantur. Oppida iam dudum plera-
 que vastata sunt, familia plurimæ exturbata larib. suis
 & extorres factæ, dispersæ inter finitimas nationes,
 queruntur horum conditionē temporū, & miseræ for-
 tunas suas: cum tamen quotidie Iudæi istinc ex vrbe à
 præfectis ararij noua ad nos priuilegia deferant. Et in
 his nuper duo, quæ maximè valentia sunt ad euerten-
 dos Christianos, scilicet nutu ibi quod volūt consequū-
 tur, nec est quicquam iam sanctius, & ad reconcilian-
 dam ecclesiasticam dignitatem, quæ propè omnis iam-
 pridem amissa est, vtilius, quàm fouere Iudæos: quib. (¶
 omnibus seculis inauditum est) licitum sit solis tanta
 frui apud magistratus autoritate et gratia, vt ad impe-
 trādum omnia quæ poscunt, eorum accusatio audiatur
 sine reo, causa cognoscatur sine teste, sententia feratur
 sine iudicio. Et hæc vos tandem quomodo ab his trans
 alpes nationibus accipi existimatis, quarum in oculis
 & in conspectu posita sunt? Quæ rationes carent oēs
 hac Iudæorum peste, nec abominantur peius quicquā,
 quàm Iudæorum nomen, quos tantopere vident istic in-
 felicis esse. In tantāne defectione animorum omnium

iam à nobis gentium (planè enim dico omnium, quod ego ita esse intelligo: vos haud ita sentitis, propterea quòd auribus vestris vulgò homines blandiuntur) in tantàne inquam defectione omnium, & prope execratione autoritatis ecclesiastica, magno Reip. presidio futurum putatis, si sic alueritis, sic extuleritis Iudeos? fideles autem, & pauperes populos vestros sic lacerrari ab illis, & diripi neglexeritis? Porro in hac loca, quod tu transiens nosse potuisti, prouincia maximè concurrunt, Italia, Hispania, Gallia, atque Anglia: è quib. qui hac iter faciunt homines, conscios eos esse huiusmodi querelarum, easq; domū ad suos referre, sanè existimationi vestrae et cōmuni salutis non expedit. Sed ego hac ad te verè quidem & liberè, forsita aut̄ dolemus, quā necesse erat, scripsi. In quo ignosce mihi optime Farnesi. Pastor sum populorū horum, non mercenarius. Moueor, si quisquā alius, in improbos stomacho, erga pauperes misericordia. Fungor officio meo, & fungar. Si poterò opem ferre et consulere meis, habebò Deo omnipotenti, et optimo maximoq; Pontifici gratiam: sin minus, totum hoc onus reijciam in vos, qui principes pastorum estis. Vos et meā vicē et vestram, eidem summo Deo rationē reddetis, quando vestra, nō mea, omnium rerum est potestas. Vnum, quod ad te ipsum propriè pertinet, (dat enim mihi etas meo, nō autoritas quidē, neq; prudentia, apud te loquēdi veniam) vnum inquā, te admonebo: cum tu istis initys nobilitatis, fortune, honoris, ingenij, ad summam omniū hominum cōmendationem, & spem præstantissima virtutis productus

fu:

fir: f
oster
nos a
pul
sanē
cupie
pra s
mula
in om
glori
struer
veler
Vale.

IA

A
B

ad me
tim ni
cum eo
illo mo
uantia
stare so
peranda
nive. C
tior fac
fuerat a
eo veni
pris L

sis: si tales causas & huiusmodi patrocinia susceperis, ostenderisq; tibi cura esse (id quod tamen facis, in quos admodum letamur) equitatē, iustitiam, pacē popularum, & erga Deum religionem: quae quidem res sanctissima, ac praclarissima, nulla re alia magis quā cupiditate lucri, auaritiāq; foedantur, quā isti palā pra se ferunt, qui Iudaicis tantopere studere se non dissimulant, stabile (mibi crede) & firmum fundamentum in omnem posteritatem tibi subieceris ad dignitatē & gloriā nominis tui quotidie magis augendā, altiusq; exstruendā. Quā nunc et magnā admodū, amplāq; esse vehemēter letor, et maiore indies futurā esse confido. Vale. Carp. IIII. Calend. Augusti, M. D. XXXIX.

IAC. SADOL. CARD. ALEXAN.

Farnesio S. R. E. Cardinali S. P. D.

Acciperam ex Vrbe literas, te à summo Pontifice è Belgis Romam esse reuocatum: futurumq; in viā ad medium mēsem Maij. Quod simul atq; cognoui, statim misi Paulum meum obuiā tibi Lugdunū, & simul cum eo ad te literas, vt quoniā praesens ipse nō possem, illo modo te salutarē, et obirem absens meae in te obseruantiae munia, quae corā cūm sum, libentissimē tibi praestare soleo. Accidit autem celeritate tua, et studio properandi, vt Paulo non fuerit necesse Lugdunum peruenire. Cū enim abesset ab ea ciuitate diei vnius iter, certior factus est amicorum literis, quibus negotium hoc fuerat datum, te repentē ante omnium expectationem venisse, statimq; profectum: nec punctum ferē temporis Lugduni commoratum esse. Quocirca ille meis

Lugdunum missis literis, quae te, quod fieri posset, consequerentur, ad nos reuersus, hunc mihi nuntium retulit. Accepi dolorem scilicet, quod cupiditas mea mei officij atque amoris tibi declarandi, bis iam conandi mihi, irrita cecidisset. Sed tamen me consolatus sum quod existimauit studium tuum perueniendi ad Urbem, meo tui videndi studio anteponendum esse. Nunc rursus cum ad me scriptum sit, te saluum atque incolumem ad tuos rediisse: magnamque esse laetitiam ex tuo aduentu Roma concitatam, volui tibi his literis non gratulari solum, quod faustum et fortunatum iter habuisses, multaque ex sententia tuae et aui tui Principis sapientissimi cum Caesare consecisses, sicut amantissimo et deditissimo animo tibi gratulor: sed etiam gratias quam maximas posse agere, quod tua commendatio rerum causarumque nostrarum, hoc est prouinciae huius, quam ex urbe discedens apud animum Pontificis reliquisti, usque eò nobis profuit, ut simus omnia quae volumus, quae ad horum fidelium populorum fortunas ac salutem potius, aduersus Iudeorum improbitatem ac fraudes tuendam, pertinebant, ipsius non solum equitate et iustitia, sed summa etiam clementia et benignitate consecuti. Quae in te tuus consanguineus Ascanius Sfortia, singulari virtute et supra aetatem prudentia praeditus adolescens, dignissimus eis honoribus, quibus tecum simul fruitur, nobis amicissimè et constantissimè suffragatus est. Quapropter cum quoquo me verto, habeam vestigia ante oculos vestrorum plurimorum erga me meritorum: nihilque iam sit, quod non vobis debeam, vel in honoribus,

vel
sicut
haber
dior
infern
cum p
imagi
gregia
cereno
coniun
desiti
Caesar
pruden
ribus eo
hac iter
spem de
mest d
Cuius he
lam anir
auribus
virtute,
pla & p
est specie
cum gra
non mod
namento
mest, is d
dominum
& ingenio
vi

vel in vita vel in fortuna: potestis existimare, si me in-
 stitutum optimis artibus esse cognoscitis, neminem vos
 habere, qui maiore studio, benivolentiore animo, san-
 ctiore obseruantia, vobis, & nomini, honorique vestro
 inseruire paratus sit. Sed hac hactenus. Ego cum te-
 cum postremo Auenione locutus sum, visus sum videre
 imaginem in te quasi florescentem in ætate viridi, e-
 gregia grauitatis, eius videlicet, qua maximè solet de-
 cere nobilitatem, qua sit cum humanitate comitateque
 coniuncta. Itaque tum à te gaudij plenus discepsi, nec
 destitui postea hoc de te & sentire & predicare. Nunc
 Caesar Triuultius Episcopus Comensis, vir doctus &
 prudens, reuersus è Gallia, idem ait & sibi & complu-
 ribus eorum, qui iudicare sciunt, in aula Regis, cum il-
 hac iter fecisses, fuisse visum: magnamque opinionem &
 spem de tua futura virtutis amplitudine, in qua vera
 me est dignitas, in animis multorum conceptam esse.
 Cuius hæc oratio, & de te testimonium, pristinam il-
 lam animi mei latitudinem renouauit. Quid enim est, quod
 auribus meis accidere possit iucundius? Tu verò maxime
 virtute, qui tam diligenter exprimas domestica exem-
 pla & prudentiæ, & grauitatis. Et nimirum nulla
 est species vsquam prestabilior, quam humanitatem
 cum grauitate ita habere temperatam, vt altera alteri
 non modo impedimento nulli, sed decori etiam & or-
 namento potius sit. Difficilis omnino res, sed in quo ea
 me est, is diuino quodam spectaculo oculos, atque animos
 hominum cunctorum commoueat, necesse est. Cuius te
 ingenio, & à natura præclarissimi doni, compotem

iam factum esse, vehementissimè iator. Sed de his etiam satie. Illud amabo te, mi Farnesi, suscipe, & supple quod mihi deest, vt quas ego dignè non possum, tu Pontifici Maximo non meis solum verbis, sed tuo etiam nomine agas gratias. Nam quæ ad nos ab illo beneficia profecta sunt, ea tibi ab eo primum data, per te verò deinde ad nos transmissa sunt. Quare tu quidem illi? ego ambobus vobis maximam gratiam debeo, quam equidem sanctam et inuolatam perpetuò sum seruaturus. Vale. et nos dilige. Carp. Prædie Non. Iulij, M. D. XI.

IAC. SADOLET. CARDINAL. PAV-
lo III. Pont. Max. S. P. D.

Cogit me ratio temporum, & sanctitatis tua bona existimatio, quæ iam in animis omnium gentium & nationum insita est, eademq; mihi omni alia re longè est charior: vt quoniam colloquendi facultas comoda nondum fuit, scribam ad te id quod animum meum simulat: & quod ad tuam summam laudem, publicamq; utilitatem valde iudico pertinere: satis fidens, te pro tua singulari humanitate et sapientia, libertatē hanc meam in optimam partem esse accepturum. Cum enim Pater sancte appetere iam incipiat agendi concilij dies, idq; intelligam ab vniuerso terrarum orbe tant opere expecti, atque omni ratione flagitari, vt nullo pacto differri sine pernicie, aut graui saltē periculo posse videatur: nondum tamē bene parata aspicio ea arma, quibus muniti contra aduersarios esse possimus. Ac video id quod, multa etiam forsitan impendere quæ hic nos retinere: sed aduersus ea, difficile illud quidē, veruntamen

aliqu
entia
eo, qu
ciol
tem n
idq; e
rabo,
argit
oppor
corpor
obscu
ritas ip
te, qu
tissim
piscopr
sum: q
apud I
nimo e
do aper
fidias f
in eo ho
gula vi
& huic
concili
omnium
suetudo
tione pr
liciter, n
tum bon

aliquod inuenietur remedium: propria enim hæc sapientia tua futura est consultatio. Ego tantum nunc de eo, quod ad concilij rationem attinet, munere atq; officio loquor: in quo etsi spe bona sum Deum omnipotentem nobis & veræ atque honestæ causæ non defuturum: idq; ego pro mea parte ut ita fiat contendam & elaborabo, ceterosq; item pro sua spero esse facturos: tamen angit me, & sollicitum vehementer habet, quod vnum opportunissimum & imprimis vtile membrum nostri corporis video languere. Non utar circuitionibus, neq; obscure aut oblique tecum agam: sed aperte, atq; ut veritas ipsa & fides mea fert. Incredibile est, Pater sancte, quantum dolorem acceperim, quod summus et doctissimus vir Hieronymus Alexander Brudusinus Archiepiscopus ab eo honore exciderit, ad quem ego vocatus sum: quo adiutore & socio, ambobusq; nobis, ut etiam apud Homerum est, studio locoq; coniunctis, alacris animo eram, planeq; Deo fretus, confidebam, nos non modo apertos impetus hostium, sed absconditas etiam insidias facile propulsaturos. Multa enim collecta sunt in eo homine magna atq; præstantia, quæ in cæteris singulis vix insunt, eaq; omnia maximè et huic tempori, & huic causæ necessaria. Linguarum summa cognitio: conciliorum, rerumq; quæ ad eam rationem pertineant omnium memoria, scientiaq; admirabilis: vsus et consuetudo cum exteris nationibus, ac cum Germanica natione præsertim, in qua diu, & acriter addo etiam feliciter, negotia Catholice fidei tractauit. Quod ergo tantum bonum à nobis reiectum est? Nollem detrabere cui-

quam, non enim id natura, nec consuetudinis est mea: sed tamen sedis apostolica amor, qui mihi penitus insitus est, vincet in hoc loco naturam. Etenim si confidit sanctitas tua res bene processuras horum Theologorum ope, qui in doctoribus istis recentioribus tantum exercitati sunt: credat mihi ipsa, in quo mentiri cupio, acerbioris disfidio, & multiplicatis heresibus nos ex concilio esse discessuros. Quamobrem & quomodo hoc futurum putem, aut alias dicam, aut res ipsa indicabit. Doleo igitur, & vehementer doleo, quod Aleandrum comitem mihi fortuna inuiderit. Nam cum in me aliquid fortasse insit, quanquam exiguum id & tenue, et tamen publica causa non inopportunum, id illo comite & adiutore amplius & valentius certe erat futurum. Omnino semper consilium tuum sapieas, nihilque nisi summa ratione abs te agi solet: mihi tamen & dolere, & timere necesse est, quod vereor, ne sit non leuis plaga publica causa iniecta. Atque hic Deum testor inspectorem cordium, me hoc testimonium de illo viro, neque gratia dare, neque vlli cupiditati mee: sed vnam mihi veritatem, vnam vtilitatem publicam, vnam rationem honoris eius & nominis quod tibi eximium & memorabile partum est, esse propositam. Neque tamen audeo a sanctitate tua postulare, id quod postulandum est, neque rogare quod rogandum: prohibet enim pudor meus, praesertim ab eo Principe, cui omnia debeo: ne temerarius a sapientissimo existimer, impudens ab optimo de me merito. Hoc solum affirmare non dubito: si sanctitas tua sua prudentissimam at-

que

que optimam mentem ad hunc honestadum hominem
 deflexerit, prater rei Christianae commodum & tuam
 suam laudem, omnes et res & homines tale tuum iudi-
 cium atque factum summopere esse comprobaturus.
 Romae, M. D. XXXVII.

IAC. SADOLETUS CARDINALIS
 Paulo III. Pont. Max. S. P. D.

Acepti ab optimo atq; amplissimo Cardinale Farne-
 sio literas, datas VII. Idus Septēbris, mihi autem
 tardius sanè quàm vellem, hoc est tertio Idus Octobris
 redditas: quibus ille me hortatur & admonet, ac sancti-
 tatis tuae verbis etiam mandat, ut iā exacto serè eo tem-
 pore, quod meae absentiae abs te praestitum fuerat ad
 Urbem quam primū me recipiam: quò interesse eis con-
 silijs possim, quae iam dudū à sanctitate tua innita, Chri-
 stianae religioni commoda & salutaria, promere nunc
 demum atq; exequi tempestiuum ipsa indicat: dignāq;
 molitur virtute et sapientia sua, cum correctionem e-
 mendationemq; praesentium meorum, tum veteris in-
 nocentiae & integritatis in sacerdotibus, hoc est in
 Christiano populo vniuerso, restitutionem. Ego verd
 his acceptis literis, cum insigni quadam latitia animi
 ac voluptate, tum non minore sollicitudine & molestia
 affectus sum. Nam cum letarer magnopere, & gau-
 derem, quòd intelligebam meum absentis nomen he-
 rere etiam nunc in memoria sanctitatis tuae, quo nihil
 mihi euenire optatius potest: illud tamen grauitus mo-
 lesteq; ferebam, quòd non videbam hoc tempore, quo
 pacto possem, id quod semper maxime cupio, manda-
 tis

tis tuis voluntatiq; parere. Itaque cum pararem ipse
 me ad scribendū sanctitati tuæ, vt appropinquāte iam
 exitu mei commeatus, longiorem mihi à te diem provo
 gari peterē: allata ad me interim sunt Farnesij litera,
 quæ me sanè admonent, vt id quod facere decreueram,
 faciam etiam accuratius: ne qua aliena à meâ erga san
 ctitatem tuam obedientia et voluntate animum tuum
 forte subeat opinio. Ego enim Pater sanctissime, cum
 semper apud sanctitatem tuam esse cupio, quam habeo
 autorem meæ omnis dignitatis: tum huic etiam honori
 & muneri, quod mihi ab eadem commissum est, deesse
 profectò non debeo. Vt enim solū amore, qui certè meo
 in animo erga te flagrans & perpetuus est, sed ipso et
 tiam viri boni officio appetere cogar, tum frui optato
 & desiderato conspectu tuo: tum senatoria opera mu
 neraq; obire: ea videlicet, quæ ad bonam, et diligētem,
 & amantem Reipub. Cardinalem pertinent, quemad
 modum certè mihi agere semper propositum est. Quo
 circa non ego hîc quidem maneo inuitus, in tanta horū
 populorum omnium erga me beneuolentia et volunta
 te, tam salubri cælo, tot etiam ex me actionibus ad fru
 ctum meorum populorum, & ad seruandam in his re
 ctam religionē, quæ oppugnabatur, prodeuntib; Sed
 tamen sanctitatem tuā, vrbemq; Romanā assidue an
 te animum mihi propositam habeo: non quod meū pri
 uatum aliquod commodum, aut maior istuc incūditas
 me vocet: sed q̄a ratio officij, quæ apud me semper plu
 rimum valet, desiderare me cogit, vt eo sim in loco, in
 quo & fidem ac pietatem meā sanctitati tuæ, et Reip.
 studium

studium atq; operam nauare cōmodius possim. Verūm
 mea hec volūtas, aliquot domesticis difficultatibus im-
 plicita, valdeq; impedita est. quas quidem cōmemora-
 re difficultates tenue est, & in tantis tuis curis occu-
 pationibusq; ineptum. Tacere autem non licet, si me
 excusare verè, & is volo esse qui semper cupij, vt veri-
 tate & recta consciētia fretus, nihil subiticeam eorum,
 qua res & causa postulat: quòd ingenuo animo ac libe-
 raliter insituto dignum semper duxi, vt nec falsas con-
 fingeret eius rei, quancunq; agere statuisset, causae:
 nec veras reticeret. Ergo quo minus sanctitatis tuæ im-
 perio, ac mandatis vt ad ipsam me conferam, obtempe-
 rare statim possim, non iam valetudo prohibet, (satis
 enim planè mihi videor esse cōfirmatus) sed illa res ma-
 gis, quod prouidendum mihi vehementer est, ne dum
 Reip. animo optimo de seruiō, priuatim in aliquod de-
 decus incidam: quod fidei meae, quam habeo vita longè
 cariorem, macula & detrimento esse possit. Hæc me
 res adhuc hic detinet, q̄ facilius hic videor posse neces-
 sitatibus meis subuenire, & obuiam ire meae fame pe-
 riculis, quàm in Vrbe facere possẽ: tanto tibi sumptu
 in omneis ferè res necessario, tamq; exiguis meis vecti-
 galibus: quibus præsertim tertia ferè pars in Veronēsi
 pensione detracta sit. Quæ tametsi me libente quidem
 in optimos vsus consumitur: hoc tamen efficit, vt mihi
 urbem Romanam incolere non liceat: hæc præsertim du-
 rissima cōditione temporum, de qua multorum ad me
 literis nuntijsq; perfertur. Nec verò hæc proferēs, for-
 tunam meam accuso, quæ mihi si locuples fieri vellem,

maxi-

maximas saepe temporu opportunitates obtulit: in quibus ego magis officium & abstinentiam, & in omnibus homines comitatè ac liberalitatem, quàm studium lucrari aut pecuniae sum secutus. Et sanctitati tuae maximas gratias habeo, atq; ego, quae totiens iam mihi ferre subsidium ex pecunia sua largè ac liberaliter, annua etiã constituta mihi mercede voluit. Quod ego beneficia tuum erga me, ita amplum atq; magnum, ut ei nunquã a me referri possit gratia, cum animo gratissimè accepissem, re ipsa tamen accipere recusavi. Non ob eam causam quidem ut minus tibi obligatus, sed ut mei magis essem similis: qui ita natus, ita institutus sum, ut neq; pecuniã admodum concupiscam, et parum decoru esse arbitrer animis ingenuis & dignitatis vere notionem aliquam habentibus, eiusmodi mercedibus et pecunijs quasi obstringi, nisi quibus à Principe onus aliquod imponitur, et eiusmodi mandatur administratio, quae maiorem forte sumptu, apparatusq; requirat. Tum enim legitima quaedam sunt constituta praemia, quae accipere non fas solum, sed perquam etiam honestum est. Neq; ego iudicium animi mei exponens, eos reprehendo, si qui forte sunt, qui annuas et menstruas mercedes ex aulario accipiunt: fieri enim potest, ut illi multò sapientius hac de re constituant, quàm ego iudicem: sed tantum eam opinionem & sententiã, quae mihi insita penitus & planè innata est, apud sanctitatem tuam fidenter profero. Sola ea cupio vectigalia nancisci, quae cum ecclesiastica sint, posita sunt in medio sacerdotibus dispertienda, habentq; administrationem & procurationem sacerdotio-

dotiorum coniunctam: ad qua meo iure nonnihil aspi-
 rare mihi posse videor: non vt cursem huc illuc, eorum
 adipiscendorum causa: neque vt ab alijs Principibus ea
 obtinere cōtendam: sed meam spem duntaxat in tua o-
 ptima aduersus me volūtate, quam mihi saepe benignis-
 simis verbis ostendisti, & quam nulla adhuc occasio cō-
 secuta est, repositam habeam. Tranquillum equidem
 semper habens animum, & nulla sollicita expectatione
 suspensum, quōd constantiam animi malo & modestiā
 retinere, quam plurimos fructus vectigalium ecclesia-
 sticorum acquirere: vt in omnib. pudor meus mihi, nō
 flagitandi importunitas proffit. Verūm hac ego fortas-
 se verbosius: cum sanctitate tamen tua, tanquam cum
 parente egi. Reliqua nunc agam, vt cum domino meo,
 vt cum Principe. Si iudicarem, Pater sancte, meā istic
 aut operam, aut presentiam valde opportunam esse v-
 tilitatibus publicis: nullo expectato tuo imperio, nulla
 ratione incommodi vllius habita, ad Urbem statim ad-
 uolasssem: neque me aut valetudinis mee, aut etiam pe-
 riculi cogitatio vsquā retinisset. Cū verō in tanto
 consilio tuo, tantāq; sapientia, adstantibus etiā tibi tot
 prudentissimis doctissimisq; patribus, quorum tāquam
 orbis terræ luminum abs te habitus delectus est, mei
 consilij autoritas parum, aut nihil elucere inter cate-
 ros possit: sanctitatem tuam summè rogatam à me vo-
 lo, vt cum bona ipsius venia cōmorari hic vsq; ad ver-
 proximum, quo tempore in Italiam & ad concilium o-
 minino cogito: colligereq; tantisper mearum fortuna-
 rum reliquias mihi liceat: in quo magnum in me colla-
 tum

tum abs te beneficium sum arbitraturus. Sin aliter san-
ctitatis tuæ sententia est, eaq; me vult ad Vrbe[m] omni-
no accedere, si leui modo significatione hęc eius volun-
tatem cognouero, accurrām, & approperebo: neque
me causa, neq; difficultas vlla detinebit, quo minus &
tibi & ceteris ostendam, nihil omnium rerum mihi ma-
gis esse cordi, quàm vt pręsto sim, & paream iussis om-
nibus, ac mandatis tuis. Quodq; hic manere aliquan-
diu cupiam, totū necessitatis cuiusdā esse: quod verò in
Vrbe[m] et ad sanctitatē tuā accedere, ipsa iubente para-
tus sim, id esse propria & perpetua meæ voluntatis.

Vale. Carpentoracti, Idibus. Octo. M. D. XXXVIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Paulo III. Pont. Max. S. P. D.

Cum huc esset allatus nuntius de creatione Cardina-
lium, quos sanctitas tua proximè in Amplissimum
collegium cooptauit: equidem de ceteris nihil mihi ad
iudicandum assumens, quorum vitā moresq; ignoro:
satisq; confidens abs te omnia & sapienter, & optima
ratione fuisse acta: de Scoto illo vehementer probaui
consiliū tuum. Perspexi enim penitus cū altitudinem
animi tui, tum vim singularis prudentiæ, per quam pa-
ti non vis, impium Regem vacantem domesticis finiti-
misq; periculorum suspicionibus, impunè ac licenter in-
depopulanda Dei Ecclesia debacchari, quod consiliū
simul & factū sanctitatis tuæ Deum immortalem for-
tunaturum esse non dubito: idq; vti ita eueniat, Deum
eundem precor. Quod verò inter ceteros vnum adhuc
Venetum in ordinem legē dum nostrum tibi re seruasti,

en Pater sancte occasio & locus, quo sanctitas tua potest clarissimo viro, & omni virtute, doctrina, eloquentiaq; ornatissimo, hunc honorem si detulerit, non tam quidem sibi nouam comparare gloriam præclari sui in hominibus diligendis iudicij, quã veterem & iam partam confirmare: vt non solum ab his, qui abs te honestatur, sed præterea ab omnib. qui in toto orbe terrarum coniectos habent in te oculos, cum laudibus feratur in cælum tua virtus, animi magnitudo, sapietia: tum maxima tibi & perennis gratia habeatur. Est enim omnium commune beneficium, quod confertur in hominem, & bene de multis antea meritum, & paratum ad bene merendum. Qualis certè Petrus Bèbus est, qui hoc etiam magis beneficentia tua videtur amplectendus, quòd còplures annos diligenter atq; honorificè Romane curiæ inserviuit. Quam vnã in me ipso rationem sanctitas tua secuta est: cum me non alijs meis meritis, sed sua incredibili benignitate ac liberalitate adsciuit in eum ordinem, vnde mihi celebritas et bona fama magis etiam ex iudicio tuo, quã ex honore ipso acquisita est. Pro quo amplo insigniq; erga me beneficio, si me ppetud abstricui tibi, tuoq; cucto generi & nonini esse sentio: cupio etiã a sanctitate tua intelligi, si Bembũ summum virũ pari quodammodo eiusdem beneficio collegã fuero natus, non me vno & simplici vinculo, quanq; eo firmissimo & arctissimo: sed pluribus, & nunquã extricabilibus laqueis tibi obligatũ fore. Deus omnipotès omnia et cœli & cõsulta sanctitatis tue ad optatũ finẽ, & eũdem sibi gratũ, acceptũq; perducatur. Carp. Non. Ian. 1539.

IAC. SADOLETUS CARDINALIS
 Paulo III. Pontifici maximo,
 S. P. D.

Primum deprecor sanctitatem tuam ut mihi liberius
 fortasse quam humilitatem meam deceat, meum apud
 ipsam desiderium expromenti, ignoscere ne grauetur:
 deinde ut quod dicturus sum, pro sua sapientia exami-
 net, & perpendat. In altero enim singularis tuae sancti-
 tatis humanitas, in qua ipsa quoque vult, quam in hono-
 ribus fortuna esse excelsior, dat mihi fiduciam: alterum,
 quia cum utilitate Reip. & cum tua laude coniunctum
 est, dignum mihi videtur, quod & a me proferri, et abs-
 te debeat diligenter considerari. Etenim Pater sancte
 ego mecum saepenumero recordans illa praecleara initia
 gerendi Pontificatus, tum cum sanctitas tua correctione
 morum sacerdotibus indicta, multisque, viris clarissi-
 mis et omni virtutis laude praestantibus, ad summos ho-
 nores ecclesiasticos vocatis, vniuersum terrarum orbem
 in spem meliorum rerum erexit (Deum immortalem
 testor,) cupiui ex eo tempore semper ut illa propria &
 perennis tua esset gloria: neue eam vnquam in deligen-
 dis optime meritis hominibus, aliqua adiuncta obscu-
 rior electio infuscaret. Memini enim quanta celebra-
 tione fama, quibus hominum sermonibus, qua admira-
 tione virtutis, prudentiae, magnitudinis animi tui, illud
 egregium & commemorabile facinus fuerit acceptum.
 Itaque ego, qui in colenda, amanda, venerandaque sancti-
 tate tua, arctiore multo beneficii vinculo, quam ceteri
 omnes, astringor: propterea quod alij multum qui-
 dem

dem habuerunt in se omnes & virtutis & meritorum, quamobrem beneficium tuum illis quodammodo debitum videretur: ego autem nihil: sed omnis meus honos, meaq; dignitatis amplificatio, liberum fuit iudicium & propria liberalitas sanctitatis tuae: sicut plus quam ceteros tibi debere me intelligebam, ita maiore etiam quam illi, in tanta tua gloria & praedicatione amplissima laudis, animi letitia & voluptate perfruebar: qua assidue quoque in posterum frui cupio. Nec mihi quicquam magis est in optatis, quam audire, sanctitatem tuam, non cupiditatibus huius, aut illius, sed sua potissimum sapientiae, & Christiani nominis vtilitati inservientem: si supplendus ordo noster sit, quem suppletum in fama nuntiat, habere hominum dignissimorum, ut solita est, delectum: & optimos ac doctissimos in amplissimum collegium adsciscere. Namq; Pater sancte praeter communis Reipub. commodum qua inclinata iam & propemodum corruens, talibus columnis maxime fulcienda est: hi praeterea soli omnino sunt, qui fidem praestant suam honoris sui autoribus: quiq; eos & in ipsi, & in posteritate eorum, semper saluos, honestos, florentesq; esse cupiunt: ceteris (ut sanctitas tua animaduertere saepe potuit) qui non ex virtute, sed ex ambitione lecti sint, studia & actiones suas, non officio aut honestatis decore, sed emolumentum compendio ferè dirigentibus. Atque haec quidem tuae sanctitatis erit consideratio. Illud meum desiderium, de quo agere eram exorsus, ut in habenda Cardinalium cooptandorum ratione vnum tibi hominem nominare, tua ut dixi, benignitate

tate fietus, quem certè dignum omni honore arbitror, & in quo ornando iudicium tuæ sanctitatis summam consecuturum laudem esse non dubito. Is autè est Gregorius Cortesius, Abbas, de quo nemo est profectò qui nesciat, quæcumq; in magno & bono sacerdote postulanda sint, omnia in eo excellenter inesse, ingenium, consilium, eloquentiam, doctrinam, & quæ his quoq; laudabiliora sunt, quoniam Christianis moribus sunt propiora, pietatem præterea, continentiam, religionem. Neque verò aliter de eo sanctitas tua iudicavit, tum cum eum vocandum in consilium maximarum rerum putavit. Hunc igitur ego in supplendo Cardinalium collegio sanctitati tuæ vehementer cupio esse commendatum. Et eò magis, quòd Federico Fregosio tãto & tam præstante Cardinali nuper amisso, dolorem quem ex illius morte incredibilem accepimus, huius honore, si tua ita voluntas fieret, consolabimur. Atq; ipse quidem nihil omnino huiusmodi rerum cogitat: ego autem laboro, qui & illum diligo, virtutis quidem causa, & imprimis tamè decus sanctitatis tuæ habeo mihi ante oculos propositum. Ad cuius insignem laudem si hoc factum redundaturum est: si consuevit ipsa nihilominus honores ecclesiasticos talib. viris libenter mandare: ne aspernetur quæso preces & obsecrationes meas: meq; dignū efficiat, cuius voluntati suam rectissimam & benignissimam accommodet voluntatem. Equidem Pater sancte si hoc me beneficio, & Christianam mecum vnà Remp. affectã esse videro, qui sum plurimis iam tuis erga me meritis deuinctus, maximo me hoc munere cumulati

arbi-

arbitrabor: tibiq; perpetuas & agam, & referam, quo ad licebit, habebō quidem certè & predicabo gratias. deum omnipotentem oro, vt sanctitatem tuam saluam & florentem diu nobis conseruet. Carpentoraçti, VII. Calend. Decembris, M. D. XLI.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Paulo III Pontifici Maximo S. P. D.

FAcere non possum, vbi virtuti et dignitati, multisq; præterea & magnis erga Sanctam sedem Apostolicam meritis, testimonium mei iudicij tribuendum est, quin id tribuam: partim natura in hanc erga bonos voluntatem adductus, maiore autem ex parte sanctitatis tue clementia & benignitate prouocatus. Quæ cum potestate & amplitudine cæteris hominibus omnibus antecellat: maiorem tamen vult suæ humanitatis esse, quàm potestatis gloriam. Ea igitur si etus, non possum tibi non cõmendare homines eos qui mihi tuo digni iudicio, digni etiam honore, qui fructus est iudicij, esse videantur. Cum ergo proximis Cardinaliũ comitibus, quæ instare iam iamq; & propè adesse sermonibus hominũ circumsertur, sit sanctitati tue locus, suam, quemadmodum consuevit, liberalitatem et beneficentiam in bene meritos exercendi: putavi ad meam fidem atq; officium pertinere, duos tibi commendare, quos tibi ipsi non dubito esse probatissimos. Quod equidem facio, non illorum precibus efflagitatus, absunt enim ambo à me longè gentium, meaq; huius cogitationis penitus ignari sunt: sed hoc officium atque operam, virtuti, & veritati, & amicitia sponte tribuens. Sunt igitur quos c-

go dignissimos omni honore existimo, Hieronymus Capoferreus designatus Nicensiu Episcopus, & Thomas Campegius Episcopus. Feltren. Neq; ego hos duos ita laudo, vt caterorum laudibus, si qui sunt, qui virtutibus ornati, Curiam istam sequatur, esse detractum velim: sed quia in his prater eximia animi, & ingenij ornamenta, quibus vterque eorum praditus est, illa quoque insunt, qua maximè mouere animū tuum et solēt & debent, vt magnam tibi horum honoris & commodorum habendam esse rationem putes. Alter propè simulatq; natus est, in fidē abs te & clientelam receptus, vbi accessit etas, qua declarare animum atq; ingeniu illius posset, nihil aliud vnquam sibi propositum habuit quā vt suas omneis curas, omneis voluptates, studia omnia in sanctitatis tuæ cultu, atq; obsequijs figeret, & lotaret. Multis in vrbe & magnis muneribus ac negotijs abs te præpositus, extra urbem etiam maximos ad Principes saepe, maximisq; de rebus missus, nec fidē suā nec consilium, nec diligentiam vsquā passus est desiderari: omniaq; prestitit, quanquā penè etiam adolecēs, qua à viro prudentissimo, et etatis vsu eruditissimo requiri atque expectari solita sunt. Quodq; in eo mihi peregregium & commemorabile imprimis visum est, non ille suos labores, suas vigilias, suæ & corporis & fortunarū dispendia, cum tibi inserviebat, ad spem honoris & commodorum suorū direxit, aut reuulit. Sed tantum illud spectauit, vt domino, et Principi suo satisfaceret: fidemq; et pietatem, non spem vllam propriā sibi habuit propositam. Quæ si rara sunt, & omnib. pro

pè se-

pè
pro
nor
qu
tem
eleg
dis
Prin
sus?
vt ip
vinc
tifici
bera
tute
esse,
eius c
cent
cio pe
tellig
dacia
maxi
& ta
& pro
est dis
& me
intelli
sapien
cumen
fugiat

pè seculis in paucis animaduersa, singularem quoq; ea
 promerentur à tua benefica voluntate ac natura, et ho-
 norem & beneuolentiam. Quid cetera commemorem,
 quæ in eo præclara insunt? ingenium, literas, humanita-
 tem, comitatem, liberalitatem, illamq; uenustatem &
 elegantiam moris atque sermonis, quæ in rebus geren-
 dis ita aptè utitur, ut nõ minus gratiosum se reddat ijs
 Principibus, ad quos missus est, quàm illis à quibus mis-
 sus? Omnia sunt in hoc homine eiusmodi Pater sancte,
 ut ipsa per se, sine ullius commèdatione & testimonio,
 vincere animum tamen etiam durioris alieniorisq; Põ-
 tificis posse uideantur. Quid mitissimi facient? quid li-
 beralissimi? quid beneuolentissimi? Nõ enim dubito vir-
 tutes Capoferrei sanctitati tuæ non notissimas modò
 esse, uerùm etiam charissimas. Quare cum de honore
 eius certus esse debeam, qui & de gratissima ac benefi-
 centissima tua mente atq; natura certus sum, hoc offi-
 cio persunctus, ad alterum conuertar. Atq; hic ego in-
 telligo, obijci mihi posse nimiam quandam imprimis au-
 daciam, uel temeritatem potius, qui tãtis de rebus cum
 maximo & meo & omniũ Principe, tam familiariter
 & tam liberè agam. Sed in hoc me tamen illa summa
 & propè incredibilis humanitas tua consolatur. Illud
 est difficilius, quòd ego quorundam hominum uirtutes
 & merita sanctitati tuæ demonstrans, uideor non satis
 intelligere, quo cum Principe mihi agendum sit, quàm
 sapiente, quàm sagaci: cuius acre ingenium, summũ a-
 cumen, admirabilem perspicaciam, nihil est omnino q̃
 fugiat aut lateat. Verùm hic mihi ignoscat quæso san-

ctitas tua, & patiatur me meo animo, & illi beneuolen-
 tia qua optimos viros prosequor, morē gerere. Si enim
 de quoquam commēdē sentio, si quēquam videor
 propter eius virtutes, et propter singularia partim er-
 ga me ipsum, partim verò maximā erga sedem aposto-
 licam studia atque officia diligere debere, Thomas pro-
 fectō Feltrensis Episcopus, mei & amoris & iudicij,
 in his rebus omnibus primas partes obtinet. Quōd si e-
 go solus ita sentirem, mea tamen apud te commēdatio
 aliquid habere deberet, si non autoritatis, at certē excu-
 sationis. Sed ego mihi sic persuadeo, eadem in talem ui-
 rum & mente & opinione, cū reliquos, tū te ipsum
 imprimis existere. Atque ego mitto in eo splendorem
 nobilitatēq; familia, qua summo honore nuper in Lau-
 rentio Campegio eius fratre ornata atq; florens, postq;
 ipso illo honore fortuna & mortis iniuria spoliata est,
 videtur ea ab exquisito clementissimoq; Pontifice in
 pristinum decus restitui debere. Quae tua tamen plena
 bonitatis & prudentiae consideratio in plurib. iam per-
 specta est. Mitto etiam literas, Iuris ciuilis Pontificijq;
 scientiam, bonarum artium cultum, in Theologicis re-
 bus vsū, intelligentiamq; penē singularem. Illud est
 quod ego sanctitati tuae potissimum in hoc homine cogi-
 tandum propono: quōd nullus eo in Rom. curia publi-
 cisq; negotijs laboriosus fidelius, diuturnius, iustius, hū-
 quam plurimis annis versatus est: cū interea in tanta
 varietate rerum gerendarum, nemo vnquā illius su-
 perbiam, nemo auaritiā, nemo negotiorū qua is susce-
 pisset neglectum, nemo vllam vel minimam suspiciōnē
 crimi-

criminis in eo annotauit. Varijs laboriosisq; munerib.
 diutissimè exercitatus, libellis postulatisq; supplicum
 aut subscribendis, aut referendis: causis litigantium cō
 mittendis, iudicibusq; dandis: regendo quoq; & in offi-
 cio continendo scribarum ordine: in quo horum mune-
 rum non egregiam fidem, prudentiam, abstinentiamq;
 praestitit? Tanta in audiendis hominib. mansuetudine,
 in expediendis negotijs diligentia, in rebus omnibus in-
 tegritate & innocentia, vt praclarum in eo exēplum
 verissimi et optimi magistratus, ac sedis apostolicae mi-
 nistri, fuerit constitutum. Quod quidem exemplum Pa-
 ter sancte abs te pro tua gratissimā mēte, admirabiliq;
 sapientia, merito honore afficiendum est. Etsi enim ca-
 put ipse es totius orbis, tamen propius atq; coniunctius
 vrbis Romanae es caput: in quo tuo praecipuè corpore,
 mēbra quae praestantiora sunt, beneficij's tuis ornare de-
 bes: vt inde animi voluptas ad nos, ad te bene iudicādi
 laus perueniat. Quanquā non his solum de causis Tho-
 mas Campegius sanctitati tuae debet esse commēdatus:
 sed ex eis quoque laboribus & operis, quas is peculia-
 res tibi praestitit. Toties abs te in legationes missus
 non solum difficiles & asperas, verum etiam periculo-
 sas: tam multis negotijs, curationibusq; praefectus: quē
 laborem vnquam periculūmve refugit, quo sanctitati
 tuae tanquam illi addictus toto & corpore & animo
 deseruiret? cuius quidē ad mandata omnia peragenda,
 solitam suam secum ipse semper & diligentiam & in-
 tegratē: voluntatem autem vnus tuae sanctitatis,
 non suam, extulit. Sed non omnia cōmemorabo, (nota

enim tibi sunt) Tantum ego alumnus amatorq³ Romanae curiae, illius honestatem atq³ decus cordi habens, orabo atq³ obtestabor ipsius curiae Principem, & Principem quidem, non solum potestate, sed magis etiam omni illa quae isthic plurimum potest, polletq³, acie ingenij, electissimaq³ sapientia, ut in Feltren. Episcopo, doctissimo, iustissimo, laboriosissimo, et nos omnes qui virtutibus fauemus, & ipsas virtutes, et Romanam imprimis curiam, proprium ac praecipuum corpus tuum, quae illius honore ornari se arbitrabitur, hocq³ impensè ipsa postulat atque desiderat, tibi habeas commendatam. Dominus Deus sanctitati tuae omnia semper prospera & foelicia largiatur. Ex Feliciano Carpentor. diaec. V. I. Idus Augusti, M. D. XLIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Paulo III Pontifici Max. S. P. D.

Accepi sanctitatis tuae literas, per quas illa dignum me duxit, quanquam nullius admodum pretij hominem, perinde tamen ac si momenti alicuius futura sit praesentia isthic mea, ob haec Reipub. tempora, ad urbem Romam accersere. In quo quantum mihi officij onus impositum sit, sanè intelligo. Sed ego paucis ant diebus scripseram Amplissimo Cardinali Farnesio, rogans eum & obsecrans ut si quid tale accideret, ut vocarer: mihi ipse apud sanctitatem tuam testis esset, cupidum me quidem esse parendi, et obtemperandi: sed ob domesticas multas magnasq³ difficultates, hoc tempore nullo modo venire posse. Quem quidem, quae diligentia atq³ humanitate est, officio functum esse non dubito. Et si uideatur

videtur
Sed t
egoq³
rum
ptere
necess
breni
litati
opino
ornat
re vic
igitur
torum
intell
vngue
tioso
tifies
nestè
xim a
vrbat
cupia
Pron
Hoc
me il
vit an
enim
berio
veni
mane

videtur egere hac causa apud sanctitatem tuam testibus. Sed tamen quoniam saepe hoc iam contigit, ut vocarer: egoque maiorem in eo voluntatis tua quam incommodorum et difficultatum mearum rationem habui, ipsisque propterea etiam magis nunc oppressus teneor: cogor nunc necessario omnem meam causam eidem sanctitati tuae breuiter exponere: audacius fortasse, quam aut humilitati meae, aut summae illius amplitudini conueniat. Sed opinor illa admirabilis humanitas, quae tuam maxime ornat augustaque dignitatem, faciet, ut quod audacter agere videor, id nec temere, nec inopportunè agam. Dico igitur non latuisse sanctitatem tuam meorum praeteritorum cursum omnem temporum. Nemo enim te neque ad intelligendum acutior, neque ad iudicandum sapientior unquam fuit. Non latuit ergo te, cum fungerer negotioso & sat honorifico munere apud duos summos Pontifices, magnamque ex eo pecuniam magnasque diuitias honestè comparare possem: neglexisse tamen multoque maximam illius temporis partem gratis me Reipublicae & urbanis, adueniensque omnibus seruiuisse, quod in me nullam cupiditatem quaeslus atque lucri natura ingenuerat. Pronuntiatus sum à Leone Episcopus cum essem absens. Hoc quoque meministi profecto sanctitas tua recusasse me illud onus quoad potuerim, & quietam ac priuatam vitam honoribus semper praeferre cupisse. Honores enim ego tum, non honores, sed tanquam compedes liberioris vitae esse existimabam. Non multis post annis veni ad Ecclesiam meam, cupidissimus in ea perpetuo manendi. Factus est Clemens Pontifex, is statim vehementer

menter à me contēdit, vt me ad eum conferrem. Itaq;
 Romā reuersus sum. Non potui enim Pontifici optimē
 de me merito operam & obsequium meum denegare.
 Anno illius quarto in ecclesiam meam redij. Sic enim
 fueram cum illo pactus, in quo ille mihi egregiē fidem
 suam prastitit. Vrbs non multo post capta & direpta
 est: mea fortuna, & antea naufragio, & tum quoque
 iterum in vrbs calamitate omnes disperierunt. Adhuc
 quis fuit locus, vbi aliquod meum apparuerit studium,
 rem meam familiarem augendi & amplificandi? At e
 go dico, neque tunc me, neq; vnquam antea, neq; adē
 etiam post, aut pecunia, aut veste, aut argento, aut lau
 tiore aliqua suppellectili ornatum instructumq; fuisse,
 sed nec desiderasse me ista cōfirmo. Stultē fortasse, sed
 tamen solutum animum ab his cupiditatib. habere val
 de me iuuabat. Tantum annis illis decem, quib. in mea
 ecclesia commoratus sum, reditus annuos meos quotan
 nis integros expendebam: ita, vt vertente anno, nec de
 esset mihi quippiam, nec superesset. Non enim vllum
 vnquam omnino coaceruandæ pecuniæ studium me te
 nuit. Interim sanctitate tua ad summū Pontificatus ho
 norem meritissimū sublata, secundo opinor anno ab ea
 accitus sum: ad quā, vt debui, statim veni, continuoq;
 sum ab ea in amplissimū ordinē S. R. E. Cardinalium
 cooptatus: cuius sui iudicij rationem ipsa nouit. Equidē
 quod ad me attinet, nec meritis vllis, nec virtutib. meis
 dignum me tam honorifico eius iudicio, & tam eximio
 honore vnquam arbitratus sum. Quo etiam maior tibi
 à me gratia debetur: ac prorsus tanta, vt si vitam pro
 tuo

tuo honore dignitateq; profundam, ne minimã quidẽ
 partem eius beneficij sim consecuturus. Accessit cum e-
 go agrotarem, cognossetq; sanctitas tua multis rebus
 me egere, vt suo illo excelso & liberali animo cõmotã,
 magnificentissimum donum mihi mitteret, presentem
 pecuniam satis grandem, & praterea subsidium cente
 num aureum nummum in menses singulos ex fisco suo
 constitueret. Qua ego tam singulari et eximia benignita
 te ac liberalitate penè attonitus permansi. Atq; hic est
 locus, Pater sancte, in quo ego aliquantum hæreo: qui tam
 duro et agresti animo tui fui, vt potuerim illud honestis
 simum, mihi quidem certè opportunissimum et necessa
 rium donum recusare. De quo etiã nunc rogo & depre
 cor sanctitatẽ tuam mihi vt ignoscat. Non enim profe
 cto aut peruersitate ingenij, aut moris naturæ contu
 macia in id rusticitatis sum lapsus: sed quod diu antè
 statueram, meorum sacerdotiorum fructibus duntaxat vi
 uere, nihil pecuniæ extraordinariæ capere, quodcumq;
 aut vnde cumq; vnquam mihi obuenisset. Itaq; constan
 tiam illius meæ sententiæ retinere volui. Quod siue re
 cte egi, siue perperam, certè nihil vnquam postea sum
 affectus, quod ad sustinendam molem huius tanti hono
 ris, mihi auxilio esse posset. In hoc ergo statu meo, con
 sulo ipsam sanctitatẽ tuã quid me agere par sit. Si ha
 buissem à principio subsidia huic tuendo honori necessa
 ria, nunquam ego ab eius latere discessissem. Nõ inficia
 bor equidem, si meum sit iudicium liberum, me hanc o
 ciosam & literis deditam vitam, omnibus honoribus &
 diuitijs antelaturum esse: sed amor, officium, ipsaq; cu
 pidi-

piditas referenda gratia, affixum me tibi semper tenuisset. Nunc tenuibus fortunis, perexiguas facultatibus, re idonea nulla satis instructus, quomodo isthuc veniā, ne cogitare quidem possum. Quid si tanti ipse me facerem, ut meā isthic operam, presentemq; autoritatem vel mediocriter vtilem fore arbitrarer, venirem utiq; quoquo modo possem: nec indignitatem, si esset perferenda: nec famem, si esset patienda: nec mortem, si esset obeunda, pro sedis apostolica & tua sanctitatis dignitate refugerem. Sed cum in tanto cœtu prudentissimorum, et doctissimorum patrum, mea opera potius superuacanea futura sit, ego autem impotens omnino adueniendum isthuc sim: rogo, oro, obtestorq; sanctitatem tuam, uelit aliquando mearum difficultatū grauiumq; detrimentorū aliquā rationem ducere. Si occasio dederit, ut aliqua eius liberalitate, aliquib. subsidijs ecclesiasticis subleuer, non expectabo donec accersar. Ego met enim adero, meq; tue sanctitati ita adiungam, ut nulla deinde ab eius conspectu & comitatu fortuna me unquam separatura sit. Nunc si nō venero, cum iter mihi iam toties per Italiam faciendum sit, inter tot notos et propinquos, & ad eā urbē accedendum, in qua apparatus, impensa, domestica onera, meis pusillis facultatib. planē intolerabilia sunt: spero acquisimum animum tuum iustissimam excusationem meam boni consultorū, mihiq; hic manendi veniam daturum. Quid si ad Consiliū, si modō id futurum est, accedere me oporteret, qua de re ad eundem Farnesium scripsi, nulla harū rerum & difficultatum me impediret. Nam & per igno-

tos liberum ac sine rubore iter, & in Consilio frugalitas laudi potius esset. Quod sanctitati tuae puto accurate esse considerandum. Nam si in Germania futurum est Consilium, verumque est id, quod à multis mihi nuntiatur, meum nomen apud illas gentes non omnino esse contemptui, cum suspicer magnos in sanctitatis tuae, & sedis apostolicae dignitatem, seditiosorum hominum fore impetus, possem fortasse illhic esse, Deo iuuante, idoneus ad prohibendum aliquid & moderandum, si eò sponte mea venirem, quod etiam alij Cardinales, Galli praesertim, priuato suo nomine ituri dicuntur. Sed de hoc, ut dixi, sanctitas tua, si videbitur, cogitabit: cuius voluntati omnes meas rationes cogitationesque permitto. Ego quicquid sum, quantumque possum & valeo, Deo primum omnipotenti, eiusque sanctissima Christiana fide: deinde sedis apostolicae & tuae sanctitatis nomini, honori, dignitatique, deuoueo totum ac dedico. Quo in eodem officio multos doctiores, grauiores, prudentiores habitura est sanctitas tua: fideliozem quidem certe, et officiosiozem quam me, neminem. Deus sanctitati tuae omnia sua vota optataque secundet. Carpent. XII. Cal. February, M. D. XLV.

IAC. SADOLET. CARDINAL. PAV.
lo III. Pont. Max. S. P. D.

Hodie cupienti mihi accedere ad sanctitatem tuam, coramque illi dolorem meum declarare, quae ex eius domestico maerore & incommodo accepissem, qui praesertim etiam ad me ipsum maeror, propter eximias praestantissimae illius foeminae virtutes, meamque in illam & eius

eius liberos obseruatiā, beneuolentiāq³, pertineret: cum hoc ita esset responsum, nolle sanctitate tuam silentiū & cogitationes suas interpellari: visum tamen non alienum est, hoc quicquid esset mei sensus & animi, ad ipsam scribere, & quod presens non potui, id per literas efficere: vt hominis amātissimi, & tuā sanctitati deditissimi officio aliquo fungerer. Quāquā hoc ipsum imprimis mihi dubitandum esse video: vtum modestiā tuam lenire verbis, an constantiā eiusdem, animiq³ virtuti gratulari debeam. Cum enim amissa tali filia, qualem tot et tam eximij ornamentis pręditam, virtutis, ingenij, humanitatis, prudentiā, nostra nos alteram extulisset etas, nos hesternō die sanctitatem tuam maximo dolore affectam, & prope afflictam esse arbitrāmur, eset q³ ei tunc diuina res faciendā: nihil ipsa tāto uulnere retardata, in conspectum omnib. sese dedit, obiuit q³ ea, quę ad religionem et summum Deum pertinebant: neq³ eorum colloquia, qui ab ea aliquid petebant, deuit, uit. Talem deniq³ se omnibus in rebus pręstitit, voce, vultu, sermōis animiq³ firmitate, vt mirāremur cuncti, mutuoq³ inter nos quęreremus, quōnā telum illud abysset, quod tam valide immisum in tuū pectus à fortuna videbatur. Sed profectō res ita se habet, ut nullum sit munimentū nec animi, nec corporis, sapientiā pręstantius: quā sanctitas tua complures iam annos senectutis, & adiutrice consiliorū actiōnumq³ suarū omnium cum sit vsa, nō est quod vereamur, ne huic nouo vulnere & dolori carissima amissa filia cedat illa atq³ succubat. Quod si tamen, quę est & natura nostra infirmi-

& humanarū rerum varietas, altius fortasse in ani-
 mo tuo iste insedit dolor, quā vt facile possit vel ra-
 tione cōprimi, vel ea, quā adhibere in omnib. rebus so-
 les, sapientia tolli: putavi mihi esse faciundum, non vt
 te quidem docerē ea, quæ melius multo ipse nosti, quā
 quisquam nostrū, nos omnes homines esse: ea conditio-
 natos, vt nullo habito delectu vel atatis, vel generis
 vel fortuna, in quemuis nostrum liberam habeat mors
 ipsa potestatem: neq; in re quæ certa sit, de incerti tem-
 poris euentu quari nos oportere: si fortè maturius quā
 expectaremus, accidit nobis id quod casurum omnino
 sciebamus. Cū in hoc præcipuè vis prudentiæ maxima
 insit, vt ad ea quæ incerta sunt, muniat se et præparet,
 in rebus autem certis, natura non prudentia, habeat do-
 minatum. Non, inquam, vt hæc & his similia multa cō-
 memorem: quæ sanctitati tuæ & longo vsu, & doctri-
 na notissima sunt: sed vt tibi redigrem in memoriam,
 quæ nunc maximè instant, quæ aguntur, quæ premunt,
 hæc à me opera, coniuncta officio, meaq; in sanctitatem
 tuam pietati est suscepta: si fortè animus tuus luctu im-
 peditus, minus hæc nūc animaduverteret. Quod tamen
 in tāta tua sapiētia, tantaq; animi virtute, minimè est
 credibile. Sed tamen in hac orbis terræ perturbatione,
 cū alienatis tot gentibus, insensis multis regibus, dis-
 sensione de rebus diuinis & humanis vbiq; ferè genti-
 um excitata, atque commota, spes tota rerum meliorū
 in vnius sanctitatis tuæ autoritate, prudentia, consi-
 lioq; reposita sit: non decet profectō talem animū, quī
 maximis vulneribus Christiana Reipub. medentis at-
 que



que sanãdis, Deò hominumq; consensu idoneus qui præ-
 ficeretur iudicatus sit, paruis ipsum ictibus fortuna cõ-
 moueri: et in quo Pontifice grauitas, & tẽperantia, &
 rerum omniã moderatio, sedem ac domicilium cõstitue-
 isse visa est: in eodem vulgares hæc et quotidianas a-
 nimii imbecillitates, non inesse quidem (nõ enim nec ve-
 ritas, nec mea vnquam opinio huic verbo assensura est)
 sed tamẽ tanquã insint, ab ignaris rerum cõmemorari.
 Qua quidem cõmemoratio mihi sanẽ quã molesta est,
 Siue enim magno dolore (vt nonnulli prædicant) affi-
 ciare, non possum non propemodum æquẽ atq; tu pro
 mea in te propensissima voluntate, & in illam mortuã
 beneuolentia dolere. Siue hoc vt cætera, moderatẽ a-
 gas, & perferas: molestum tamen mihi est, summi Pon-
 tificis virtutẽ singularemq; animi magnitudinem in a-
 liam ac debeat partem ab imperitis accipi. Sed ego, si
 rectẽ noui, (vt mihi quidem videor) quæ sit mens tua,
 quæ totius vitæ ratio, quæ cura tuenda seruãdãq; gra-
 uitatis: & cùm considero te optimẽ nosse, quid à te ex-
 pectetur, qui sit in te oculorũ animorumq; nostrorum
 coniectus, quã omnia à nutu tuo & arbitrio pendeant:
 nullo modo dubito, quin posteaquam nature et amori
 exiguum quid dederis, tantum videlicet, quantũ et hu-
 manitas postulat, & ipsa planẽ sapientia nequit recu-
 sare, ad pristinam tuam animi magnitudinem reuersu-
 rus: & omisissis his omnibus, quæ populi sunt et quorum-
 libet hominum cõmunia, ad id quod in te est singulare
 & proprium nempe orbis terræ, & Christiani generis
 tutelam, regimen, procurationem, celeriter rediturus
 sit.

sis. Cum praesertim illi, quā lugemus omnes, nihil eue-
 nerit triste nec acerbū. Sed qua virtute illa inter nos
 versata est, cum et gratiam qua plurimum valebat, et
 ingenium quo admirabili erat praedita, & opes qui-
 bus egregie florebat, ad subsidium impotentium, ad tu-
 telam viduarum & pupillorum, ad gratificationē om-
 nium qui ad eius opē auxiliumq₃ confugissent, semper
 omnes cōuerterit atque adhibuerit: eadem virtute sibi
 ad eternā fruendam beatitudinem muniverit viam: et
 velut de domo in meliorē domū, sic è terris in cœlum,
 Dei illam clementia excipiente, migraverit: eius modō
 sobole filiorum relicta, quā nostrū omnium spes atq₃
 opinio, ipsorum autem nota iam atq₃ perspecta in ple-
 risq₃ excellens atq₃ eximia virtus, tali dignos matre, ti-
 bi auo suo iucundos, nobis omnibus gratos & venera-
 biles reddit. Qua omnia Pater sanctē tibi debent esse
 solatia doloris, firmamenta animi, monumenta diuina
 erga te indulgentia & bonitatis, vt cum hac sanctitas
 tua meminerit, suisq₃ cogitationibus proposuerit, rese-
 rat se ad suam veterē atq₃ perpetuam firmitatem ani-
 mi atq₃ cōstantiam, quemadmodum et nos precamur,
 & reipublicæ tempora imprimis requirunt & postu-
 lant. Vale. Roma, VII. Calend. Iunij, M. D. XLV.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Paulo III. Pont. Maximo.

S. P. D.

Cvm multa sint indicia diuinæ erga sanctitatē tuā
 beneficentia, summaq₃ liberalitatis: tū nullum est
 prestantius, quàm quod eodem dono nunc Deus propa-

gationem familiae tuae, & publicam pacem ac tranquillitatem est complexus. Geminis enim pronepotibus ex summi Imperatoris filia, & nepote tuo in lucem nobis editis: addidit ille quidem decus generi, ornamentum familiae, subsidium nomini, cuius recens hic partus perpetuitatem quandam denuntiat: sed in tanto priuato sanctitatis tuae commodo, illa etiam maior in ipsius animo letitia insidet, quod omnibus iam suspicionibus penitus elisis, quae nos sollicitos aliquandiu habuerunt, communi Italiae paci & ocio à Deo est consultum. Duorum enim maximorum principum sanguine in vnum genus, vnamque prolem deriuato, atque conflato, animos quoque eorundem in vnum sensum confluere necesse est. Qui sensus, si tuae sanctitatis consilia valebunt, sicut certe ualitura sunt, ad tranquillitatem publicam, ad quietem Italiae, ad conseruationem pacis, cuius ipsa tutrix semper fuit, sine dubio spectabit. Quare agimus quidem gratias prepotenti Deo, qui te hoc tanto, & tam eximio dono est profecutus. Facit enim mea in sanctitatem tuam obseruantia, ut nihil tibi prosperum & fortunatum accidat, cuius non sum ego particeps. Sed agimus etiam ob eam rem maiores, quod cum tanto in te beneficio, publici quoque boni beneficium coniunxit. Nec verò dubium nobis est, quin sanctitatis tuae letitia, quae in illius animo ex hoc expectato atque exoptato partu iure meritoque exorta est, hac re longè sit cumulatio: quod, quo ipsa ingenio, et qua prudentia praedita est, videt planè & prospicit, suum hoc priuatum gaudium cum publicis utilitatibus esse coniunctum. Etenim habet obsidos

iam Respublica duos duorum præstantissimorum Principum liberos, qui vtrunque nobilitatem in vnum generis iungunt, qui spondent pollicenturq; nobis omnib. immotam pacem, securum otium, animorum concordiam Romæ & in Italia fore: quibus quidem muneribus nullum nobis à Deo, in hoc præsertim tempore, accedere potest optatius. Quapropter gratulor equidem sanctitati tuæ, quòd eius res, rationes, commoda, Deo immortalis curæ esse intelligo. Sed in hac felicitate magis etiam illi gratulor, quòd non est ipsius commodum à publica vtilitate seiunctum. Quòd si beneficia Dei immortalis erga te tanta iã sunt, vt videatur mens hominis nihil amplius posse desiderare: erit quoque tuæ curæ & providentiæ, ea quæ bene cepisti, de tollendis heresibus, de sedandis discordijs, de bonis moribus, castaq; religione in Christianum nomen, ordinesq; præsertim ecclesiasticos reuocanda: ita gubernare, regere, ad exitum deducere: vt quoad homini fas est, partot diuinis et singularib. donis abs te gratia relata esse videatur. Deus in sanctitate tua suã benignitatẽ perpetuã conferuet, Romæ, IIII. Calendas Sep. M. D. XLV.

IAC. SADOLET. CARDINAL. GVI-
do Ascanio Sfortiæ Cardinali, S. P. D.

Cvm tantum in te habeam fidei, quantũ et tua præsens probitas, & ad omnem egregiã ac præstantẽ magni hominis facultatẽ expectata virtus habere me hortatur: egoq; pro amore & obseruantia qua te prosequor, non me indignum ducam, cuius tu aliquam habeas & honoris & voluntatis rationem: his de causis

adductus, suscipio onus populo hosce meos tua amplitudini commendandi. Quos ego quidem verè paterna benevolentia complector: proq³ eorum salute & comodis laboro, etiam aliquantò acrius, quam pro meis. Sed sine vobis, hoc est, sine auo tuo optimo & sapientissimo Principe, & sine tua apud eum autoritate & gratia, parum ipse per me prodesse illis possum. Ita non fugiam ad vos necesse est: quos tamen non dubito fore ad omnia quæ æqua postulabuntur paratissimos. Atq³ hi quidem populi legatos ad Urbem mittunt, qui aduocatis sibi peritis isthic rerum, Pontificem edoceant, quibus maxime rebus nunc egeat prouincia. Quæ quidem nullum grauius incōmodum patitur, quàm ex Iudæis: qui maximis priuilegijs, concessionibus, beneficijsq³ muniti, grauius hic vexant et populantur Christianos. Neq³ solum cladem & miseriam his populis afferunt, sed apud transalpinas etiam nationes ordini nostro, et nomini infamiam non mediocrem: quod te ipsum ignorare certo scio. Non enim ingenua tua mens, et voluntas bonitate pradita, hanc tantam iniquitatem vlllo pacto ferret. Sed tamen quoniam tuum nomen in diplomatis prescribitur, tuq³ videris esse indigna huius rei autor: non putavi alienum à fide mea, eog³ officio quod tibi debere me intelligo, facere te de his rebus certorem: teq³ vel monere pro ætate, vel rogare pro summa mea in te obseruantia, vt hæc animaduertes, haberesq³ existimatiōis, et famæ, ac dignitatis tuæ rationē: nec tuū nomen in re tã inhonesta interponi sineres. Nã quid est turpius, quã tantopere suffragari Iudæis, idq³

con-

contra Christianos: & eorum causa ius, equitatē, vinculum religionis, pauperum iniurias, calamitatesq; negligere? Cum praesertim pateat omnibus, & perspicuum sit, quid sit, quod Iudaeos efficiat tam valde gratiosos. Ego, qui tua laudi tantum faueo, vt non plus certē mea, quiq; & spero ipse de te, & ceteris sum auctor eadem sperandi, nos te in nostro collegio, & amplissimo ordine, magnū & grauem virū & omni praestantem autoritate visuros esse: cupio ea abs te iacti uenta tua fundamenta, super quibus postea ampla dignitatis molem extrui possit. Quapropter hoc animo fretus, & liberius hac ad te scripsi, & tamen non dubito, te in optimam partem omnia accepturū esse. Extremum est, vt te orem, vt horum meorum populorū com modis & saluti tua benignitate & gratia faueas, & suffragere: quod mihi à te futurum est rerum omnū grauisimum. Praestantissime omnium foeminarum matritua, quam ego in summo honore habeo, ac mirifice colo, plurimā quaeso dic meis verbis salutē. Vale. Carpentora acti, Pridie Non. Octobris. M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Guido Ascanio Sfortiæ S. R. E. Cardinali, S. P. D.

In eis literis, quas proximē à te accepi, quib. mihi de re & negotio Iudaeorum diligenter respōdes: sic imago tota virtutis, ingenij, & probitatis tua expressa est, vt ego, qui te mirabiliter diligo colōq;, sapius in eam intuens, mihiq;, de eo quod iam dudum: feci de te iudicio gratulans, tuas etiam atque etiam literas, & in

illis te absentem, animo & beneuolentia sim exosculatus. Video enim atque perspicio, quod mihi maximè in optatis est, id genus, eamq; familiam, cui ego omnia mea honoris atq; vitæ ornamenta refero accepta, non solum florere virtute & prudentia maiorum natu, eorum videlicet, qui res summas administrat: sed habere etiam in liberis et adoleſcētibus paratam certissimam spem, nihil eos à parentum grauitate & sapientia esse defluxuros. Quod mihi, qui vobis nō minus faueo, quā si ex meo sanguine essetis geniti: quiq; omnia mea officia atq; studia vobis & laudi ac dignitati vestra penitus addicta esse volo: non sperare solum de vobis, sed experiri iam, & re ipsa nosse, iucundissimum est. Facile enim indicant literæ tuæ, verissimumq; dicunt testimonium, cuiusmodi tu ingenio, & qua naturæ bonitate præditus sis. Sed hæc & aliæ dicta sunt, & sapius, vt video, dicentur. Quod ad rem ipsam & ad Iudeos pertinet, noli quaeso existimare, humanissime Sfortia, me quicquam illiusmodi rerū abs te ipso vnquam profectum putasse: noui enim integritatem, & ingenuitatem tuam: nec sum tam iniquus, vt cuiquam vitio vertam id, quod ab illius abesse iudicem culpa. Alios quosdam suspicatus sum, neq; nunc secus suspicor, ad suos, et sibi non insolitos questus tuo nomine fuisse abusos.

Quod cum in aliquam notam recideret tui honoratissimi, et mihi charissimi nominis: pro meo amore erga te, proq; ea qua tuam amplitudinem prosequor obseruantia, existimaui liberè tibi à me hanc suspicionē & querelam deferri oportere. Quare quem tu in meis literis
stoma-

stomachum, aut quam tecum grauiorem dicas expos-
 tulationem, non intelligo. Scripsi equidem commotiore
 animo: verum non iracundia adductus, qua mihi nec ad
 modum vsitata aut familiaris est: et in te certè semper
 existeret non iniuria solum, verum etiam inepta: quo
 utroque à vitio plurimum me abesse cupio. Sed mecum ani-
 mum misericordia mouerat eorum, quibus non in pecu-
 nia & bonis, (nam id esset aliquo modo tolerabile) sed
 in libertate et corpore, ab hoc improbissimo hominum
 genere quotidianas inferri iniurias videbã. Porro quo-
 rum salus mihi ab Deo tanquam parenti et pastori est
 concredita, eorum me incòmodis et calamitatibus per-
 moueri, mirumne cuiquam videri debet? Et quidem scio
 obsoleuisse iam magna ex parte hæc Episcoporum mu-
 nera atque officia: plebium enim passim & gregis
 cura negligitur: aliarum rerum maior ratio ducitur.
 Verum ego clara voce pronuntio atque testificor, me
 nunquam fuisse, neque aded fore de numero eorum, qui
 hanc animi labem propè inexpiabilem, in alterã illam
 vitam ante còspectum Dei secum deductã velim. Satis
 multis aliorum generum criminibus & delictis premor:
 ab hoc equidem crimine carebo, quantum Deo adiuuã
 te potero còsequi, ut qui mee tutelæ et fidei erunt cre-
 diti, non eorum salutis & còmodorum maiorem susci-
 piam curam, quam meorum. Nec vero huius me animi
 & sententia esse pœnitet: tantam experior in bene a-
 gendo, & in virtutis, atque officij ratione ducenda, in-
 esse voluptatem: quam nosse non possunt, (crede mihi
 optime Sfortia, qui & aetate longè iam prouectus, &

multarum ac magnarum rerū vsu diu edoctus sum) nō
 inquam nosse possunt hanc animi letitiam, voluptatē,
 pacem, qui spiritali imperio populis praefecti, omis-
 sa cura & diligentia consulendi commendatitijs suis,
 ad suas potius priuatas opes, & ad hunc externū splē-
 dorem atque fastū studia omnia conuertunt. Quorum
 quidem cunctorum exitus atq; casus, si commemorare
 nunc vellem, id quod & verē, & copiosē possem face-
 re: equidem vererer, ne ex epistola tragœdiam viderer
 efficere. Quare ab hoc toto genere sermonis abstine-
 bo: tantū te rogabo atq; hortabor, vt quam spem &
 expectationem tuā praestantis eximiāq; virtutis, tuāq;
 futurae summae amplitudinis nobis excitasti: eā tu spem
 in nobis, & in ceteris omnibus, praclare semper agen-
 do, & virtuti ac verae dignitati seruiendo, tueri, auge-
 re, confirmareq; nō desinas. Quod tibi futurum est (vt
 aliās etiam dixi) in omni & fortuna, & varietate tē-
 porum, maximū, tutissimū, iucūdisimumq; perfugiū.
 Sed vt reuertar ad Iudaos, quod illi ferri & sustineri
 apud nos debeant, fateor Christiana hoc esse humani-
 zatis: estq; ita nobis à sacris patrū decretis praescriptū.
 Qui si priuilegijs etiam muniendi sunt, ne afficiantur
 ipsi iniuria: muniantur sanē: nihil ego in hac re magno
 pere repugno. Non enim hominibus insensus sum, sed
 hominum illorum vitijs. Vt verò ad inferendas vltro
 iniurias, ad circumueniendos, euertendosq; Christia-
 nos, tot quotidie decretis concessionibusq; instruantur,
 atq; armentur: potestne hoc vllius hominis recta, &
 pretio ac pecunia non contaminata ratio, equum esse
 arbi-

arbitrari? Liberior tecum loquor, quod te expertem
 omnis omnino in hoc genere suspicionis esse non dubi-
 to. Quid enim mihi tua probitate, moderationeque per-
 spectius? Sed habeo quos timeam, quos etiam facilius
 animo designare, quam exprimere oratione possum.
 At mos hic iam inueteratus est, talibus Iudaos priuile-
 gij ornandi & fulciendi. Scio, et noui: veruntamen i-
 dem ego & video, & scio, propter huiusmodi morem,
 aliosque multos similes, orbis terra populos, & prouin-
 cias iam permultas, ab istius sanctae sedis nomine & fide
 defecisse. quas utinam cetera non sequantur, quod ne
 accidat, paruula modo aliqua mutatione Principum fa-
 cta uehementer cogor pertimescere. Sed ne plura de his.
 Ego si in meis literis, aut prioribus, aut in his quas nunc
 scribo, aliquid insit dictum inconsideratius, quodque ani-
 mo tuo minus accidat gratum: peto a te, mihi ut igno-
 scas. Non enim animo laedendi quempiam, teque omnium
 minime, quem incredibili quodam amore et plane opti-
 ma opinione prosequor: sed studio subueniendi meis, qui-
 bus sum sanctissima necessitudinis vinculo obstrictus,
 liberior interdum cogor scribere. Quae libertas si im-
 prudentia appellanda est, non oblabo quin ita appel-
 letur: dum ea cum pietate, & cum pastoris boni officio
 intelligatur esse coniuncta. Etsi tua quidem natura bo-
 nitas ut confidam facit meas preces & postulationes a
 te in meliorem partem acceptas fuisse: qui mihi libera-
 lissimè rescribis, te & daturum per te operam, et apud
 Pont. Max. curaturum, ut restrictius posthac & cautius
 cum Iudeis agatur, quam adhuc actum sit. Quam ego
 tuam

tuam promissionem in earum rerum numero repono, que mihi charissima & iucundissima sunt. Nō enim ea solum mihi spem facit, sorte tua ope & auctoritate populis meis melius consultum: sed eadem id confirmat, quod ego de te et sentire et predicare libenter soleo, magnū in te nostro ordini ornamentum, magnos ex te fructu aliquando ad Christianam Remp. esse venturos. Quorum vtrunque nobis vt ex sententia eueniat, & tu operam dabis, & ego Deum assidue obsecrabo. Sed hec haecenus. Meum erga amplitudinē tuā studium, meaq; grata in omneis tuos volūtas, honosq; precipuus in lectissimā omnium sceminarū matrem tuā, perpetuo vobis cōstabit. Vale. Carp. Pridie Id. Ianuarij, M. D. XL.

IAC. SADOL. CARD. GUIDO ASCANIO Sfortiæ S. R. E. Cardinali S. P. D.

ET si acceperam iam pridem à te literas, quibus mihi significabas negotia huius prouinciæ, quæ pertinet ad Iudaos, ita per te confecta, easq; Iudeis esse viuendi leges impositas, vt nihil iā nos posthac, quod hoc nomine possemus iure conqueri, habituri essemus: tamen in maxima mea, quam ex eius literis cepi, letitia, assiduāq; cogitatione tua virtutis, quæ mihi in animo semper infixæ est, ad eas adhuc nihil rescripsi: non negligentia, sed valetudine retardatus. Nam cum tua essent eo tempore mihi allata literæ, quo cōtigit vt minus belle me haberem: postea vero quàm melius mihi esse cepit, esset iam in expectatio e legatorum reditus, qui harum rerum agendarum causa Romā missi, de suo iam ex vrbis discessu literis significarant, commodissimum duxi

eos antè audire, quàm ad te scriberem, Qui vt tandem
 aduenerunt, ad VII. Cal. Iulij, omnibus rebus expositis
 quas in Vrbe gesserat, diplomatisq₃ prolatis, qua ibidè
 obtinuerant: maximas apud suos ciues gratias egerunt:
 Primum Pōrifici Maximo, cuius iustitiam, clemētiam,
 sapientiam, summis in cœlum laudibus extulerunt. De
 inde tibi, quo vno autore adiutoreq₃ potissimo perfe-
 ctum esse dixerunt, multis contra nitentibus, & pro Iu-
 daeorum causa acriter pugnantibus, vt aduersus equū
 atq₃ bonum, contraq₃ cōmoda & salutem Christiano-
 rum, nihil Iudæorum astutia, nihil importunitas, nihil
 pecunia, nihil promissio donorū largitionūq₃ valeret.
 Quam ego laudem tue innocentia, rarissimaq₃ virtu-
 tis, ista præsertim atate tua, hisq₃ hodiernis morib. om-
 nium honoribus atq₃ fortunis longè anteponendam iu-
 dico. Itaque mihi credas velim cū magna voluptate
 afficerer, legatis talia cōmemorantibus, ex latitia &
 gratulatione meorum ciuium, quos, verè dicam, patrio
 animo & Christiana charitate amantissimè comple-
 ctor: tum illud mihi etiam magis ad nouā quandam &
 singularem animi iucūditatem valuit: quod te in cuius
 amore & benevolentia ardens sum, quem colo atque
 obseruo, habeoq₃ semper in intimis meis mihi proposi-
 tum sensibus, iustissimam videbam gloriā consecutū,
 non solum æquitatis & integritatis, sed singularis etiā
 constātia, eximieq₃ animi virtutis. Etenim quid vel in
 bona ratione firmitus ea mente & voluntate dici aut co-
 gitari potest, qua honestate sibi dignitateq₃ proposita
 nullis hominum artibus & machinis à recto sensu se-
 dismo

dimoueri passa est? vel ea iracundia & permotione animi generosius, qua tu iure optimo incensus, eorum interpretationes & additamenta, qui diplomatis sententiam ad commodum Iudeorum detorqueri valebāt, callamo sumpto obliterasti, omniaq; ad splendidam & veram rationē redigi voluisti: cum tu homo adhuc adolescens, fortuna quidem muneribus insigniter ornatus, sed natura bonitate ingenioq; ornator: senum morbos & vitia, tua prudentia corrigeres: nec virtutis tuae lumen aliorum tenebris commaculari sineres. Ac, vt de ipsa ratione iuris aliquid loquamur, si maioribus nostris, sanctis illis & diuinis viris, non solum verum pietatis & religionis testimonium, sed etiam doctrina & summa sapientia tribuimus: viuatur legibus illis, quas de Iudeis illis constituerunt. Quod si qua sunt praterea amplius Iudeis data, concessa, permissa, facile ipsa se ostendunt quibus è radicibus nata sint: cum perspicuum sit apud omnes, non fuisse illa equitate impetrata: sed nescio quopacto, occultis certè artibus, & tantquam cuniculis obtenta. Quid est, quod isti tam diligenter exquirūt mala iura Iudeis, qui in Christianis optima, praeclara, & profligata iacere patiuntur? Neq; tamen is ego sum, qui antiquam illam continentiam, seuerissimamq; rationem redigi omnia contendam oportere, planè enim intelligo hoc contrarium esse temporibus nec facillè mores nostros posse pati id quod plus diuini in se quàm humani contineat: ideoq; Dei misericordia amplior apud nos est locus, quod delicta seculi etiam crebriora existunt. Sed tamè modus omnibus in

rebus

rebus, et modestia quadam seruanda est. Si sit dandum aliquid Iudeis, semper ita detur, vt ne aperte Christianorum commoda oppugnemus: vt pupillos, vt viduas, vt homines rusticos & simplices, ceterosq; item, quicum labore corporis victum sibi, & liberis, suis manibus quarunt, vel egestate vel inscitia paratos decipi, ab eorum insidijs & circumscriptionibus custodiamus. Et si hoc meum quidem optatum seruum iam est: sic enim omnia hæc genera hominum oppressa hic atq; obruta ere Iudeorum sunt, vt nisi subsidio fuerit tua virtus, & Pontificis optimi sapientia, pecuniarum Iudeis debitarum exactio sine maxima clade & vastitate totius prouinciae fieri nullo modo possit. Quanquam & tu bona ex parte his malis prouidisti: et nos ad eundem Dominum & patrem, non modo nostrum, sed totius nominis Christiani confugiemus, vbi res postularit: cuius tantam benignitatem atque iustitiam in his ipsis curandis de quibus agimus prouinciae vulneribus paulo antè experti sumus. Nunc cum res hoc tempore in optimum locum Pontificis Maximi beneficio, & tuo simul adducta sit: populisq; hisce, dignis certè multas ob causas quorum magna habeatur ratio, vel ad remunerandum eorum fidelitatem, vel ad vestra benignitatis exemplum, quo quidem circuniecetas vndique huic regioni maximæ nationes comoueri necesse est, optimè ac liberalissimè à vobis sit consultum: reliquum est amplissime, & mihi omni ratione charissime Sfortia, vt quæ bene acta & constituta sunt, nulla apud vos cuiusquam machinatione labefactarentur. Scio fore nō pau-

cos, qui Iudeorum pecunia cōducti (nulla enim alia po-
 test subesse tam iniquo patrocinio causa) hac ipsa, qua
 per vos nobis concessa sunt, conabuntur euertere: non
 solum obliquis vijs, sed interdum etiā recta, & palam:
 onera & tributa Iudeorum exponentes, eaq; verbis
 & querimonijs adaugentes, qua arario Principis ab
 illis inferuntur: qua dependere, nisi habeant ipsi cre-
 ditarum pecuniarum suo arbitratu exigēdi facultatē,
 Iudei nequaquam possint: vt animos vestros non splen-
 dore honestatis, qui apud vos precipue semper debet
 valere, sed vtilitatis & lucri mentione commoucant.

Quis contra dicendum est, Iudeos in his regionibus a-
 bundare non pecunijs solum, sed & agri etiam, & pra-
 diorum, & horum bonorum qua loco moueri non pos-
 sunt, esse ditissimos, qua bona ad publicum principis
 tributum persoluendum abundē sufficiant. Ad priua-
 ta fortasse tributa nonnullorum, necessaria illiusmo-
 di est exactio, qua vt cum iniquitate & iniuria impu-
 nē fiat, iccirco illa clam aliquibus suppeditantur pe-
 cuniae. Sed ne hac impresentia verbis pluribus dispu-
 temus: illud à vobis petimus, quod aequissimum est, si
 quid fortē aliquando venerit in controuersiam, resq;
 aliquas rescindi aut commutari petitum fuerit: vt
 vos meis ciuibus vocatis, locum illis quoque sua tutan-
 da cause prebeat. Quamquam non haec nunc ad-
 modum nobis pertimescenda sunt, te patrono & desen-
 fore rectissimi iuris, qui & in praeteritis rebus tua o-
 ptima mentis dedisti documentum, & de futuris facis
 vt eadem confidamus. Nam per Deum immortalem, si

nos
 sapi-
 tion-
 ma-
 abstr-
 illu-
 cont-
 gred-
 adm-
 missa
 de me
 enim
 stanti
 mihi
 iam in
 quide
 artium
 rem &
 pes ha
 bonis a
 Vna, &
 nos fac
 possessi
 ga pop
 aliqua
 magnop
 secta m
 mus, ve
 laturi:

nos excellens aliquod consilium, & magnam quandam sapientiam quærere studuissimus, quæ his populis rationem suâ expediendæ salutis ostēderet, qui potuimus maiorem, quam in te ipso reperire? Si fidem, virtutem abstinentiam, integritatem tanta ea in te eluxit, tāq̃ illustri in causa declarata est, vt laudis tuæ splēdor, non contētus iam Italia terminis, ad nationes externas progrediatur. Quorum quidem alteram in tua ista ætate admirabile valde est, alterū in his moribus. Sed vt hæc missa faciamus, aut in aliud tempus ea re seruemus: ego de meo erga te officio pauca tibi exponam. Iamdudum enim est optime Sfortia, cū de indole tua et spe præstantissima virtutis præclarum iudicium feci: porro ea mihi de te quotidie magis duplicatur opinio. Non enim iam inita in te virtutis, sed virtutē ipsam intueor, & quidem expressam atque perfectam omnium bonarum artium & partium lineamentis, quæ verū tibi honorem & veram dignitatem semper allatura est. Nam opes hæc, & diuitiæ quæ extra nos sunt, si animus intus à bonis artibus vacuus sit, nihil omnino ad nos pertinent. Vna, & sola est virtutis integritatisque possessio, quæ nos faciat beatos. Quam te iam adeptū esse, in eiusq̃ possessione consistere, & gratulor tibi, & pro tantis erga populos meos meritis debitas gratias ago: quas vt aliqua ex parte aliquando referam, iam nunc mihi magnopere videndum & cogitandum est. Nos hic confecta messe consilium totius prouinciæ conuocaturi sumus, vestraq̃ beneficia in medium coram omnibus prolaturi: quo tempore dabitur à me opera, vt quam ad

rem hægentes suapte natura & sponte propensa sunt, meis etiam monitis hortationibusq; excitentur, vt non obscuro videlicet aliquo indicio eorum grata erga vos voluntas, & memoria accepti beneficij appareat. Vale.
Carpentor. Pridie Non. Iulij. M. D. XL.

IAC. SADOL. CARD. MARCEL.

Ceruino Episcop. Neocastrensi, S. D.

Scriptum mihi à meis est, te Pontificis Maxi. beneficio, omnium bonorum consentiente latitia, collegio meis amplissimis patrib. libenter prompteq; sententias dicentibus, in eum ordinem cooptatum esse, qui maxime istam virtutem, prudentiam, integritatem, qua in te est, requirit & postulat. Quo ego nuntio ita gauisus sum, vt si germanum fratrem meum eodem honore esse affectum cognouissem, nõ maius ad me gaudium peruenire potuerit. Faueo enim virtuti: & si quisquã est, qui probos & doctos viros ad honores & publica munera prouehi letetur, eum ego me esse consiteor. habeo enim arctam, & habui semper, cum bonis necessitudinem: nec plus valere apud me sentio sanguinis coniunctionem, quam virtutis. Qua cum tu ex mei animi iudicio egregie sis praditus: cumq; tui mores, pudor, ingenium, grauitas, semper mihi summe placuerint, qua hoc enim illustriora sunt, quoddartium liberalissimã cognitione & scientia sunt ornata, non potui non magno opere, & episcoporum ordini gratulari, & Pontifici Maximo, Farnesioq; nostro clarissimo & spectatissimo iuueni agere gratias, qui talem virũ ad Christiana religionis gubernacula induxerint: cuius similes quam multos

multos si haberet nostra aetas, non tam graui infamia atq; odio apud omnes ferè nationes sacerdotum nomē laboraret. Vides ipse profectò (potuisti enim iter faciens multa cognoscere) quanta in inuidia simus apud omnes, quàm malè quisque de nostris moribus sentiat. Cui quidem incōmodo remedium est opportunissimū, si praeferantur hi ecclesiarum administrationi, qui ad eas gerendas non cupiditatem quaestus, nec popularem pompam & iactationem: sed fidem, sed iustitiam, sed religionem asserant. Quod quidem Paulus tertius Pontifex maximè omnium, quos ego nouerim, Pontificum effecit. Est enim semper in cælum tollenda iustissimis laudibus praectantissimi Pontificis virtus & voluntas. Tantum cuperem, vt quod ipse per sese facit, ceteros quoque, qui habent nominandi facultatem, agere idem, atq; obseruare cogeret. Sed ego in hac paulisper digressus sum, vt intelligas Marcelle mihi charissime, quod in negotium, & quam in curam sis vocatus: quàm splendidā, quàm amplam, quā difficilē (hoc quidem tempore) & penè inusitatam: etsi non eges tu quidem cuiusquam admonitione. Veruntamen amor in te meus suscipere me partes beueuoli certe, si minus necessarium monitoris coegit. Sed quod extremum est, ego & tibi tuoq; isti honori, quem iam pridem meritus nūc demum adeptus es, & ecclesiae tuae Neocaestrensi, quae tam spectatum praesidem sit naeta, valde ex animo gratulor. Deumq; oro, vt ista res vobis bene felicitérque eueniat: tuq; maioribus quotidie honoribus dignus existimere. Quod quidem factu perfacile tibi erit, qui &

probitate, & prudentia instructus es: nosq; qui te amamus, tuæ nunquam laudi dignitatiq; deerimus. Quandoquidem sanctis honestisq; consilijs, cuiusmodi tua confidimus semper futura, Deus, & fortuna, & bonorum amor assidue suffragatur. Vale. Carpentoracti, X. Calend. Octobris, M. D. XXXIX.

IAC. SADOL. CARD. HIPPOLY-
to Estensi S. R. E. Cardinali, S. P. D.

Posteaquam nuntiū accepi de amplificatione dignitatis tuæ, teq; in ordinem amplissimum S. R. E. Cardinalium magno omnium consensu cooptatum esse cognoui, tantū cepi ex isto honore tuo voluptatis, quantum & virtus tua, & mea perennis, ac meorum omnium, ab vltimis vsq; maioribus penè nostris in familiam tuam obseruantia, & fratris tui clarissimi Principis aduersus me benevolentia postulat: cuius ego ita multa signa amoris erga me habeo, vt ei me deuinctum nō me diocriter putem. Maximum porro illud mea in te obseruantie & voluntatis vinculum, quod sub ditione familie vestra omnes mei ferè & nati, et educati: neq; solum hi qui nunc sunt, verum etiam antea qui fuerunt, & suam ipsi fidem constanter atque integrè vobis presterunt, & à vobis ciuilibus saepe honoribus & premijs, virtutis causa sunt honestati. Quam ego necessitudinis memoriam & vetustatem sanctissime mihi cōseruandam esse iudico. Atque huius mei animi cū Alfonso pater tuus optimus esset testis, si viueret, cuius ego temporibus, quantum salua fide mea mihi licuit, omni in varietate rerum nunquam defui: tum fratre tu

um arbitror non leuia mea huiusce voluntatis signa in
 diciaq₃ perspexisse. Sed haecenus praterita. Nunc quod
 huius est temporis, cum tua virtus & nobilitas aditum
 tibi praestantissimo in honore, ad tuam declarandam a
 nimi magnitudinem, eamq₃ voluntate, quam erga Chri
 stianam Rempub. habes, aperuerit: qua quidem Resp.
 si alias vnquam, hoc cum maxime tempore talibus &
 viris, & subsidijs eget: primum gaudeo, tibi oblatam oc
 casionem, omnibus ostendenti, quo e genere, quaq₃ ex
 disciplina, hoc est, quibus ex fontibus honoris, virtutis,
 nobilitatis, ad commendationem hominum, famamq₃
 processeris: deq₃ eo tibi, & generi tuo, nostraq₃ commu
 ni patriae vehementer gratulor. Deinde, polliceor tibi
 atq₃ confirmo me in tua colenda amplitudine, ea sem
 per officia tibi praestitutum, vt nunq₃ me non tui cupi
 dissimus atq₃ obseruantissimum sis iudicaturus. Et quo
 ma diuino quodam consilio in eandem Reip. gerenda
 societatem ambo vocati sumus, si tu ad capevandam
 Remp. senatoriaq₃ munera obeunda dare te volueris,
 quod tamen imprimis a virtute tua expectatur, estq₃ in
 nostri ordinis hominib. ab Deo omnipotente praecipue
 propositum, vt sententijs in senatu dicendis recte & for
 titer publica saluti consulamus: promitto me tibi in ea
 tatione gerendi honoris ita assiduam comitem futurum,
 vt praeeunte semper prudentia & virtute tua, te mea
 quoq₃ societatis, & optima in Remp. voluntatis nun
 quam poeniteat. Vale. Carpent. M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETUS CARDINALIS

Petro Bembo Cardinali S. P. D.

P^Vto esse iam maturum aliquid me ad te scribere: nō
 gratulandi quidē causa, nam et si tuæ dignitatis am-
 plicatio mihi aequē grata & iucunda accidit, atq; ac-
 ciderit tibi, quo etiam nomine optimo Pontifici Paulo
 tertio me obligatiorem factum esse confiteor: tamen
 quoniam multa insunt in ea, quæ puram & liquidā le-
 titiam ad nos peruenire non sistant, ego ex mei animi
 sententiā de tuo sensu iudicans, statui illo gratulationis
 munere mihi supersedendū esse. Idq; etiam fuit causa
 cur nullas adhuc ad te literas dederim, quod nesciebam
 quo me potissimum vti argumento conueniret. Nunc
 dimissa mentione tui honoris atq; status, (quem tamen
 honorem Deum tibi & diuos omnes fortunare volo)
 fraterno nostro more atq; instituto hæc pauca ad te exa-
 rare constitui. Ex quibus nosse posses, valere me, here-
 req; mihi in animo perpetuam memoriā tui absentis.
 Nihilq; mihi magis in optatis esse q̄ vt te florentem be-
 neq; valentē in omnes partes audiam saltem, si minus
 tam maturē quàm ego cupissem congregari, & de rebus
 nostris coram alloqui contigerit. Nam ego quidem par-
 tim caritate et penuria earum rerum omnium, quæ ad
 victum pertineant, quo incommodo audio Italiam, &
 ipsam præcipuē Urbem premi: partim domesticis meis
 difficultatibus impeditus, (vt ea tantūm commemorē
 impræsentiā, quæ necessitatem mihi in his locis consi-
 stendi asserunt) in Italiam hoc anno transire non cogi-
 to. Quod hætenus quidem mihi molestū est, quod mul-
 torum amicissimorum & suauissimorum hominum sa-
 miliaritate atque conuictu, mihi carendum erit, atque

impr-

 impr-
 que t
 quan
 ma c
 quas
 eis len
 suppe
 tium
 bus ce
 iam e
 tia &
 vici
 plures
 quam
 lioren
 optim
 arine
 laud
 firmat
 res esse
 tate r
 quē do
 Priu
 pedita
 libera
 nem n
 eū hui
 quoq;
 que ex

imprimis tuo. Nuntiatum enim mihi est, te primo quoque tempore ad Urbem profecturum esse, atque ibi aliquandiu mansurū. Qui certè si adessem, & tua dulcissima consuetudine ipse fruerer, & tibi quoque ex me aliquas voluptates darem. Nunc hanc aegritudinem animi eis leniam cōmodis, quæ mihi hinc multa nec iniucunda suppetunt præsertim his quæ capio ex optimarum artium studijs, quæ me sola adhuc detinent: delectationibus ceteris aut consenescentibus omnibus, ut penitus iam extinctis. Quanquam quod ad suauitatem amicitia & familiaritatis attinet, multorū mihi amicorum vicem præstat vir clarissimus Polus, qui apud nos complures iā est menses: quo homine caue ni Bembe quenquam existimes aut dulciorem in congressibus, aut fidiorem in consilijs, aut sanctiorem in omni parte vitæ optimisq; morib. existere: præterea summa ipsum doctrina, summiq; iudicij. Sed quid ago? tibi ne ego eum laudo, qui tibi ipsi melius notus est, quàm mihi? illud affirmare possum, hęc illius sermones mihi etiam gratiores esse & iucundiores, quòd in magna copia & varietate rerū, de quibus colloquimur, sæpe nobis de te in loquēdo incidit mētio, in qua diutius cōmorari solemus. Priuulo præsertim tuo materiā & copiā sermonib. supeditante. Florebellum meum tam humanè à te, tamq; liberaliter tractari, gratissimū mihi est. Ego illum iuuenem non mediocriter diligo: summaq; in sps sum, fore eū huic seculo & suis temporib. ornamento. In quo tua quoque laus nō minima futura est, quòd ex domo tua atque ex disciplina, tale ingenium prodeat. Is maximas ti-

bi sapenumero apud me per literas agit gratias. Quare eum tibi ne commendo quidem, video enim minime esse id necesse. Hoc te scire volo: quicquid in eum comitatus & benevolentia tua contuleris, id me existimatum in me abs te collatum esse. Vale mi charissime Bembe. Carpent. VI. Idus Septemb. M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Federico Fregosio Cardinali, S. P. D.

Primo illo nuntio, quo te, quanquam absentem & totius negotij ignarum, preclaro tamen Pontificis Maximi de tua virtute & dignitate iudicio, magnoq; consensu bonorum omnium, in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatum cognoui, cepi equidem eam voluptatem, quam vetus nostra coniunctio, & in signis ac mutuus inter nos amor postulabat. Sed verè dicam, in ea animi mei latitia et gratulatione, maiorem duxi rationem meae comoditatis, quam aut utilitatis, aut dignitatis etiam tuae. Nam tibi quidem ipsi pro tui nominis fama, et multarum ac magnarum celebritate virtutum, quae in te elucent, non multum mihi asserre atque addere videbatur ista honoris accessio. Ego verò qui talem collegam esse nactus, socium in consilijs, coniunctum olim quidem in vita & in amicitia, nunc etiam in Repu. omni laude virtutis prudentiaq; praestantem, charissimis mecum constrictum summa benevolentia vinculis, non potui non efferrè maximo gaudio: reputas identidem ipse mecum, spem fruendae tuae optatissima consuetudinis, qua mihi quondam neq; dulcius quicquam fuit, neq; honorificentius, aut restituam mihi denuo,

aut certè ostentatam esse. Video enim, si ita res tulerit, ut mihi ad Urbem omnino sit redeundum, habiturū me tecum familiaritatem quidem eādem quam prius, viilitatem autem in eo genere maiorem, quòd te optimorum in Rep. consiliorum non tam comitē, quàm duce[m] habiturus sum. Quod utriq[ue] nostrum hoc etiam arbitror futurum esse iucūdius, quòd habebimus magnos viros, omniq[ue] præditos virtutis & religionis studio, integerrimos ornatissimosq[ue] Cardinales, Contarenum, Polum, Bēbum, aliosq[ue] satis multos, qui de Republica optimè sentientes, & animorum concordia & suauitate conuictus nobiscum coniuncti erunt. Hac igitur erant, quæ primo illo tui honoris nuntio ego cum animo meo tacitus agitabam, non tam de te, quàm de me ipso cogitans: quæ quidem cogitatione non mediocriter oblectabar. Tibi autem ipsi ut ne tum subito gratularer, illa res effecit: quòd statuebā mihi prius expectandum & factum esse, & iudicium tuum. Anceps enim animi eram, neq[ue] certum habebam, quid esses facturus. Memineram enim superioribus comitijs, quibus nos adlecti in senatum fuimus, te vel recusasse quòd ammodo honorem eundem istum, qui ad adipiscendum facilis tibi fuisset: vel certe non curasse. Quæ ex re etiam magnam te laudem consecutum intelligebam. Sic enim tui omnes iudicarunt, te magnitudine quadā animi præditū propè singulari, plus in te ipso & virtutibus tuis honoris, quàm in externis istis insignibus repositum putasse. Nunc mutata tota ratio est. Ut enim magni tui animi fuit, negligere honores: sic nunc oblatos vltro repellere

& Pontificis optimi liberalitatem aspernari, superbum
 certè extitisset. Quam te vitasse offensionem, & Dei vo-
 cationi, ac Principis voluntati non resistisse, & mea,
 & tua, & Christianæ Reipublica causa vehementer
 gaudeo. At nunc tibi gratulor, idq; ago & animo ami-
 cissimo, & incredibili cum letitia: serò fortasse, si die-
 rum & temporis ratio sola putetur. Sed huius tardita-
 tis culpam infirmitas mea valetudinis sustineat, qua
 me per diu detinuit, ut fungi ipsemet officio scribendi
 non possē. Nec tamen in gratulando ero longior, quan-
 do nec tibi id magis, quàm Reip. est tribuendum: & tu
 etiam me tacēte animum probè nosse & perspicere me
 um potes. Illud, quod ad priuatum meum erga te offi-
 cium pertinet, libentius commemorabo. Ego cum te a
 maiori semper, omniq; honore & obseruantia dignissi-
 mum duxi: tum tuis plurimis beneficijs affectus atq; or-
 natus, cui plus debere me confiterer, quam tibi, habui
 vnquam neminem. Nō enim oblitus sum perpetua tua
 erga me liberalitatis, & contubernij olim nostri: quo
 tempore domus & familiaritas tua maiori etiam hono-
 ri mihi fuit, quàm commoditati. Quarum ego rerum
 memoriam conseruo, & gratissima mente prosequor.
 Tulit autem posteriorum temporum fortuna, ut diuer-
 sis locis occupationibusq; distracti, frui suauitate no-
 stra consuetudinis non possemus: cuius nunc repetenda
 ac recuperanda spes mihi est oblata. Quae si mihi, ut
 profecto, ut mea in te obseruantia, summi que amoris,
 tu fructus eos percipias, qui maxmè vestra amicitia
 & tua

& tua amplitudine digni, tibiq; precipuè à me debiti sunt, Vale. Carpent. IX. Calend. Maij, M. D. XL.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Gregorio Cortesio Abbati S. P. D.

FRuctus nostra amicitia, qui ex vsu & congressu quodidiano, communicationeq; sermonum & cogitationum omnium, percipi vberimus solet, fuit ille quidem nobis multa & rerum varietate & temporum interruptus: quòd in simili & voluntate, & natura, dissimilitudine quadam curarum atq; actionum, & longinquitate regionum fuimus ferè disjuncti. Sed tamen & tua eximia virtus, præstansq; optimarum artium scientia, te animo meo presentem semper constituit: & amicitia fides (sicut ego mihi persuadeo) item me tuo: vt si absimus corporibus, animis tamè proximi, copulatiq; fuerimus. Ac nunc tãto interuallo literarum inter nos factò, quòd propter consuetudinem ad te scribam, ne forsitan mireris, ratio tibi à me mei facti reddenda est. Ego te, Cortesi optime, & doctissime, cum talem iamdiu virum esse cognouissem, qualem omnes existimant, omnibus ingenij, humanitatis, doctrinae ornamentis præditum, amare cœpi ab initio non mediocriter: nec communi illo, quo omnes bonos diligimus: sed præcipuo quodam, & singulari amore. Quã animi mei propensionè erga te, secuta aliquot locis inter nos, brevis quidem illa, sed iucunda congressio, confirmauit. Neq; verò postea memoriam vnquam tui, quanquã absens, intermisi. Sed quod vsu venire interdum solet, vt accidant res occasionesq; nonnullæ, quibus ad acriorerum

amicorum absentium recordationē animis commouetur: id mihi nunc contigit, aduentu ad nos, vel reuersione potius, Anto. Florebelli nostri. Quem & ipsum doctissimum iuuenem, mihiq; carissimum, cum per se libētissimē vidissem: tum accessio ad eā voluptatem, quam ex eius aduentu cœpi, non exigua fuit, quod is de absentibus amicis ac necessarijs meis, ea quæ scire cupiebam, exposuit mihi omnia: in quib. multus de te nobis sermo, isq; iucundissimus. Faciebat aut̄ et conditio temporum & necessitas rerum communium: quas hodie videmus in graue discrimen adductas, vt in percontando de te diutius commorarer: partim id mihi sumens ad animi solatium & oblectationem: partim, in eam sollicitudinem atq; curam, quam pro Repub. capio, conuertens & referens. Ac mihi quidem in magno meo ac penē intollerabili dolore, quem ex Federici Fregosij, vtriusq; nostrum, vt tute scis, amicissimi, summi præterea & singularis viri ac Cardinalis, morte acceperam: non mediocris leuatio erat tuarum insignium virtutū, & mutua inter nos beneuolentia commemoratio. De Repub. autem ita cogitabam, cum ea tali suo tempore, ex tanti viri interitu grauissimē esset affecta, debere nos omnes, qui eam saluam & incolumem esse cupimus, dare operam, & elaborare pro sua queng; parte, vt ad ipsius gubernacula ij admoueātur, qui ferre illi opem, & subuenire periclitanti possint. Quo quidem è numero tu cum semper aptus, tum hoc tempore præcipuè præstans eximiusq; iudicaris: cum reliquis tot iam luminibus extinctis, eluceat virtus, & doctrina, & integritas tua.

ta
&
du
let
mi
ben
qu
hon
si in
tius
ficu
ste a
plur
Reip
dani
Clar
meis
IA
C
IAC



tas tua. His ego curis & cogitationib. excitatus, præter
 & meâ & tuâ expectationem, vt ad te scriberè addu-
 ctus sum: non memoriã tuã & beneuolentiã, tanq̃ obs-
 letam renouans, quæ semper apud animũ meũ incolu-
 mis seruat a est: sed hoc recens tibi consiliũ meum scri-
 bens, qui decreui, & statutum habeo, curare atq; eniti
 quantum in me est, vt ab ijs quos penes est potestas, tuã
 honoris ratio, & vtilitatis simul Reip. habeatur. Hoc si
 si in vrbe & curia præsens adesse, agerè fortasse accura-
 tius & vigilantius. Nũc quando absum longè gentiũ,
 sicut ipse perspicias, ita contendã tamen, vt mea mihi te
 ste animi cõscientia, quã ego omnium rerũ facio longè
 plurimi, nullum à me officiũ, quod sit vel amicitia vel
 Reip. debitum, prætermittatur. Tu interim, vt valetu-
 dini seruias, saluumq; te nobis conserues, & Isidorum
 Clariũ tuum, hominem doctissimum, virumq; optimũ
 meis vt saluere verbis iubeas, abs te peto. Carp. 1541.

IAC. SADOLETI S. R. E.

CARDINALIS EPIST. LIB. XIII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDI-

nalis Gaspari Contareno S. R. E.

Cardinali, S. P. D.



OLVS collega noster, optimus
 atq; amplissimus vir, dignissimus
 illa fortuna in qua erat natus, nõ
 hac quæ nunc illi obstat, graui-
 terq; infesla est, iter faciens in
 Hispaniam, Carpẽtoracte ad me
 diuer-

duertit : suoq³ mihi aduentu cum non mediocrem do-
 lorem, tum magnam etiã attulit voluptatem. Videre e-
 nim & aspicere hominẽ eum, quẽ summẽ diligo, et affa-
 vi presentem, quem absentẽ desiderare sum solitus, in-
 signi quadã latitia me afficit. Audire autẽ ex eodem a-
 cerbos familia sue casus, & nobilissimã immanitate te-
 terrini Tyranni penẽ extinctã domũ intelligere, sanẽ
 vsq³ eo mihi miserũ et crudele visum est, vt nisi eiusdẽ
 Poli, cui erat illa calamitas inflicta, virtute & sapiẽtia
 lenitus essem, modũ meo dolori facturum nõ fuerim. Ve-
 rùm ille, quia suis in rebus omnib. animi cõstãtia et mo-
 deratione est, cum Deo semper se subiiciens, atq³ illius
 voluntati obtemperare paratus, de suis acerbissimis re-
 bus, tanquã de alienis loqueretur: suum domesticũ qui-
 dem incommodũ fortiter ferebat: de publico verò Chri-
 stiani nominis incõmodo grauius commouebatur. Cui
 certẽ communi Christiano nomini ab impio Rege (si
 Rex est appellandus is, qui feritate animi & magnitu-
 dine crudelitatis iam ne hominis quidem appellationẽ
 retinet) noua atq³ inaudita omnibus seculis iniuria allata
 est. Quod tamen ego diuina prouidentia fretus non
 diu illi inultum futurũ esse cõfido. Sed cum Polo nostro
 reliqui sermões habiti, qui sunt partim de Rep. rebusq³
 vrbans, partim de amicorum et familiarũ nostrorum
 statu, gratia, autoritate, periucũdi nobis fuerũt. In qui-
 bus nimirum de te plurima mentio. Nam nec mihi per-
 contandi, neq³ illi commemorandi de tuis dictis factisq³
 omnibus satietas erat vlla: tanta est vtriusq³ nostrũ vir-
 tutis tue opinio, iure illa quidẽ à nobis suscepta. Quid
 enim

enim tua prudētia, integritate, sanctitate est illustrius?
 Sed quod ista in te maiora praestantioraq; sunt, hoc no-
 ster amor in eundem te ardentior, disjunctionē à te me-
 am (de me enim praecipuè loquer) molestiorē mihi fa-
 cit videri. Itaq; quanquam hic multa sunt, quae me nō
 inuitū detineant: lōcorum amœnitas, cœli salubritas,
 earum rerum omnium, & quidem optimarum copia,
 quae ad vitam victumq; pertinent: tum autem vel im-
 primis amor horum populorum, qui vt à me diligen-
 tur, ita me vicissim diligūt ipsi, omnesq; in meo vultu
 atque in excubijs quodammodo meis acquiescunt. Ta-
 men vt Romam interdum desiderem, vos, vos amici
 mei facitis: & imprimis tu optime Contarene, cui om-
 nes mei sensus ita valde sunt consentiētes, vt nulla no-
 stram non fortuna, sed iudicio contractam familiarita-
 tem, atque amicitiam, labefactura atas sit. Sed nimis
 longè progredior in his rebus, quae nec modum vllum,
 nec finem habent. Quae enim mea ergate beneuolen-
 tia simul & obseruantia par inueniri possit oratio?
 Quare, vt in pauciora conferam, scito, me tui absentis
 memoriam summa cum fide & beneuolentia retinere.
 Heri vesperi accepi ab Vrbe literas, in quibus mihi il-
 lud iucundissimum, quoddam certiore me faciunt, te
 libenter meo rogatu recepisse causas Ducum Bauariae
 summo Pontifici commendandas: quo nil mihi gratius
 efficere potuisti: neque item (vt arbitror) tuae virtuti,
 auctoritatiq; conuenientius. Illi enim fortissimi ac nobi-
 lissimi Principes, & in causa Dei religionisq; firmissi-
 mi, dignissimi profectō sunt, quorum ab omnibus nobis,
 quibus

quibus Christiana Respub. est cura, honoris ac dignitatis ratio vel maxima habeatur. Quapropter abs te peto, ut & pro amicitia nostra, & pro constantissima fide tua, quod iam susceptum abs te est, in eo nauiter persistas: remq; ita geras, ut Duces illi intelligant, me etiam absente sibi non deesse in vrbe Roma optimorum & diligentissimorum Cardinalium patrocinium. Iisdem de rebus scripsi ad Ambrosium Gupembergum, hominem vsu multarum rerum præditū, ad te uti adiret, communicaretq; tecum cogitationes quasdam suas & cōsilia, quibus commodissimè rationibus obuiam iri Luteranis, & consuli eius nationis populis ac principibus possit. Quem tu pro tua singulari humanitate diligenter audies: reliquaq; ages apud Pontificem maximum, quæ tibi Reipu. vtilia esse videbuntur: imprimisq; ipsum Ambrosium in sinem tuam uti recipias, & quoad honestè facere poteris, faueas illi tua autoritate & gratiam eis rebus consequendis quas ipse optat, te amplissime Contarene rogo atque oro. Vale. Calend. Februarij M. D. XXXIX. Carpentoracti.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Caspari Contareno Cardinali S.P.D.

TE & amici, & optimi atque integerrimi hominis officio apud summum Pontificem, & reliquos nostros collegas sanctum esse gaudeo. Id certè egisti, quod ab vno te potissimum, & à tua præstantissima virtute potuit expectari: cum idem tu & grauisissimus testis, & verus amicus, & maximè peritus earum rerum, de quibus agebatur, existeres. Quare hoc quoque sit in ma-

gno
mea
tam
in ea
hil si
ti am
id fun
posse
sum i
quene
que re
tu san
cet mi
distru
charit
peruen
quiden
stituit
forma
Cura e
stitiam
est per
stituit
nomine
neis vir
sed inst
quod a t
dum
giorem

gno numero tuorum erga me meritorum. In epistola
 mea ad Geneuates, ea quæ notas legi per diligenter, to-
 tamq̃ rem cum eruditissimo Polo cõmunicavi. Quod
 in ea scripsi, visum esse Spiritui sancto & mihi, in eo ni-
 hil sum equidẽ elatum neq̃, arrogans meditatus: quine-
 tiam me deprimere volui, ne si tantũmodo mihi visum
 id fuisse dicerem, plus mihi ipse tribuerem, quàm ferri
 posse videretur. Atque illud dictum tamen dupliciter
 sum interpretatus: nam & scriptura sacra morem lo-
 quendi imitari me dixi, & re vera ita esse, vt quacun-
 que recto & pio erga Deum aguntur animo, ex Spiri-
 tu sancto cuncta sint. De iustificatione & iustitia, pla-
 cet mihi vehementer tuarum rationum contextus &
 distinctio ex Aristotele sumpta. Sequitur enim certẽ
 charitas cursum illum antecedentem, quo ad iustitiam
 peruenitur: non tamen sequitur eadem charitas (meo
 quidem animo opinioneq̃) iustitiam, sed eam ipsa con-
 stituit: vel potius charitas ipsa est iustitia. Habet enim
 forma vim charitas: forma autem est id quod ipsa res.
 Cũ ergo acceditur præeunte illa præparatione ad iu-
 stitiam, acceditur vnà et ad charitatem: ad quam cùm
 est peruentum, tum iustitia per ipsam charitatem con-
 stituitur. Iustitiam voco, nõ vulgari, neq̃, Aristotelico
 nomine, sed Christiano more & modo, eam quæ om-
 nis virtutes complexa continet: neque id humanitus,
 sed instinctu influxuq̃, diuino. Quam ipsam iustitiam
 quod talis ea & huiusmodi sit, hoc est Christiana atq̃,
 diuina, charitas sola efficit. Hæc orationem fortasse lon-
 giorẽ requirerent, nec mihi fuit in alijs scriptis occa-

fio ista explicandi. Sed quod ad rem nunc pertinet, scito me sentire tecum : ita tamen vt charitas non iā par tam iustitiam subsequantur, sed formet ipsa & consti-
 tuat iustitiam. Qua tamē in sentētia tu quoq³ videris esse. Sed (vt dixi) pluribus hac fortasse verbis essent exponenda, nec facile committi epistola possent : praesertim his qui iam flagrare incipiunt caloribus. In quibus mei suburbani horti hoc mihi amēniores iucundioresq³ sunt, quōd eos interdum amplissimus vir Polus noster visere humanissimē, & mihi cupientissimo suauitatis suae copiam facere non grauat. Vtinam, iterum dico vtinam, te nobiscum vnā optime Contarene haberemus, disceremus profectō simul viuendo & letando quibus in rebus beata verē consistat vita. Sed hac aliam. Vale, XIII. Calend. Iunij, M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS
 Caspari Contareno Cardinali S.P.D.

Polus noster, qui à nobis hinc discessit, ita magnum sui mihi reliquit desiderium, vt à cogitatione & dolore auocare animum non possim. Non solum enim beneuolentia erga illum moueor, verum etiam indignissimae illius fortunae misericordia : quae talem virum tam acerbè opprimit, vt omnino virtuti inimicam se offerre videatur. Sed certè hos non illius tantum priuatos, sed publicos Christianae Reipub. casus, quos principes nostri tam lentè ferunt, Deus sibi sumet & prouidendos, et vindicandos : atq³ vtinā nō iam cepisset vlcisci. Ego enim quantum humana ratione assequi possum, non video quem exitum Principum consilia sint habitura :

à qui

à quibus vtinam aliquando optimus Pontifex nosler
 se emergat. Pro cuius honore & salute excubo animo,
 gratiamq; me illi maiorem habere iudico, qui de me o
 ptimè meritus est, si timeã ea quæ accidere multa pos
 sunt, quã si presenti illius fortuna sim gratulatus. Sed
 quoniam de his aliud erit loquendi tempus, id quod mi
 hi fuit in scribendo propositum, nunc potius exequar:
 vt tibi optime et mei amãtissime Cõtarene, meos hosce
 populos omni studio commendem: in quos ego sum tan
 ta beneuolentia affectus, vt parentum charitati erga
 filios non cedam. Ipsi legatos mittüt ad vrbem, qui de
 incommodis prouincia summum Pontificem edoceant:
 petantq; remedia suis rebus necessaria. Precipue con
 tra Iudæos, quorum est dominatus in his locis non ferẽ
 dus. Nam tot priuilegijs istinc muniti sunt, vt planè do
 mini Christianorum sint effecti, cum maxima quidem
 pernitie & tanquam strage horum populorum: è qui
 bus quotidie aliquos cedere bonis, & suis laribus fami
 liaribus emigrare cogunt. Quod nationibus finitimis
 omnibus, quæ carent prorsus hac Iudæorum peste, &
 mirabile videtur in sedis Apostolica imperio, & non
 sine graui infamia nostra est diuulgatum. Sed ego sin
 gula non colligam. Statum & salutẽ huius prouinciæ
 tuae fidei, integritati, iustitiãq; commendo: vt faueas,
 vt suffragere, vt te apud summum Pontificem interpo
 nas, quo ea quæ honestè petierint, facile etiam conse
 quantur. In quo quàm gratum mihi sis facturus, ne co
 nabor quidem tibi exponere: cum tu id per te satis co
 gnosse queas. Tuum equidẽ amorem, studium, diligen

tiam, si alia vlla in re, in hac permaximè flagito. Verū pluribus apud te vti verbis, nostra fortassis coniunctissima necessitudini non conuenit. Quare hic finem faciā: de te id semper optans atq; sperans, quod mihi ipsi summo quantum possam: vt reposita omni in Deo nostrarum rerum spe, læto & iucundo animo vitam traducamus. Vale amplissime, & mihi charissime Contarene, etiam atq; etiam vale. Carpentoraēt. Prid. Nonas Octobris, M. D. XXXIX.

IAC. S ADOL. CARD. GASPARO
Contareno Cardinali, S. P. D.

SVperiore anno cōfeceram quidem secundum meum de Aedificatione ecclesie librum: sed non retractaueram, quod deinde æstate proximè exacta feci: cumq; de scribendum curauim: quam nunc ad te mitto, tua & prudentia & doctrina totum me permittens: teq; enixius rogās, vt ea qua soles humanitate & beneuolentia, me & corrigere, & admonere ne graueris. Forsitan facio interdum temerè, qui sententias meas aduersus tuas argumentationes defendam. Sed debet hoc esse (vt ego in dico) in nostra familiaritate liberū: ne absentari inter nos, sed amicorum uti officio videamur: praesertim cum editio libri in longum tempus sit conferenda: & quo ad is excuditur ac perpolitur, licitum sit nobis disputare et ambigere: nec refellere solum, verum etiam refelli. Nā cum edendi quidem dies aduenerit, nihil omnino sine tuo consilio faciam. Nec verò habeo in praesentia aut doctiorem quenquam, cuiq; magis confidam, quam ipsum te: aut amantiorem etiam mei. Atque ego quidem
obrum

obtundere te non desino, & in tua grauiora studia im-
 portunus irrumpere. Sed ignosce mihi, facere aliter nō
 possum: ea est opinio mea de te, ea spes & expectatio a-
 moris erga me tui, vt quicquid ego agā, quoquōue mo-
 do me geram, nihil omnino assequi mihi videar, nisi id
 & cōmunicatum tecū, & abs te potissimum approba-
 tum fuerit: Facit aut̄ naturæ tuæ bonitas, humanitas, li-
 beralitas, vt nō liberius solum ad te adeam, uerum etiā
 audacius. Sed vt ne de his plura, (etenim vereor, ne
 hac quæ dicta sunt, in tanta nostrā cōiunctione amoris
 & animorū, etiā nimis multa esse videantur) habes li-
 brū, quē vt perlegas totum, & accuratē excutias rogo.
 Multa sunt in eo de sacramētis ecclesiæ cōscripta cōtra
 Luteranos: in quibus si non doctrina & ingenium, mea
 tamē voluntas in verā pietatis studio egregiē constās
 apparebit. De quibus rebus omnibus exquiro iudicium
 tuum: idq; præterea te precor, vt cum amplissimis col-
 legis nostris, & concordissimis fratribus, Fregosio,
 Bembo, Polo, meam lucubrationem comunices. Neq;
 urgeas tamen, nisi tantum, quantum eos videris in le-
 gendo oneris atque cura libenter velle suscipere. Ne
 fortē dum ego meam vtilitatem quero, alijs molestus
 sim: & præsertim ijs, quorum ipse omnes sollicitudines
 & molestias meo labore atq; arumna redimere para-
 tus essem. Ad horum numerū addes Rodulphum Pium
 collegam nostrū, dignissimū (meo iudicio) qui in sum-
 morum & optimorum Cardinalium numero censea-
 tur: eundemq; præterea amantissimum mei. Sed ne tibi
 prescribam omnia, ages in meorum scriptorum lectio

ne & correctione, quod tibi ex fide tua et amicitia nostra equum rectumq³ videbitur. Nos hic optimè valeamus: in literis asidui sumus, nec in suauitate huius vitæ quæ mihi in his locis proximè accedere ad cœlestem illam vitã alteram videtur, quicquã habemus quod nos angat atq³ turbet: nisi interdum Reipub. statum, quam video quotidie in deterius ferri. Quod si priuatim quoque aliquid aliquando sentimus molestiæ, id omne nascitur ex eo desiderio, quo tecum & cum cæteris similibus tui nonnunquam esse, & viuere cuperemus. Sed hæc Deus viderit. Tu vt valeas tibiq³ vt persuadeas, me ex omni mente, et ex omnibus sensibus penitus esse tuum, à te optime atq³ amplissime Contarene peto. Carpent. III. Calend. Februarij, M. D. XLI.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.
Reginaldo Polo S. R. E. Card. S. P. D.

Quæquam literæ tuæ, quas Idibus Nouembris Verona dedisti, serius ad me allatæ sunt: easq³ ego in eunte Ianua. accepi: tamen quoniam in illis tuum non men, & tua mihi perspecta, eademq³ semper dulcis, insignis erga me beneuolentia se ostēdebat: nō illa semel à me, sed sæpius etiam atque etiam perlectæ sunt, cum te mecum quasi loquentem in illis viderer. audiverem: tuamq³ illam mihi non ignotam virtutem, humanitatē, comitatem, in eisdem recognoscerē. Quæ dum frui mihi fuit licitum, quãdiu videlicet mecum in his locis commoratus es, nihil meæ felicitati deesse existimabam. Nunc absentem ita animo requiro, vt in magno dolore dixerim: pte suauissimæ consuetudinis nostræ, tui tamen nominis me-

nis memoria et recordatio mutui nostri amoris, magno
 pere me sustentet. Atq; ego quidem post discessum tuū
 cum sollicito diutius animo nuntiū de te expectans, tan-
 dem aliquando literis tuorum, quas Paulus acceperat,
 certior factus essem, te in eū locum, quod maximè opta-
 ras, hoc est Veronam, & ad utriusq; nostrum hominē
 amantissimum, ipsumq; dignissimum qui ab omnib. no-
 bis ametur, Episcopum Veronensem, tūc peruenisse:
 statim exhilaratus animo, literas ad te dedi, quas tar-
 dius suspicor ad te fuisse perlatas: aut ne perlatas qui-
 dem. Si quidem habeo Roma sat recentes, in quib. fasci-
 culi nostri mentio nulla fit, cum tamen dierum ratio &
 pertē indicet, literarum reddendarum tempus iam præ-
 terisse. Sed quicquid acciderit de literis, nō est in char-
 tu, neque in atramento positus noster amor: sed in cor-
 dibus utriusq; nostrum, nō tam inscriptus ille quidem,
 quā in usibus, ut deleri non possit. Quod quoniam neu-
 tri nostrum de altero potest esse dubium, huius sanē rei
 commemoratione omissa, ad ea quæ sunt huius tempo-
 ris veniamus. Quanquam quōd Simoneta nostri mor-
 tem in tuis literis defles, nihil facis alienum humanita-
 te tua: planeq; ego agnosco quantū mihi in eo tribuas.
 Scio enim te mea imprimis causa, illius summi viri ca-
 sum agrè ferre: quem mihi amicissimum, & tu esse in-
 tellexeras, & ego re ipsa quotidie experiebar. Sed etsi
 tu rationes affers, quare minus dolendum nobis sit: e-
 goq; & sapientiæ, & auctoritati tuæ assentior: tamen
 illud efficere non possum, ut meo arbitrato dolori mo-
 derer. Non sum equidem ita institutus, sed ita sum na-

tus, vt quos amare semel cœpi, (quod multis de causis
 saepe accidit: præcipuè autem eam ob causam, cùm me
 amari intelligo mutuo) eorum amissionem molestius
 feram, quàm videatur hominis in rebus fortuitis mul-
 tum exercitata ratio postulare. Quamobrè facere non
 possum, quin desiderem illum mortuum: multisq; et ma-
 gnis illius officijs virtutibusq; priuatus, non incommo-
 dum meum lugeo (est enim id degeneris animi) sed fa-
 miliaritatem hominis, sed integritatem, sed fidem, con-
 stantiamq; amicitie, quam ille mihi cumulatissimè præ-
 stabat, vehementius requiro: quod absque dolore animi
 fieri non potest. Vt enim illi nihil euenerit mali, quod
 quidem ita esse persuasus sum, cùm audio eum cum sua
 pietate, tum Dei fretum bonitate & clementia, non so-
 lum alacriter, verùm etiam libèter è uita excessisse: ha-
 bet tamen amor aculos quosdam, quos difficillimè vi-
 tare viri boni possunt: qui me pungunt & stimulant,
 & in recordatione faciunt dolorem. Sed opinor his nos
 modum constituemus. Symonet & memoriã et nobis ipsi
 seruabimus, & in precationibus eam Deo subijciemus:
 quod vnicum iam est fidelis nostræ amicitie officium. De
 te ipso mi Pole, quòd Romã saluus perueneris, quòd i-
 pso primo in introitu in duo lumina nostri ordinis inci-
 deris, Contarenum & Bembum, q; fueris ab optimis, &
 micissimis, præstantissimisq; hominibus summa cum la-
 titia & hilaritate acceptus, & gratulor tibi, & mihi
 plurimùm gaudeo. Videor enim mihi quasi vobiscum vnã
 adfuisse. Etenim quid tandè interest, utrũ gaudeas ipse
 an letantibus amicis simul gaudeas? quin maior etiam
 (meo

(meo iudicio) voluptas est, gaudere gaudiū amicorū, quā suum. Siquidem vbi plus officij sit, ibi maior esse animi latitia solet. Vos ergo inter vos congressu complexuq, vestro, ego absens auditu vestra iucundissima congressionis latatus sum. Si tamen ego absens, qui & ipse per me suspicor, & ex tuorum literis intelligo, plurimum vobis inter vos sermonē de me fuisse: cū in ore trium optimorum, atq, omnis penē memoria, honore, ingento, innocētia, doctrina ornatissimorum hominū, meū nomen versaretur. Quos ego iure iam dudū treis elegi, in quibus mea studia omnia et officia collocarem: quos haberem in amore & in obseruantia omni eximios. Hic est tibi Pole videndum, ne, quod in literis tuis facis, vt mea erga te officia verbis magis augeas, quā illa merita sunt, facias idem apud alios: ne ea in te, quae ceteris in rebus abundat, in hac re vna duntaxat prudentie requiratur. Quid enim ego egi, quod si vel minima laude dignū, aut quod non tibi multo maius à me officiosiusq, deberetur? Si cōmunia quadam officia, quae in mediocreis etiam homines conferri solita sunt, in vnum omnium prestantissimū virtute, nobilitate, dignitate, contuli: iccirconē videbor magnum quid egisse, quodq, tu tam gratis & amantib. verbis prosequaris? Imo ego, qui te certē amo colōq, mirabiliter, rusticitatis tamen me ipsum condemno, q̄nesciui quē admodum voluissem, et quem admodum tua excellens dignitas postulabat, benevolentiam in te meā tibi declarare. Quare cū tua commemoratio meorum erga te officiorum tuborem mihi potius incutiat, quā vllam asferat causam.

*sam, in hoc genere quidem, bene de me ipso existiman-
 di: quaeso obtestorq̄, vt conseruato inter nos necessitu-
 dinis vinculo, quo ad aeternam (vt ego statuo) amicitia
 & beneuolentiam coniuncti sumus, reliqua alter alte-
 rius officia, non tam efferauimus verbis nos quidem, qua
 cum opus erit, mutuo requiramus. In quo tua semper
 partes ampliores futurae sunt, & gratificandi, & be-
 neficijs afficiendi: cum non ego solum, sed mei hi popu-
 li omnes, in tua ope, autoritate, patrocinio, magnam
 spei sua partem repositam habeant. Quicquid porro
 meis commodatur, mihi certe commodatur, qui illo-
 rum causa nunc cum maximè laboro. Etenim vt tu sci-
 as, dilatio data debitoribus Iudeorum, cuius tu vel im-
 primis extitisti auctor, ad exitum iam adducta est: ne-
 que quicquam vltra iam in expectatione est, nisi vt se-
 cundum hoc biduum, compleatur carcer hominum mi-
 serorum, & ad soluendum impotētium, durissimo tem-
 pore anni, annona carissima, pauperibus pessimè affe-
 ctis. In quo magnus quamplurimis luctus, mihi animi
 dolor paratus est: cum tamen interea actorem Prouin-
 ciae satis pridem in vrbe habentes, nihil adhuc humani-
 tatis & misericordiae potuimus consequi. Id credo fit
 summi Pontificis occupationibus, propter quas fortasse
 aditus ad eum non fuit. Nam illud quidem mihi per-
 suadere non possum, tam sapientē Principem, si cognou-
 erit incommoda suorum populorum, nō opem illis &
 remedium allaturū. Nos interim patiemur acerba, &
 (ut ego iudico) minimè aequa: sed sunt qui cōtra putēt
 Verūm suus cuique sensus, suaq̄ existimatio est. Apud
 nos*

nos minimū vtilitas, plurimū semper valebit officium
 atque fides. Nullaq; erunt bona veritate & virtute no-
 bis potiora. Sed hac hactenus. Habeo à Bembo suauis-
 simè scriptas literas: quibus impræsenti valetudine im-
 peditus, accuratè responderè non possum. Epiphora e-
 nim tentor, eaq; mihi in dentes & gingiuas dolorem
 inijcit: qua etiam molestia coactus sum aliquod hosce
 dies studia intermittere, hasceq; ad te literas negligèn-
 tius scribere, quàm voluntas mea ferret. Quin Paulus
 quoq; leniter agrotat: verum id perbreue futurum est,
 omniaq; iā illi sunt ad salutem explorata. Ille verò &
 Paulus alter vnà, uel tota potius nostra domus, qua tua
 eadem est, eiusmodi & tui & tuorum memoriam con-
 seruat, nihil vt fieri possit, neq; in amore, neq; in deside-
 rio vehementius. Tu Contareno, & Bembo, Ludouico
 item, & Priulo tuis, plurimam à nobis omnibus salu-
 tem. Legi sanctissima & prudentissima & fœmina Victo-
 ria Columna, ad te literas, in quib. illa mei mentionem
 facit, videturq; hic nostrā stationem approbare, quod
 ego incredibiliter gaudeo, mea consilia tanta esse et vir-
 tuti, & sapientia probata. Te quidem rogo vti operam
 des, quò hac illa ex te, meamq; praterea in se obser-
 uantiam benevolentiamq; quàm primum intelligat.
 Nos hic audiuius qua comitia habita sunt, ad qua tu
 tempore ipso aduenisti: nil dum tamen earū rerū quas
 cupimus, cognouimus: qua vbi singula ad nos certius
 & distinctius fuerint allata, tum constituemus, quid
 nobis etiam agendum sit, & quibus, quatenusq; gratu-
 landum. Tu valebis, & nos diliges, etiam atque etiam
 Vale.

Vale. Carpent. XVI. Calendas Februarij, M. D. XL.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Reginaldo Polo S. R. E. Card. S. P. D.

Tvis literis mense Februario ex Vrbe datis, quòd ad huc nò responderim, iusta mea hac apud te erit excusatio, quòd minus còmodè valui. Multa enim pituita & alui fluxionib. diu conflictatus, laboravi morbo, non tam periculoso illo quidem, quàm molesto: absuit enim febris. Sed tamè et meae vires debilitatae, et corpus vsq; eo fuit extenuatum, vt non esset certa, neq; explorata mihi ratio salutis. Nūc cū Dei benignitate melius mihi sit, iamq; ad literas & studia mea pristina reuerti ceperim: non putavi mihi prætereundum esse, quin ad te primo quoq; tempore literas darem. Scito igitur tuas mihi fuisse iucūdisimas. Et si enim constituta amicitia, et amore mutuo perfectò, studiū scribendi videtur esse superuacaneū, nisi si quid sit eiusmodi, quod absentiu amicorum scire atq; intelligere interfit: tamen omnis semper còmemoratio beneuolentiae iucunda est, etiam si non sit necessaria. Priulum quidem meū concertasse tecum, causamq; meā tueri & defendere conatū esse, quē admodum mihi scribis, ita credo. Sed tamè vereor ne magis suum ipse ostentare ingeniū, quàm ius meum tutari voluisse videatur. Solent enim magni isti patroni, qui suae eloquentiae plurimū confidunt, suscipere interdū nò bonas causas, vt cū iudicio vicerint, non iuri veritas illi suffragata, sed ipsi ius sibi fecisse, et veritatē causae appinxisse videantur. Qui si in disputatione quā habuit tecū, me amantissimū tui esse dixisset, nec sine

ali-

aliqua solitudine animi fuisse, quoad tuis de rebus cer-
 tior fierem: verè illa egisset, eaq; dixisset, quæ mihi vñ
 certè euenerunt. At nò hoc fuit satis ingenioso homini,
 suamq; dicendi copiam vbiq; ostendenti. Iam enim illa
 non vera, te culpam admisisse, mea multa & magna er-
 ga te officia extitisse. Quorum primum in tuam natu-
 ram virtutemq; non cadit, alterum ego non agnosco.
 Quicquid enim egi tua causa, si quid modò egi, inferi-
 us id multò est, quàm tua præclara virtutes postularint.
 Nec verò video me egisse quicquam, nisi quod præter-
 mitti sine scelere non potuit. Quin interdum memet-
 ipse rusticitatis arguo. Tali enim à me viro, qualis es
 tu, non animus, neq; domus, quæ communia sunt, sed sa-
 lus ipsa & vita debuit esse exposita. At tu, quantum,
 queso, honoris mihi habuisti? quantum etiam si dei? qui
 te mihi potissimum & meis tectis commisisti? quod tu-
 um testimonium meæ integritatis, atq; officij, cum mi-
 hi vehementer honorificum fuerit, si id cogitasset, &
 sibi proposuisset Priulus, non ille te in me negligen-
 tem, sed me in te potius minus gratum differuisset. Sed
 tamen, quando amore mei adductus, fauere mihi volu-
 it, & quodammodo absentari: diligam hoc nomine eti-
 am hominem necesse est, & amantius cõplectar, quòd
 meas absentis partes defendendas susceperit. Quare tu
 illi plurimam à me etiam atq; etiam dices salutem.

Dialogos de me cū summo Pontifice à te habitos li-
 bentissimè legi, tuamq; pristinā erga me beneuolentiā
 recognoui: cui nunquā parem gratiam referre potero.
 Hac enim ea sunt officia, quæ me vehementissimè obli-
 gant.

gant. Illud mihi accidit optatissimū, quod de me reuocando verbū ab eo nullum. Ad quod, quæso incumbe mi Pole, vt mihi viuere in honesto ocio liceat: quando ista negotia placere mihi non possunt. Qui si nosse quæ nunc sint rumoribus hominum peruulgata, etsi ea fortasse scis, (non enim obscura sunt, sed passim in circulis angulisq; omnibus iactantur) dolore animi mecum vnâ tabesceres. Erumpunt porro omnia in illius caput & nomen, quæ nos & veneramur, & diligimus, & cuius beneficijs maximè obstricti sumus. Quæ ego non commemorabo, ne & augeam dolorem meum, & tibi molestiam asseram. Illud certè patet & perspicuum est, quicquid eueniat in Repub. Christiana aduersi atq; mali, de eo statim homines culpam in nos, & crimen conferre paratos esse, vt occultari dissimulariq; non possit, quæ sit omnium mortalium de nobis & de moribus nostris planè iâ existimatio. Sed abeamus ab his, quæ præter modum molesta sunt. Contarenus noster valdè humanè egit mecum, qui me voluit absente nihilominus participè esse earum pecuniarū, quæ nostro ordini attributæ, distribui solitæ sunt dūtaxat inter presentes: quod ego profectò nec cogitavi vnquam, nec postulavi: quod etiam illius benignitas erga me eminentior. Nam quod à Casulano mētio fuerit facta, ille sponte sua hoc egit, nullo admonitu meo. Non enim meum est aucupari lacra, nec ea quæ mihi non debeantur flagitare. Sed et Casulanus vir optimus, qui me admodū diligit, meî cōmodi curā, me etiam inscio, sibi habendam putauit: & apud illam præstantem atque eximiam Contarenū

nostrū

A Cce
data
que me
digni
terium e
minimo i
spectan

nostri virtutem, humanitatē, integritatē, video moni-
 tore nihil fuisse opus, per se enim ille propensus ad me iu-
 uandum, & omnibus beneficijs afficiendum assidue est.
 Cui vtinam aliquando referam meritam gratiam: hæ-
 bebo quidem semper. Nam etsi mihi nullum emolumen-
 tum, nullaq; vtilitas ita est cordi, vt vel minimum ve-
 lum de mea dignitate propter eam deperdere: tamen hæ-
 bere hæc indicia amoris à summis viris, maximam ego
 arbitror esse dignitatem. Quapropter abs te peto, vt il-
 li & meis, & tuis etiam (si tibi videbitur) verbis agas
 gratias. Prouinciales hîc nostri te maximum in modicâ
 diligunt, atq; colunt: suamq; tibi salutem referunt ac-
 ceptam. De meis studijs nihil possum tibi impræsentiâ
 polliceri: instat enim ætas, quod ego tempus consumere
 in mansuetioribus literis soleo. Librum tuum magna
 ex parte legi, animumq; in eo tuum magnum atq; præ-
 stantem, coptamq; vnâ & eruditionem, imprimis verd
 studium pietatis ac religionis vehementer probaui. Da
 operam vt valeas. Carpent. IX. Cal. Maij, M. D. XL.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Gulielmo Poieto Cancellario

Galliæ, S. P. D.

Accepi literas tuas tertio Idus Nouembris Lutetiæ
 datas, plenissimas amoris, humanitatis, prudentiæ,
 que meum, quod ego diu antè de tua præstanti virtute
 & dignitate feceram iudiciũ, nõ modò confirmarunt,
 verum etiã auxerunt. Ita enim scriptæ sunt, vt nullum
 omnino in illis officium, quod vel à sapiente homine
 spectandum sit, vel benignitati & amicitia debitum
 esse

esse videatur, abs te sit pratermissum. Quodq; me mirificè imprimis delectauit, omnia in tuis literis sic aptè, ornate, grauerq; explicata, tum verbis, tum sententijs, vt mihi videaris, id quod magnorū quidem virorū est, sed tamen non tam valde occupatorum sicut tu, cum rerum gerendarum prudentia, elegantiam quoq; orationis vt coniungeres, non mediocriter laborasse. In quo genere laudis (dicā enim quod verum est) expectationem meam longè superasti. Cognoram equidem antea excellens ingenium tuum, & in arduis rebus agendis atque administrandis consilium, diligentiam, industriāq; perspexerā. Non enim mihi tuus animi sensus, & ad laudem impetus fuerat ignotus. Sed re vera in tanto cumulo pondereq; negotiorum, quæ tibi maximis curis occupationibusq; districto, quotidie affluant, & superfluant necesse est: quod aliquam quoq; partem cogitationum tuarum & temporis liberalib; studijs impertires, non mihi venerat in mentem de te existimare. Quod quoniā nunc habeo ex tuis literis exploratum & cognitum, si quid ad eam addi beneuolentiā potest, qua ego te iā pridem singulari sum complexus, erit hæc etiam causa vnā cum reliquis & sancta & grauis, quam obrem tuā me plurimi videre esse faciendus. Sed hæc quæ longior rem desiderant orationem, in aliud tempus differenda sunt. Venio nunc ad ipsas literas, in quibus mirari mihi visus es, quod ego in graui meæ dignitatis & libertatis dispendio, tantula de re (ita enim scribis) tantopere laborarem. In quo si pecuniaria iactura causa id laboris & molestia suscepisse me existimes, obsecro te Periete cha-

iete charissime vt me hac tam graui infamia desinas o-
 nerare. Nihil ego turpius esse iudico, quā moueri pecu-
 nia: et quidem moueri in vtrāq; partē, vt vel adauctā
 nobis magnam latitiā asserat, vel ablata molestiā. Et
 tamen recordor scripsisse me tibi, pecuniam mihi leuis-
 simam, honestatem aut grauisimā semper esse. Quare
 desisile, si me amas, hoc tam iniustum de me facere iudi-
 cium, quod alienum certē & mea natura, & nostra ne-
 cessitudine est. Si verò, q̄ meā lesam dignitatē apud
 te sum cōquestus, id leuius à me factum arbitraris: qua-
 so, quid apud te futurum graue est, si leuis fuerit digni-
 tas? Sed ego hac quæ nunc loquor, non ita accipi vo-
 lo, quasi doleam hac à te mihi fuisse scripta, non enim
 ita est: sed quia cupio doctus & sapientibus viris, cuius-
 modi tu es, meam & cognitam, & probatam naturam
 esse, ac voluntatem, quæ ab hisce vitij's illiberalitatis et
 sordium longè profectò aliena & abhorrens est. Ac ne
 ad ea quidem respondebo, quæ à te scripta sunt de pote-
 state eorum iudicum, quibus vos ecclesiasticas causas
 & iudicia commisistis. Satis enim in literis priori-
 bus sum testatus, existimare me, nihil neque à te,
 neque ab isto præsantissimo Rege, sine magna ratio-
 ne & consilio factum esse. Ad id potius me conuertam,
 quod & huic tempori est aptius, & meæ natura certē
 conuenientius: vt & tibi, & nostro optimo maximoq;
 Regi agam gratias, quòd meæ & quietis, & dignita-
 tis, pro vestra singulari bonitate rationem habueritis.
 Tametsi intelligo, eas nequaquam à me satis digne agi
 posse: vincit enim & Regis beneficentia, et tuum erga

me officium, facultatem in hoc genere meam. Agota-
men quantas possum maximas, meq; huius vestri erga
me beneficij memoriam perpetuo seruaturū polliceor.
Quinquam nec ad meam in summū Regem obseruan-
tiam quicquā videtur posse accedere: nec ad eam quam
erga te iam dudum suscepi voluntatem. Sed tamē, siue
in hoc portu, in quo me locatū per literas gratularis,
& quidem iure, (in eo enim diurnis nocturnisq; cōmen-
tationibus rerum, vt ego arbitror, altissimarum simul
& sanctissimarum sum deditus) siue in negotijs & flu-
ctibus actionū, in quos me redire fortasse erit necesse,
(non enim ego illam conditionem vita asperner, si mi-
hi ea offeratur, qua in rebus cum virtute & cum pru-
dentia religioneq; tractandis, futura sit occupata) siue
ergo hic, siue illic, ego meam omnem operam, studium,
fidem, amorem, diligentiam, auctoritatemq; quacunq;
ea in me fuerit, & nostro Christianissimo Regi, et tibi
optime Poiete defero atq; dico. Cui quidem Regi quodd
meum interdum te nomen in memoriam redacturū pol-
liceris, est hac tua mihi gratissima voluntas: idq; vti sa-
cias, te vehehemēter rogo. Quid est enim quod malim,
quā me illi Regi in memoria esse, cui propter altitu-
dinem, nec tam fortuna quidem, quā ipsius virtutū
& humanitatis, vel notū duntaxat esse, summus honos
censendus est? Et quidem imprimis ac maximē illius er-
ga me benevolentiam quero: hac mihi nihil potest eue-
nire optatius. Cetera qua ab illius liberalitate possunt
proficisci, qua à me vt fluxa, & caduca negligi scribis,
non eo quidē sum animo vt mihi negligenda esse vide-
antur

antur: sunt enim bene institutis mētibus egregia instru-
 menta bonitatis & liberalitatis: non tamen per ambi-
 tum & cupiditatem iudico esse petenda. Itaq; ego, qui
 hac qua obtineo, quantula ea cunq; sunt, aliena sponte
 omnia, non mea cura & contentione sum consecutus, si
 quid mihi quandoq; eo modo deferatur, magis iudicio
 Principis, quàm meo cōmodo lator: ob eamq; etiā cau-
 sam bene de me merentibus maiorem gratiam habeo.
 Sed de his etiam satis: Tu mi doctissime Poiete me ama-
 bis, & totum tuū duces: dabisq; operam, vt valeas: hoc
 mihi facere gratius nihil potes. Vale. Carpentoracti,
 XV. Calend. Itnuarij. M. D. XL.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARD. GV-
 lielmo Poieto S. P. D.

U^m neminē habeo ad quem libentius scribā, quàm
 ad te: tum verò id libentissimè facio, cūm quis &
 tua dignus beneuolentia et mea meis tibi literis cōmen-
 dandus est. Quod si aliās vnquā mihi accidit facere vt
 deberem, nunc profectò maximè debeo: quòd cum tibi
 commendo, cui aut neminē, aut paucos certè, in omni
 laude doctrinae & literarum iudico esse pares. Nec ta-
 men dubito, quin tibi Alberti Pighij nomē sit auditum:
 tanta id & celebritate est omnibus penè in gentibus,
 & eruditionis fama. Nos quidem qui cōplura eius in-
 genij monumenta legimus, non solum probamus scien-
 tiam hominis, & doctrinam, qua multiplex in eo, &
 varia, & referta est: sed etiam propositū animi, & in-
 signem Christiana pietatis cultū. Incredibile est enim
 quantum hic vir de fide Catholica, & Christiana reli-

gione sit meritis. Is ergo istuc veniens, vt salutet ac veneretur nostrum Regem, agatq; cum eo quibusdam de rebus suis tum sponte sua (est enim tui nominis amantissimus) tum suasu etiam meo: magnam spem habet in te suorum negotiorum bene expediendorum positam. Quae ne eum spes fallat vehemetissimè te rogo. Multa sunt mi Poiète, quae praclaræ et egregia facere potes: dedit enim tibi summū ingenū natura, fortuna etiam facultatem. Sed certè nihil videris facere posse praclarius, quā tales viros in fidem et patrocinium recipere: eisq; adesse vbiq; sit opus, opera, gratia, benevolentia, autoritate. Quod nisi tua præstans humanitas mihi esset perspecta planè & cognita, vterer verbis pluribus. Nunc tantum dico, quicquid in Piphium contuleris officij & studij, id à bonis omnibus in eam partem acceptum iri, vt si tu id, non in hominem, sed in virtutem ipsam & doctrinam contulisses: tantum nos & ipsius eruditioni tribuimus, & tuae laudi gloriæq; fauimus. Illud extremū erit, vt te velim id quoq; existimare, si eum amāter, comiterq; mea etiam eausa exceperis, mihi in ea re gratissimum te facturum. Vale. Carpentoracti, Idibus Nouembis. M. D. XLI.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. GV-
lielmo Poieto S. P. D.

PVto te audisse, nos omneis qui de Cardinalium collegio sumus, summū Pōtificis literis ad Urbem esse acceperis. Itaque, etsi agrè ab ecclesia mea duellor, mihiq; cum hoc iter, tum verò in Vrbe mansio in omnem partem incommoda futura est, tamen quando excusa-
tio,

tio, qua vsus fueram, accepta non est: ea qua huic itin-
 neri necessaria sunt, comparo: meq³ his viginti circi-
 ter diebus, profecturum hinc arbitror. Memor au-
 tem nostra mutua insignisq³ beneuolentiae, statui me-
 um ad officium pertinere, scribere hac ad te, & tibi,
 si vnquam alias, nunc quidem quam maximè, meam o-
 peram, studiū, beneuolentiāq³ deferre. Futurus enim
 sum in eis locis, in quibus, quo sim in te animo, multo il-
 lustrius tibi declaraturus sum, q̄ declarare potuerim
 in his, in quibus ad hoc tempus fui. Itaq³ qua de laude,
 de honore, de virtutibus tuis mihi agenda, & comme-
 moranda erunt vel in nostro senatu, vel ad Pontifi-
 cem, vel apud reliquos ordines, agam ipse per me:
 nec expectabo de ea re literas et admonitiones tuas. Si
 quid praeterea erit, quod tu meā operam diligentiamq³
 requiras, si me feceris literis tuis certiozem, dabo ope-
 ram vt intelligas, te id non frustra fecisse Vnum est, q̄
 ego multo vsu rerum & obseruatione praetitorū eue-
 tuum edoctus, animaduerti à vobis, & in memoria ha-
 beri cupio: id porro est, vt sedis apostolica honorē &
 auctoritatem, coniunctionemq³ cum ea, vobis cordi esse
 omnibus signis ostendatis: hoc enim si fiet, omnia vobis
 profecto erunt faciliora. Sed sapiētī pauca, vt dicitur.
 Illud etiā à te mi humanissimè Poiete postulo, vt omne
 quicquid ego sum, aut esse possū, regi nostro meis ver-
 bis polliceare & deferas. Parum latè fortasse & pru-
 dentia mea & auctoritas patet. Sed certè qua ab inte-
 rrima fide, & summo amore postulanda sunt, ea illi
 a me non deerunt, si quid vsu venerit, in quo gloria il-

lius et maiestati inferuire possim. Extremū est, vt mea
absentis, & mea ecclesie res, negotia, iura, itēq; huius
patrie mihi charissima salutem & tranquillitatē, tua
humanitati, fidei, virtutiq; cōmendem: abs teq; petā,
quod tibi p̄ tua praestanti autoritate agere facillimum
est, vt ne quid aut mihi absenti aut meis hic praesentib.
oneris, molestia, iniuriaq; à vestris inferatur. Vale, &
nos mutuo dilige. Carp. XIII. Cal. Martij, M. D. XLII

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. GVLI
elmo Poieto S. P. D.

ETijs quae tibi dudum aduersa euenerūt, pro nostra
amicitia vehementer dolui: et nunc, quod audio te
tibi esse atque tuis restitutū, pro eadem nostra coniun-
ctione gratulor: etsi videntur fortuna tua aliquid for-
tasse detrimenti accepisse. Sed in tanta tempestate, &
maximorum periculorum procella, quam tibi inimici
& inuidi tui contitabant, cum et caput, & fama, &
fortuna tua essent in discrimen adducta, saluo capite
quoquo modo euadere, magnū profectō fuisse visum:
nisi illud etiam maius multo esset, quod in tantis inimi-
citijs potentissimorum hominum, tot insidijs, tam mul-
torum contra te concordī et consentiente calumnia, ad
extremum tamē innocentia ipsa tua, exitum sibi ac vi-
am ad salutem inuenerit. Quam ego tibi maximam eo-
rum incommodorum, quae cepisti, consolationem esse
non dubito. Quid enim nobis est interius, magisq; con-
iunctum, & quo letari magis iure debemus, quam cō-
sciētia cuiq; sua bene acta vita? quae in quocunq; inest,
is & in aduersis rebus interitus, & in periculis fidens,

et cōtra omnem calumniam fortissimo animo est: quē-
 admodum quidē te fuisse ipsa res est indicio. Equidem
 nunquā ipse de tua virtute ac fide dubitavi. Sed vt vul-
 gus est hominum, apud quos Principum longē pollens
 & grauis est autoritas, vt quisq; in crimen, & in iudi-
 cium vocatus est, ita statim non Regi, sed reo criminis
 culpa insertur: quasi ipsi Reges errare non possint.
 Quam nunc de te hominum suspicionem, si qua fuerat
 suscepta, hac rebus omnib. diligentissimē excussis, post
 longam & grauem disquisitionem, tui liberatio peni-
 tus extinxit. Itaq; qui antea virtutis tue lumen nō be-
 ne perspexerant, postquam illa prodire in publicum,
 & certare palam cum iniuria & cum iniquitate coa-
 cta est, vicitq; tandem ipsa fraudem & improbitatem,
 non solum videant illud, sed laudent etiam, & admirē-
 tur necesse est: vt maior nunc quidem apud omnes vir
 appareas, quam paulo antē fuisisti, tum cum in illa occu-
 pata & negotiosa vita, tamen eras maximus. Sed illic
 inuidia, & amulatio, & iniquorum fraudes plus po-
 tuerunt, quā integritas tua. In hoc autē ocio ad quod
 es compulsus, felici (vt ego quidem iudico) & optan-
 da calamitate, cum tantū valeas ingenio, quantū mihi
 optimē notum est, sisq; non iuris ciuilib. scientia duntaxat,
 sed optimis etiam et liberalissimis artium ingenua-
 rum studijs instructus, qua tibi maximē iucunda atque
 gratia in tali tuo tempore esse possunt: teq; (vt antē di-
 xi) et casus tui, et ipsorum inimicorū tuorum de te iudi-
 cium, ab omni iā indigna suspicione vindicet: debes (o
 pinione quidē mea) nō solum pacato ferre animo ea que

acciderunt: sed gaudere etiam et letari, quod ex turba
 lento et agitato tot ambitionum ac insidiarum fluctibus,
 mari, in tutum et tranquillum portum aliquando sis per
 uectus. Quod si (ut decet virum forte magnumque) &
 senseris ita et egeris, cum meam pristinam de tua virtute
 opinionem confirmaris, tum istius tue firmitatis atque
 constantiae vberem apud omnes fructum laudis feres.
 Ego, sicut fides mea, et nostra mutua benevolentia po-
 stulat, cum tibi defero quicquid in me est, aut opis ad le-
 uandum, aut ingenij ad consolandum incommodum tu-
 um, tum tibi imprimis hoc esse persuasum volo, neminem
 te habere fortasse, qui tui amantior, quam ego sim, esse
 possit. Qui vero fidelius aut constantius amicitiae memo-
 riam tueatur, habere te quidem certe neminem. Vale.
 Roma, V. Idus Nouembris, M. D. XLVI.

IAC. S ADOL. S. R. E. CARD. IOAN.

Petro Carafæ. S. R. E. Cardinali S. P. D.

Maxima, cum animi mei letitia legissem tuas literas
 (significabant enim humanitatem & benevolentiam
 erga me tuam, quam in alleuando fidei mei onere
 adhibuisses: quod ego tuum imprimis erga me officium
 à tua virtute et prudentia postulaueram) nisi eadem ad
 me litera detulissent querelam quandam multarum mo-
 lestiarum, quas sustines, & non obscurum iudicium do-
 loris tui, quem video tibi in animo exortum propter tem-
 porum calamitates, quibus & intus & extra sic præ-
 mi-nur & vrgemur, ut consolationem vllam vix pos-
 sit quisquam, quamuis sapiens, inuenire. Sed ego qui
 ad dandum tibi consilium aptus non sum, tamen confi-
 do

do te, cum temetipsum respexeris, nec ex ijs quæ extra te, sed quæ in te ipso sunt, expenderis, multas reperturum ad te consolandum vias. Omnino cuncta & ab impetu hostium infesta, & seditionibus ac sectis, quæ inter nos ipsos ardet, grauitè vexata sunt: animis præsertim hominum, qui vbiq; sunt his temperibus ac moribus vehementer inuisi. Sed tamen in quo culpa nostra non est, id animo æquo omnes ferre debemus. Sed non ingrediar ad disputandum, neq; tibi meam sapientiam ostentabo, quæ prorsus nulla, magisq; ea mihi abs te est mutuanda. Quod partium est mearum et mei muneris, id facere conabor: vt tibi agam pro tuo erga me singulari merito gratias, quas equidẽ habeo agoq; maximas: teq; obsecro: vt quæ restant ad res illius monachorum ordinis, qui me a fidei crediti sunt, constituendas, eodẽ quo instituissti consilio prudentiaq; gubernes: quo quidem nihil mihi accidere potest gratius. Vale. Carpent. II. Nonas Septembris, M. D. XXXIX.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. FRAN
cisco Quignonio Cardinali sanctæ Crucis
S. P. D.

QVas postremas accepi à te literas, eis non respondi, quomam tu ex Vrbe per astatem in alia loca salubriora seceperas: quod mihi idem facere fuit necesse. Et sanè ipsis in caloribus difficilis esse solet scribendi, & quippiam accuratius agendi ratio. Nunc astate exacta, cum frigidiora tēpora etiam maturius aliquāto aduenerint, quàm soleant, egoq; ad intermissa mea studia reuerti cogitem, nihil mihi prius faciendum pu-

tui, quàm vt ad te darè literas: primumq; gratias age
 rem de omni significatione tua erga me voluntatis,
 quam ego mihi beneuolam plurib. in rebus iam exper-
 tus sum: quas quidem tibi & habeo & ago maximas.
 Deinde etiã tibi amantissimè suadenti, vt aliquãdo ad
 Urbem me referrem, eas dicerem causas, quæ me hic re-
 tineant: vt neq; tuo prudentissimo consilio, neq; meã ti-
 bi obtemperandi volûtati satisfacere tam citò possim.
 Nam cum mea istic presentia aut nullius omnino, aut
 parui certè momèti in rebus publicis sit: eadem hic his
 populis nõ solum commoda est, verum etiam salutaris.
 Quod enim vel ad verã religionis normam, vel ad pa-
 cem concordiamq; inter ipsos pertinet, non leue habet
 pondus mea apud eos hortatio & autoritas. Deinde
 multa alia sunt pastoris boni officia, quæ hic presens
 melius quàm absens exequi possum: imprimisq; hac
 caritate ammonè, cum impendere fames videatur, com-
 pluribus egenis ferre opem potero. quod, Roma si es-
 sem, facere certè non possem. Vectigalia enim ecclesia
 mea, quæ per sese magna non sunt, dabunt tamè hic mi-
 hi aliquid ad alijs subueniendum facultatis: quæ si in Vr-
 be domicilium haberè, ne mea quidè ipsius familia ne-
 cessitati sufficerent. Quod etiam ipsum per se conside-
 randum est, quomodo Roma in hoc tanto honore, sine
 idoneis vitæ adiumentis, quæ in re familiari & vectiga-
 libus annuis posita sunt, retineri dignitas possit: præ-
 sertim cum alienis opibus, viuere proxus indignum du-
 cam. Hæc me Pater amplissime, & optime, adhuc hic
 detinent. Nec tamen hæc cum ego narro, ambio, aut fla-

gito à quoquam quicquam: non enim meus hic mos, nec mea vnquam flagitatrix fuit natura: sed eius fortunis quacung; ad manum sint, bene & liberaliter vti, semper magis proprium viri esse existimauit. Pontificē porro maximum, cui me totum & debeo et iam dudum tradidi, video ipsum carere hac distribuēdi ecclesiastica veſtigalia facultate, principib; omnia ad suum arbitrium trabentibus: quibus me subijcere, & ad eorum accedere fores, consilium non est. Nec tamen ita vrgeor cupiditate habendi, vt nō hoc statu, in quo sum, possim esse contentus. Viuo enim inter hos populos & diligens eos patria charitate: et (vt videre mihi videor) ab eis dem etiam dilectus. Quae amoris mutui consensio vitā beatam facit: praesertim cū est ad Deum, & ad summum bonum relata. Quos ego nunc populos tuae commendem fidei, iustitiae, integritati, est necesse. Illi enim ad Urbem nuntium mittunt, quō doceant summū Pontificem de incōmodis prouincia, quibus illa premitur. Eos igitur tuae aequitati & sapientiae ita trado atq; cōmendo, vt maiore animi studio cōmendare non possim. Quicquid certē in illos beneficij, patrociniy auxiliy, cōtuleris: id mihi sic futurum est gratum, vt ex tuis plurimis erga me meritis, hoc vel maximū semp̄ omniū sim indicaturus. Vale. Carpentō. pridie Nonas Oct. 1539.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. DIONYSIO Cardin. Sancti Marcelli S. P. D.

AD eam voluptatem, quam acceperam ex amplificatione tuae dignitatis, (quod iste honos cū similib; tui, hoc est doctis viris prudētibusq; desertur, gaudere sem-

semper soleo) accessit suauitas literarum tuarum, qua me ita affecit, cum commemoratione tui prislini erga me animi, tū declaratione praesentis voluntatis: vt ego, qui te antea tacito potius quodam de tua virtute iudicio, quam aperta amoris significatione diligebā, quod nulla admodum inter nos intercesserat consuetudo: nūc ex literis tuis, tam amāter, tamq̃ honorificē de me scriptis, non amem solum, sed tanquā amicū simū, & familiarissimum, omni animi mei studio & beneuolentia te amplectar. Equidem sentiebā optimē de te, nec tā mea sponte, (non enim fuerat notitia inter nos, egoq̃ multis & magnis meis difficultatib. abstractus, diutius in Vrbe esse nō potui) sed eorum testimonio, quos ego vè hemēter cum probarem, intelligebam ab illis te quoq̃ probari. E quibus vir clarissimus, & mihi quoad vixit amicissimus Symoneta, multa mihi narrare de te solit⁹ erat. Sed iam nullū amplius quero de te testimonium: tua. n. virtutis, tui ingenij, tuae humanitatis, satis mihi graues et certas literas tuas misisti testes. Quae ita scriptae sunt, vt neque ornatus in verbis, neq̃ in sententijs prudentia desit. Quanquam in eis mihi tu quidem plus tribuis, quā ego intelligo me posse sustinere. Sed hoc amoris in me tuo assignandum est, et illi, de qua modo locutus sum, humanitati. Quod autem ad amicitiae fidem pertinet, quae iam inter nos & pro collegio, & pro similitudine studiorum debet esse instituta, atq̃ cōiuncta, primū de isto honore, qui in te iure ac merito collatus est, tibi gratulor, deq̃ eodem mihi gaudeo: si quidem omnium rerū inter amicos communicatio esse debet.

bet. Deinde memetipsum tibi, & mea omnia studia, omnemq; benevolentiam ita defero atq; trado, vt sim gratissimum habiturus, si tu in eis, à quibus te diligere putas, me Principem locum velle obtinere duxeris. Quem ego animum cum ceteris tuis virtutibus & ornamentis debeo, tum ei precipue, quam singulariter præ te fers, benevolentia tua erga me, & voluntati. Vale. Carpentoracti, Idibus Februarij. M. D. XL.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.
Dionysio Cardin. Sancti Marcelli, S.P.D.

Alteram habeo iam à te literas, similes prioribus & humanitate et benevolentia: quæ mihi fidem prorsus faciunt me abs te diligere. Quod cum ita sentiam, certò, opiner: debes existimare, si me arbitrare dignum eis studijs, quæ ambobus nobis communia, & ad integritatem morum ingenuitatemq; naturæ animos informant, in quibus ego & ætatem meam consumpsi, & tu excellentem, vt video, ingenio versaris: non tibi me concessurum, vt in amore, aut vllis in officijs me vincas. Nam si quoties mihi datur occasio, fauere soleo doctis viris, idq; mea sponte, nulla intercedente nec re, nec familiaritate, quod vno tantum doctrinæ nomine ad eos amandum & complectendum adducor: quid facere debeo erga te, à quo sum prouocatus? præsertim cum & tua præstans doctrina, compluribus alijs virtutibus, & virtus summo honore præclaroq; omnium hominum, Pontificis imprimis maximi, & totius nostri ordinis de tua dignitate iudicio, non comprobata modò, verum etiam ornata, illustrata, & in altum edita sit? Quæ res etiam effecit,

vt ad ceteras mutui inter nos amoris causas, Collegij
coniunctio, & sanctissima necessitudinis vinculum ac-
cederet. Sumus enim vterq; nostrū diuino quodam mu-
tu, in societate bene gerendae Reipub. non solum eiusdē
munere officij, sed animorum etiam, & studiorum con-
sensione copulati. Quae cum se res ita habeat: nec iacta
solum inter nos amicitia fundamēta, sed ipsa superex-
tructa, & planē iam confirmata amicitia sit: dabimus
operam vterq;, vt in amore omnibusq; officijs, alter al-
teri satisfacere contendamus: in quo erimus semper si-
de & beneuolentia pares. Cetera vt fors feret, aut e-
go te factis ipsis atq; officijs vincam, aut equissimo ani-
mo à te vincar. Illud quidem prior faciam, in quo tuae
partes iam apparebūt superiores, te vti rogem, vt meā
absentis dignitatem, vbi opus erit, defendas et tueare.
Vale. Carpent. IX. Cal. Maij. M. D. XL.

IAC. SAOLET. S. R. E. CARD. DIO
nyfio Card. Sancti Marcelli
S. P. D.

NON mihi opus esse arbitror longo tecum proemio
viti, & laborare in ipso scribendi principio, quod
tua mihi beneuolētia cōcilietur. Satis enim ea mihi, nō
meo quidem merito, sed tua humanitate parta & qua-
sita est. Cū enim ad me binas literas misisti, obfides tua
erga me beneuolentiae & voluntatis: tum tu te ipse mi-
hi dedidisti: tum te obligasti, quasi ex pacto & conuen-
to, nihil quod amicitiae & officio deinde deberetur, te
mihi negaturum. Itaq; fidenter accedo ad te, nō minus
te mihi obligatū ex literis illis, et fide viri boni esse existi-
sti-

stimans, quàm si te omnibus sponſionum verbis obſtri-
 xiſſes. Sed grauius ne aliquid expectes aut vereare: ſci-
 to id me petere à te, quod & mihi ad petendum hone-
 ſtiſſimum ſit, et tibi ad tribuendum largiendumq; facil-
 limū. Id porro huiusmodi eſt. Annus hic agitur tertius,
 ex quo ego, cùm me Carpentoraçte retuliſſem, aggreſ-
 ſus ſum opus laborioſū ſanè, atq; magnū, vt de adifica-
 tione Catholica Eccleſia conſcriberē: illud mihi preci-
 pūè propoſitū habens, vt quoniā hac quæ nunc eſt, &
 nominatur Eccleſia, vehemēter labefaçtata eſt, nec po-
 teſt (vt ego ex omniū gentiū aduerſus nos odijs, et gra-
 ni apud cunctos inuidia nominis noſtri, magnū in timo-
 rem venio) ab extremo ſuo periculo longè abeſſe: ego
 pro loco, et pro pietate, qua Deo cōſeruatori meo ſum
 obſtrictus, exemplū eius incolumis atq; integræ, quoad
 per me poſſet, abſolutum et perfectū in literis expreſ-
 ſum relinquerem. Quo liceret vti, ſi quis attēdere ani-
 mum vellet vel ad hāc fulciendam reparandamq; ec-
 cleſiam, quæ iam ad procumbendum vehemēter pronā
 eſt, & inclinata: vel ad nouam & firmiorem aliam, ſu-
 per idem tamen fundamētum, conſtituendam. Hoc ego
 animo erga Chriſtianam Remp. affectus, ſumpſi onus
 huius laboris atq; officij, maximè id conuenire honori
 et profeſſioni mea reputās: iamq; inſtituti operis duos
 libros abſolui, & tunc in tertio lucubrando verſor: ne-
 que laboribus in eo, neq; vigilijs parco, Contendo deni-
 que, atq; nitor, vt habeat hoc à me Reſp. cùm boni &
 amātis ciuis ſacerdotisq; officium, tum teſtimoniū meæ
 perpetuæ ſententiæ & in ſe voluntatis. Sed horum duo

rum qui confecti sunt librorum, prior anno superiore à me ad Urbem missus, in manus tuas (vt opinor) non incidit, neq₃ habeo in praesentia idoneum eius exemplum quod ad te mittam: idq₃ cum habebō, certè sum missurus. Nunc cum secundum mitterem ad amplissimos viros, mihiq₃ et Reip. imprimis amicissimos, Contarenū, Fregosiu, Polum, Bembū: mandavi isthic meis, vt postquam ij legissent, meum ipsi librum continuò ad te deferrent: quem, te oro atq₃ rogo Dionysi doctissimè, vt attento animo perlegas: meq₃ tibi monendum, & vbi cuiq₃ opus sit (erit autè opinor in multis) etiam reprehendendum et corrigèdum suscipias. Nā ego quide hoc corrigendi reprehendendiq₃ officio, modò id ingenuè & beneuolo animo fiat, nullum ab amico homine nec gratius possum expectare, nec optatius. Quid enim est reprehendi, nisi alieno labore fieri meliorem? Et sanè ego sum, qui in meis scriptis, praesertimq₃ recentib. minimum mihi cōfidam. Itaq₃ audio libenter cunctorum opiniones: iactariq₃ in manibus doctorū hominum mea scripta, atque excuti cupio: quo deinde ex omnium iudicijs atque dictis, quod melius sit, & verius mihi eligatur. Interea quidem (id quod me impetrare aequissimum est, petere & precari ab omnib. soleo) vt ne quis ex meis scriptis, quoad illa sunt sub alienum iudicium subiecta, quicquam decerpatur, in quo se putet quasi consignatam ratamq₃ habere mea sententiæ autoritatem. Etenim qui se submisit aliorum iudicijs, nihil adhuc ipse habet decreti & iudicati. Qui verò non expectato idoneo tempore, res etiam nunc dubias, tanquā certas

accusant, & in earum autores inuehuntur (quo à gene-
re hominum & mihi est nonnunquam, & multis saepe
probis negotium facesitum) hi profectò magis male-
uolentiam suam iudicant, quàm alterius innocentie la-
bem & detrimentum asserunt. Sed hæc aduersus aliquos
fortasse necessaria: tecum quidem, mi Dionysi, neq; o-
portuna, neq; apta est oratio: nisi quatenus querelam
et dolorem horum temporum conferre cum amico, &
communicare iucundum est: quod ego sanè tecum et amā-
ter, & liberè facio. In quo verò & mei oportati ac postu-
lati ratio, & tua virtutis atq; humanitatis vis tota cō-
sistit: te obtestor atq; oro, vt legere accuratè meum librū,
meq; admonere & docere audacter omnibus de rebus
velis: vt quoniam ego et in doctrina, et in beneuolentia
tua maximam spem repono, id per tuam fidem ac diligē-
tiam consequar, vt ex fontibus scientie & eruditionis
tue, mei tenues riui vberius irrigentur, tuaq; opera &
ope fluant pleniores. Cui ego tuo officio, magnam pro-
fectò gratiam, & eam perpetuam debiturum me confi-
teor. Vale. Capent. XVIII. Cal. Aprilis M. D. XLI.

IAC. SADOLETUS S. R. E. CARD.
Dionysio Cardin. Sancti Marcelli, S. P. D.

Contigit mihi in te, quod haud scio an nemini, vtcū-
q; te luxisset mortuum, repentè nec opinato nuncio
tue salutis & incolumitatis, ex summo dolore ad sum-
mam lætitiā traducerer. Sic enim fuerat ad me scri-
ptum, te contracto in Hetruria morbo, in oppido Luca
opinor, grauiter agrotum, delatum Florentiam, post
aliquantum temporis diem extremum tuum obiisse: quæ

res animū meum valde perturbabat. Nam cū propter insignem beneuolentiam, qua te sum complexus, & qua est cum amicitia nostra, tum tuis virtutib. debita: tum verò etiam, quòd breui tempore post meum à vobis digressū, multis ex nostro ordine clarissimis viris, e isdemq; mihi amicissimis, & me & Rēp. fortuna spoliata: mihi tua mors cumulum maximum attulisset doloris, nisi meliora Deus de vtroq; nostrum constituens, et tibi salutem, nobis quidem peroptatam, reddidisset: & mihi molestiam, ac mœrorem absterfisset. Cui quidem Deo omnipotenti & immortalī maximas (vti debeo) et meritas gratias ago. Nunc mi Dionysi, quoniā saluus & sospes nobis es restitutus, tua erit posthac virtutis et diligentia, dare operā, eniti, efficere deniq; vt valetudinem bonā tuearis & custodias: nosq;, qui te diligimus, letis de te nūtijs quotidie afficias: quod erit nobis abs te omnium rerum gratissimum. Illud quidem arbitror à me peti non oportere, vt conserues memoriam nostri: nō enim dubito, quin par mihi in officio & in omni fide beneuolentia esse velis. Tantum te rogo, tibi vt persuadeas, me & percupidum & peramantem esse tui. Vale.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Marcello Ceruino Cardinali S.P.D.

CRedo amorem nostrum mutuum non egere testib. Etsi enim non admodum magno inter nos vsu & familiaritate coniuncti fuimus, propter occupationes quidem vtriusq; nostrum, qua impedimento fuerūt: tamen neq; ego vnq; de tua erga me beneuolentia dubitavi, neq; tu potuisti dubitare de mea. Itaq; & cū de te,
tuaq;

tuaq₃ virtute, modestissimisq₃ moribus, optimum semp
 iudicium fecissem, latatus sum maiorē in modum incre
 mento & amplificatione tuae dignitatis: & posteaquā
 in istum locum atq₃ honorē sublatus es, quo esses erga
 me animo liquidius etiā cognoui: optimo videlicet atq₃
 amantissimo: quem admodū et Ludouici Beccadeli, ho
 minis officiosi & prudentis, saepe litera, et tua in meis
 meorumq₃ negotijs opera ac benignitas aliquoties iam
 declarauit. Quare cum constitutā habeamus inter nos
 eam amicitia nec esitudinem, quae ex morum, et studio
 rum, & (vt opinor) etiam sententiarum similitudine
 maximē stabilis et sancta existere solet, mutuaq₃ illam
 et pari inter nos volūtate tueamur: equum est, vtrūq₃
 nostrum alterius ope atq₃ consilio, in his quae vsu quo
 tidie veniūt, ita vti, vt eiusdem amicitia officia nō ver
 bis tantum, sed factis etiam & rebus ipsis vsurpemus.
 Ac vt breue faciam, quod abs te postulo, id huiusmodi
 est. Cum eses anno superiore in Gallia, legisli primum
 meum de Aedificatione catholica ecclesia librum. Sic
 enim ad me scripsit Triuultius noster: id fuit mihi non
 mediocriter gratum, verū gratius etiam fuisset, si i
 dem fecisses quod ille, vt me de his, quae tibi visa essent
 minus commodē in eo libro à me scripta, admonuisses.
 Soleo enim ego hoc maximē à doctissimis expetere, vt
 eorum labore & annotationibus lucubrations mea
 fiant meliores: neq₃ arbitror alia in re magis elucere
 officium id, quod amicitia debeat, quàm in hac solici
 tudine atq₃ cura, quam quis suscipit, quod alterius fama
 & existimationi bene sit consultum. Hoc ego à te &

tunc desideravi, & nunc expeto: ut tu ingenuo quidē et beneuolo animo, sed tamen audacter libereq; reprehendas, quicquid tibi videbitur in meis scriptis esse reprehendendū. Ego. n. cū aliorū opiniones & sententias audio, cū mea in manib. iactata scripta, & multorū obiectionibus veluti excussa sunt: tū colligo memetipse, habeoq; delectū, & q; probabile mihi ac verū visum sit, id sine vlla priuata cupiditate in meas lucubrations libenter transfero: mutoq; facile sententiā, si rectius esse videatur. Veruntamen anteq; hoc fiat, dūq; mea scripta sub alienū iudiciū subiecta sunt: nō arbitror esse rectum, ex meis dictis, si qui fortē in illis error aut non bona ratio sit deprehensa, de me ipso iudicari: qui .n. aliorū iudicium expectat, nondum vititur suo. Quare iniqua est eorū ratio, qui scriptorē accusant de ijs rebus, quae ipsi illi qui scripsit, nondum sunt probatae nec ratae. Sed tu nō eo de numero es, qui natura ingenua, & liberali doctrina, & singulari tēperantia ac bonitate es prae datus. Cū igitur mitterē ad urbē secundum mei illius operis librū ad Ampliſsimos collegas nostros, Contarenum, Polum, Fregosum, Bombū: mandavi meis, ut posteaquam y legisset, illum ad te deferrent. In quo oro te atq; rogo mi optime Marcelle, vt hanc eius perlegendi operam, siue etiam molestiam, non grauatē recipias mea vtilitatis causa: tribuasq; hoc cum amicitia nostra, tum humanitati etiā tuae: vt tuo labore, cura, diligentia, meus liber efficiatur correctior: primū in his, quae ad integritatē religionis pertinet: quā ego sanctē, atq; piē semper per me esse cultam volo. Deinde, ne mea fortē in scribendo

liber-

libertas cui piā molesta esse possit: praesertim eorum, quibus omnia me debere & nunc confiteor, & semper professus sum. Nā q̄ ego Christiano animo cupiā videre emendatiorē ecclesiā, q̄ ea nunc sit, nunquā certē inficiabor. Quod verò huius praecleari operis gloriā atq; fructū ad eos optare potissimū peruenire, qui à me summo honore & obseruantia coluntur, Deum immortalem testor, nihil me vnquam cupisse ardentius. Et fuerat quidem ab initio egregium susceptum iter, sed postea nescio quo pacto aliquantum de via declinatum est. Nec tamen video, quid ad illam praeclearam & sempiternā laudem firmamentum non nominis solum atq; fama, sed posteritatis etiam & generis, horum mortalium et terrenorum bonorum possit comparari. Sed de his satis. Fac mi Marcelle humanissime vt valeas, nosq; tui amantissimos vt diligas. Vale. Carp. 17. Cal. Apr. 1541.

IAC. SADOLETI S. R. E.

CARDINALIS EPIST. LIB. XIII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDI-

nalıs Ioanni Mariæ Montio S. R. E.

Cardinali, S. P. D.



DVENTVS huic Poli amplissimi collega nostri, & magnum mihi dolorem attulit, vt tu quoq; futurum videras & non minorem etiam voluptatem. videre enim hominem amicissimum vtriq; nostrum, summa ipsi virtute, summa temperantia, mo-

destia, sanctitate vitæ præditum, sanè iucundissimū mihi fuit. Eundem autem videre tot appetitum iniurijs, atque aliena impietatis & crudelitatis scelere, in tantas, et tam graues coniectum calamitates, certè nō me diocriter mihi molestum accidit: cū præsertim non a mici solum in eo incōmoda, sed Christiana etiam Reipub. vulnera, vno & eodem tempore, dolere & miseri cogerer. Atque ipse quidem, quo animi robore, & qua erga Deum pietate munitus est, ferebat res aduersas fortiter atque constanter. Ego verò qui nequaquā simili virtute præditus sum, cū me afflīctarem in eius acerbis casibus, illo ipso cōsolatore subleuatus sum, cui me afferre solatium magis oportebat. Atque is vnum diem apud me cū fuisset, ita à me discessit, vt præter pristinam meam de illo opinionem, nouam etiam admirationem suæ spectatissimæ virtutis in animo meo relinqueret. Sed quo mea tamen in eius aduentu letitia foret vberior, tuæ suauissimæ & mihi iucundissimæ litteræ fecerunt: quas cū auidè legerem sic familiariter scriptas, ita mihi Deum propitium esse opto, vt omnes meos sensus intimos incredibilis quædam voluptas pertentabat. Videbar enim mihi tecum tunc esse, & in tuo illo familiari vultu requiescere: cuius si mihi præsentis facultatem fortuna tribuerit, crede mihi eos exigam fructus, qui nescio quo pacto olim à me prætermisi sunt, cū tua ista dulcis amabilisq; natura nō dum se mihi totam patefecisset. Illud nollem, quod in Epistola tua mihi nimis magnū imponis onus iudicij et testimonij tui. Et si verum audire vis, is mihi visus est

in tua simplici, & aperta scribendi comitate, quasi quidem nauus interuenire: quod à nostris familiaribus epistolis abesse debet. Nam si de eo, in quo me laudas, respondendū à me tibi sit, nihil ego video esse in me, quod non idem in te multò sit præstātius. Alia præterea multa tibi egregia adsunt, quæ ego commemoraturus impresentia non sum nec commissurus, ut à quo te genere scribendi abstinere cupio, in id ipse genus incidā. Quare agamus inter nos, ut capimus, cum liberè, tum amāter: ad quod (ut mihi intelligere videor) uterq; nostrū natura propensus est, quanquā aguntur à te omnia venustius. Ego meū in Italiam reditū, nisi Pōtifex isthuc, aut ad concilium venerit, vsq; in mēsem Septembrem differre cogito. Deq; ea re dedi ad summum Pontificē literas. Hic non desino & legere, & scribere: quid esseturus operis sim, nescio: meditor certè præclara. Sed non ut volumus (inquiunt) verum ut quimus. Quicquid egero, utar tuo quoq; iudicio. Tu ut valeas mi Mōti suauissime atq; amplissime, totumq; me tibi addictū esse persuasum tibi habeas, amoremq; istum tuum erga me mihi perpetuum cōserues, te etiam atq; etiam rogo. X. Cal. April. M. D. XXXIX. Carpent.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Nicolao Rodulpho Cardinali, S.P. D.

Noli putare, me, quod ad te adhuc nil scripserim, tui immemorem factum esse: nō sic virtus tua nec mea natura postulat. Nostra autem inter nos vetus necessitudo cum summa mea erga te obseruantia coniuncta, etiam illud exigit, ut colam te cum præsens, tū ab-

sens, præcipuo quodam officio & insigni beneuolentia: quod facturus semper sum, abs teq; vicissim peto, vt quem mihi amorem tuum multis in rebus præstitisti, eundem pro tua præstanti humanitate conserues: meq; absentem omnibus rebus, quibus fuerit opus, defendas & tueare. Ego si quid vsu venerit, quo tuum patrocini-um mihi sit expetendum, confugiam ad te, nisi tibi id molestum futurum sit: nõ propter naturam quidẽ, sed propter occupationes tuas. Nam illa semper in te plenissima humanitatis fuit. Occupationes verò efficiunt interdum, vt non sit nouis curis & cogitationibus locus. Sed tamen in tuis assiduis studijs, procurationeq; Reip. nonnihil mihi loci vacare in tuo animo vehementissimè cupio: quo sit mihi receptus vbi ad tuam fidem confugiendum erit: quod potest in dies singulos contingere. Nõ sum oblitus, nec verò vnquam obliuiscar, quibus me officijs & beneuolentia significationibus prosecutus fueris, cum proximè Romam veni: quo quidem tempore non prius penè pedem in Vrbe, quam in tuis beneficijs posui. Cura enim potissimum ac diligentia tua domum egregiè instructam atq; ornatam ipso meo in ingressu statim sum nactus. Quæ tua bonitas ac liberalitas altius mihi tum hæsit, quam vt facile sit verbis explicare. Non enim ego is sum qui meum commodum magis, quam ipsius commodi autorem amem. Fontem enim beneficiorum magis specto, quam ipsa beneficia: qui quidem fons amor est. Eundem igitur in me animi tuium si conseruaueris, Rodulphe humanissime, gratissimo omnium & optatissimo beneficio me affeceris. Sed
ne nul-

ne multis, totum me tibi & tuæ fidei beneuolentiæq; de
do, atq; cōmendo. Vale Idib. Ianuar. 1539. Carpent.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. NICO
lao Rodolpho Cardinali, S. P. D.

Non obliuione mutua beneuolentiæ nostræ, rarius
ad te do literas, quàm forsitan vsus veteris nostræ
cōiunctionis postulet: sed pudore quodam id sit potius:
quòd vereor, ne tuis grauioribus curis intempestiuus
obstrepam. Nam mihi quidem otium est (vt tute scis)
absenti à negotij publicis: si tamen in tantis calamita-
tibus Reip. otium cuiquam aliquod esse potest. Sed ta-
men ex alterius volūtate nō dependent actiones meæ,
quas ipse mihi ad meū arbitrium comparo. Itaq; mihi
ad scribendam tempus suppeditat, et soleo ego amicos
libenter salutare literis. Sed ea (vt dixi) ratione deter-
reor, quod metuo, ne occupationibus illorum molestus
interueniā: tuisq; præsertim, qui publicis negotijs pri-
uata etiā tuā & domestica addidisti. Nō enim tu, ubi à
senatu dimissus es, refers te continuò in otium, aut ullam
partem temporis desidia & cessationi das: sed Reipub.
curas, illa domi præclara artium optimarum studia ex-
cipiunt, in quibus ætatem tuam recte collocandam pu-
tasti. Est autem hoc tempore non modò prudens hoc cō-
siliū, verū etiam vnicū propemodum et solum sa-
lutare: parare sibi quæq; domi ad bene beateq; viuen-
dum copias. Cū enim videamus quantò labantur in de-
terius quotidie rationes publica, cur non domesticis bo-
nis nos ipsos muniamus? quorū bonorum (vt tu optime
nostri caput omnium est, cū ceterarum quidem libe-

valium artium, tuū Christiana imprimis Theologia sci-
entia. Quāquam vos quoq; arbitror, sub sapientissimo
Pontifice aliquid isthic opis atq; auxiliij cadenti Reip.
esse reperturos. Equidem qui latis rebus, & ex senten-
tia fluentib. à strepitu isto Urbis & curia ab honorib.
& pompis aequo animo absum: idē si quid durius incre-
puerit (quod quidem Deus omen in barbaros hostes cō-
uertat) prōptissimē accurrā: nec tam vt præsens con-
silio vos iuuē, (istud enim in me exiguū sanē, et parui
admodum momenti est) quā vt pietati mea erga Rēp
satisfaciā. Sed vt ad id quod primo proposueram reuer-
tar, cupio maiore in modū, doctissime humanissimeq;
Rodulphe, vt me, siue loquētem tecum per literas, siue
etiam tacentē, manere tamen semper in eodem amore
& obseruantia erga te, tibi planē persuasum habeas.
Vale. Carpent. VII. Calend. Decemb. M. D. XLI.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Ioanni Saluiato. Cardin. S. P. D.

NE me fortē putes tui oblitum esse, & quoniam de
gloria librum, quē tuo nomine scribēdum suscep-
eram, non sum persequutus, in alias me curas & cogita-
tiones remotas à nostrā amicitia memoria aduersum es-
se: accipe argumentum multò grauius, (vt ego arbi-
tror) & vtriusque nostrum persona accommodatus:
q; ego de Extructione catholica ecclesie exorsus sum,
tuoq; id nomini dicaui, vt quoquo modo possem, tuis er-
ga me meritis gratiam aliquam referrem. Huius ego
operis duos iam libros confeci: sed cum prior liber ali-
quanto videretur esse limatior, non duxi procrastinan-
dum.

dum, quin mittere eum ad te, vt perspicere primò quo
 que tempore posses Saluate amplissime, quam in inti-
 mis meis sensibus fortiter inhareres. Videbantur duo
 adhuc restare libri, quos vt absoluam atq; perficiã, ma-
 xima quidem mihi cura est. Sed omnino magnitudine
 rerum impediabatur vis ingenij nostra: etsi animo qui-
 dem sumus alacres, sed copijs haud ita firmi. Est autem
 quòd Deo habeatur à nobis gratia, quod hoc otium, &
 oblatum fuit nobis quasi fortuitò, ita fuit expetè dum,
 vt nobis diuina quaedam sorte donatù fuisse videatur:
 quo in hisce curis, & splendifsimis (vt ego iudico) a-
 nimi mentisq; agitationibus, traducere tempus posse-
 mus. Quamquam non desunt in hac quoq; licet exigua
 mea ecclesiastica diocesis procuratione, occasiones ho-
 nestissima, quæ virtutem prudentiamq; requirât: quã
 vtinam nos prestare sic possemus, vt ea & saepe à no-
 bis, & vehementer exquiratur. Sed tamen cum illam a-
 nimi iucunditatem, quæ ex rectè factis suauissima per-
 cipitur, præcipuè nobis propositam habeamus, Deo bo-
 nis (vt scribitur) mentibus occurrente: nihil est quod
 non illius ope et auxilio freti, in nostro munere obeun-
 do, & suscipere posse, & agere confidamus. Quod ad
 studia bonarum artium pertinet, quando quidem nec
 mihi in otio consenscendi consilium est, & nihil nunc
 præstantius propositum est quod agamus, potes existi-
 mare, Saluate, me & diurnis & nocturnis lucubrati-
 onibus ac vigilijs, assiduam operam daturum esse, quo la-
 boranti Christiana Reip. si non subsidium per me re-
 pugnantibus temporibus, ac subueniendi tamen cupidi-
 tas, &

tas, & boni sacerdotis officium praesto esse videatur. In quo duplicem assequar fructum. Nam & religioni praestabo pietatem quam debes, & multorum à me insignium praestantiumq³ virorum, quorum mihi & virtus et dignitas est cordi, nomen ac memoria literis mandabitur. Verum haec posterius. Illud te rogo, vt cum liber satis apud te fuisse videbitur, Romam postea illum ad Cōtarenum nostrum remittas: ad quem ego hac de re scribo, vt ibi quoq³ tanti viri grauitate & scientia, & eorum quos ille adhibuerit iudicio, diutius perpendi & omni ex parte excuti diligenter possit. Quando quidem qua de religione scripta sunt, non erratis solum, sed etiam omni vel minima errorum suspitione carere debet. In quo nos libenter doctorum hominum iudicia reprehensionesq³ subire semper parati sumus. Tu valebis optime Saluiate, & nos quod facis diliges. Carpentora cti, V. Idus Decembris, M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Alexandro Cæsarino Card. S. P. D.

Non sum ausus dare ad te antehac quicquam literarū, quòd cum res non esset vlla digna qua scriberetur, inanem sermonem literarum tibi iniucundū fore putavi. Etsi me quidem ad scribendum sepius stimulat cum mea insignis erga te obseruantia, simul et beneuolentia: tum illud iudicium quod ego de tuis eximij virtutib. praeclarum iam pridē feci: posteaquam cognoscere coepi in senatu tuis audiendis notādisq³ sententijs, qua tua esset in Christiana Rep. mens, quā rectus sensus: vt prudens, & apta consilijs explicandis, ex tuo

ore manaret oratio. Verū, vt dixi, veritus occupationē
 et grauitatem tuam, nihil adhuc ad te scripsi. Nunc cū
 & magna res mea agatur, (siquidem nihil mihi ab his
 populis qui in fide mea sunt, esse disiunctum potest) &
 in tua non solum autoritate & gratia, quam ego per-
 magnifico, uerū humanitate et bonitate, ma-
 gnā mihi spem habeam propositam, ea consequendū,
 quae huic prouinciae salutaria esse possint: constitui scri-
 bere ad te, et tibi vel imprimis causam populorum meo-
 rum commendare: omni te animi studio deprecans, vt
 quāquā mea erga te merita nulla admodum sint, quae
 cuperem equidem permulta esse, quo meum erga te stu-
 dium atq; animum cognoscere potuisses: tu tamen nobi-
 litate & liberalitate natura tua adductus, suscipias
 horum patrocinium populorum: atq; in eis rebus obti-
 nendis, quas ipsi iustas honestasq; petierint, fautorem
 illis & patronum apud summum Pontificem praebeas.
 In quo nō mihi solum rem gratissimam feceris: hancq;
 tibi gentem in perpetuum obligaris: sed consules etiam
 officio & dignitati tuae. Nam & nobilitatis est, pluri-
 mos homines beneficijs comprehendere: & horum po-
 pulorum in istā sanctam apostolicam sedē ea est fides,
 tam insignis constansq; obedientia, vt non videā qui il-
 lis in hoc genere virtutis & fidelitatis pares habendi
 sint. Itaq; quicquid illis datur, id sedi apostolicae & ec-
 clesiasticae auctoritati datur. Quapropter eos tua etiā
 atq; etiam fidei, benignitati sapientiaq; commendo.
 Quid postulent, & quas querimonias deferant, ipsi te
 per legatum & suarum rerum actorem edocebūt. Nec
 tame

tamen grauiore malo premuntur, quàm Iudeorū, qui, incredibile est, quantis & q̄ varijs hanc totam prouinciam damnis iniurijsq̄, afficiant. Quos ita ferre, vel ita fouere potius, non solū his plebibus perniciosum est: sed nomini etiā nostro apud transalpinas nationes turpe. Verūm tu hæc melius pro tua summa prudentia cōsiderabis. Ego pro officio meo, & quòd hos populos verè paterna charitate complector, tantū capio de commodis et rebus eorum omnibus curam, vt maiorem certè de meis capere nō possim. Quo etiā maius tuum erga me hoc beneficium futurum est, quàm si pro meo ipso aliquid laborasses: cum horum hominū susceperis defensionē, quorū mihi salus et tranquillitas in intimo corde penitus infixæ est. De hac eadem re dedi ad sacrum collegium nostrum literas: quas tecum iussi ante a communicari, vt cū iudicasses reddēdas, tū redderentur. Vale amplissime Cæsarine, et mei absentis tibiq̄, deditissimi, res (vt præcipuè decet nobilitatem) tibi habe commendas. Iterum & sæpius Vale. Carpentoracti. Pridie Non. Octob. M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Alexandro Cæsarino Card. S. P. D.

Qva virtute, qua autoritate & constantia, causam horum populorum in Vrbe tutatus esses, fuerat mihi quidem à meis scriptū, in primisq̄, à Carolo Gualteruccio, qui & mihi amicissimus est, & tua amplitudinis (vt multis ex rebus cognoui) studiosissimus. Sed nouissimè legatus prouincie huc reuersus, aperius & omnia & certius explanauit: idemq̄, demonstrauit Cuius

bus suis, quod vetera iura & beneficia Romanorū Pō-
 tificum, quæ huic nationi, pro singulari eius erga istam
 sanctam sedem fide, & obedientia sæpius concessa, tri-
 butaq; sunt, noua Pontificis approbatione firmata fue-
 rint: tua id potissimum autoritate & gratia fuisse effe-
 ctum. Quam legati orationē commemorationēq; ma-
 ximi abs te accepti beneficij, summa ab his populis laus
 & summa beneuolentia consecuta est. Itaq; nomē hic
 tuum in magna nunc gratia & gloria est. Nos autem
 cogitabamus, vt primum esset mensis facta, conuocare
 totius prouinciæ consiliū, facereq; omnes, earum re-
 rum, quæ in Vrbe essent gesta, participes. Quod cum
 fiet, si bene ego horum hominū animos perspectos ha-
 beo, non commissuros puto, vt in ingratos tantū tuum
 donum collatum esse videatur. Nec tamen vltra progre-
 dientur, quàm vt de fructibus prouinciæ aliquid in istā
 Urbem mittant, quod patronis & defensoribus suis opti-
 mum suum animum possint declarare. Sed hæc quæ a-
 liena potestatis sunt, parcius à me sunt predicanda.
 Quod autem propriè ad me ipsum pertinet, cum intel-
 ligam, te in hoc patrocínio populis meis præstando, ma-
 gnā honoris mei habuisse rationem: & ad tuam præ-
 stantem beneficamq; naturam aliquid momenti et por-
 deris addidisse eam beneuolentiā qua me prosequeris:
 vellem equidem, sed non inuenio apta verba, quib. tibi
 agam meritis gratias. Sed tamen quas oratione expo-
 nere non possum, vt tibi aliquando rebus ipsis referam,
 omni amore, fide, studio, diligentiaq; curabo. Quapro-
 pter hoc officium in tempus aliud magis cōmodum rei
 cia-

ciamus. Ego, quod semper maximo opere optavi, postquam sum tua bonitate consecutus, ut in fidem tuam ac clientelamq; recipere: te rogo atq; oro Casarine prestantissime, ut eodem erga me animo esse perseueres. Principia mei absentis tuendi, atq; fouendi, à tua nunc libera voluntate profecta sunt: fuerunt enim tota humanitatis & liberalitatis tuae. Nunc legem tibi ipse benignitatis constantieq; tulisti: qua quidem lege summi viri, & nobiles, et magnitudine animi praeclentes, libenter astringi solent. Quorum tu similis & par, etiam hoc genere virtutis atq; officij nemini futurus es secundus: ut qui se tibi semel addixerunt, eos tu semper tua gratia autoritateq; protegas. Ego quae mea erunt partes, operam assidue dabo, ut neq; de tua erga me beneuolentia, neq; de mea in te obseruantia rubore vnquam villo afficiare. Vale. Carpentoraeti, Prid. Non. Iulij. 1540.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. IACO
bo Symonetæ Cardinali, S. P. D.

Accepi literas tuas, datas XVIII. Calen. Septemb. cum tu Vincentia id temporis esses: quibus summa cum mea voluptate, non semel, neq; bis, sed saepius lectis, in mentem mihi venit cogitare, quid tu tibi tandem appetens, cum multarum iam scientiarum gloria laudeq; floureres, nostras etiã artes nobis ereptū veneris: in quibus nos, qui atatem in illis consumpsimus, cedamus iam necesse est tuorum scriptorum vbertati & elegantiae. Ita enim scripta litera tua grauitate, ita ornatè, ita copiose sunt: ut non quae in iuriconsulto, sed quae in summo requiritur oratore copia facultasq; dicendi, ea in te
omnia

omnis insit. Sed profectò verum est quod dicitur, qui e-
 gregio ingenio sit præditus, cū ad omnes artes, omnia
 disciplinarum genera, facilem aditum introitumq; ha-
 bere. Quod tibi doctissime Symoneta contigit: qui cū
 inter iureconsultos nostræ ætatis habere omnium iu-
 dicio consultißimus: non contentus vna laude, vt cete-
 ris quoq; in literis ingenuis & liberalibus emineres,
 studio tibi omni esse elaborandum putasti. Verū mitta-
 mus hac quæ satis sibi ipsa perhibent testimonium, meo
 vt testimonio nihil indigeāt. Ad illam: tuam eximiam
 præstantemq; humanitatem conuertor. Tantum ne,
 quaeso, amori tuo erga me indulgere potuisti, vt eis me
 laudibus afficeret, quæ longè iustius conueniunt in te,
 quàm in ipsum me? Etsi ego quidem illa legens, quæ
 tu mihi in tuis literis tribuis, gaudio quodam afficiebar
 penè singulari. Nō ea quidem in me cognoscens, sed de
 tua in me tam insigni beneuolentia mihi ipse gratulās.
 Quanquam eo quidem me esse animo non inficior erga
 Reip. quo tu prædicas. Sed multa nimirū me deficiūt,
 vt illi possim & vtilitati esse, & ornamento, quæ ego
 æte petam, cū vsus fuerit: teq; ducē mihi et autorem
 rectorum consiliorum tam in ipso senatu, quàm in cate-
 ris rebus propositum habebo. De oratione mea sic vo-
 lo te existimare monita mihi omnia valde tua placuisse
 sed accidit casus sanè mihi molestus: vt in ipso motu re-
 rum, cū Roma migrandum nobis esset, iterq; Nicæā
 versus ingrediendum, schedula illa deperierit, in qua
 annotationes tuæ perscriptæ erant, cū saluas tamen
 literas tuas mecū extulisset. Quare postea orationem

meam relegēs, quantum consequi memoria potui, cor
 rexi ea omnia quae tu minus probaras. Si quid fortè à
 me tum obliuione pratermissum est, si quando edenda
 erit oratio, iterum ad te meam lucubratiunculam mit
 tã, vt de integro abs te corrigatur. Eius ego orationis
 vnum tantum exemplum adhuc in Germaniã misi, ad
 Georgium Ducem Saxoniae: sapientem & pium Prin
 cipē: nullo meo inscripto nomine, magno opere rogās,
 vt ea contineatur domi, quoad is de suo ad me omni iu
 cio praescripserit. Alterum cogitabam Patauium mit
 tere ad meos familiares doctissimos homines: sine titu
 lo tamen, & sine inscriptione: vt (qui meus est mos) a
 micorum iudicijs mea scripta submitterem. Sed de his
 quoq; satis. Te Romam incolumem peruenisse, non
 dum quidem mihi erat auditum: sed tamen cōfidebam,
 te iam venisse: itineris tui rationem dierum mecū ipse
 supputans, quomodo ea à te in literis tuis scripta est.
 Sum tamē in aliqua animi solitudine, et cura: quoad
 certò cognouero, vbi sis, & num reſtè valeas: quod mi
 bi profectò maximè (vt debet) cura est. Ego in his lo
 cis hyemem hanc commorabor, cum sponte mea, tum
 tuo etiam amantissimo consilio adductus. Sed cum Fat
 nefius summi Pontificis verbis atq; iussu, me per literas
 euocarit, ad quas ego me excusans respondi: te vehemē
 ter rogo, vt causam meam apud Pontificē agas, meāq;
 hic mansionem tranquillā & liberam, ad diem vsq; cō
 cilij, tua mihi autoritate praestes & tueare. Va
 le. Carpenteracti, VI. Calend. Nouembr. M. D.
 XXXVIII.

IAC.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARD. IACOBO Simonetæ Card. S. P. D.

*I*ucundissima mihi litera tua. Iucundissima solum? imò etiam salutare. Quòd enim te saluū mihi et sospitem nuntiarūt, per eas mihi quoque incolumitas est restituta: de qua re, & tibi gratulor, & mihi gaudeo: Deumq; supplex oro, vt te in optimo statu diuissimè valere iubeat. In ijs quòd tuam mihi opem & beneuolentiam paratam semper ostendis, iamdiu est cum ego ita iudico, neminem me habere neque amicum nec patronum, ad quem fidentius omni meo in negotio, quàm ad te ipsum confugere possim. Quanquam facis tu quidem secus, quàm ceteri omnes. Alij enim prius pollicentur, quàm quicquam præstant: tua beneficia liberalisq; natura bene mereri antè incipit, deinde etiā verbis benignitatis officia prosequitur. Sed hæc & mihi aliàs dicta sunt, & suis dicentur locis. Curā quam adhibes in conualescendo, laudo atq; proboteq; vehementer hortor, vt nullum tibi studium sit salute tua potius: quæ ipsa quoque nobis tui amantissimis cōmunis tecum est: & in ea tamen est fons studiorum officiorumq; omnium. Signandorum libellorum ius, dandorumq; iudiciorum, quòd vltro tibi à Pontifice Maximo delatum sit, non ego miror in hoc factum optimi Pontificis: cui ita facere, si suæ sapientia constare voluit, fuit necesse. Quis enim te peritior in eo munere suslinendo? quis iustior? quis iurisperitior? Nec tuo commodo gaudeo, res enim plena est sollicitudinis & laboris: sed cōmuni hominum vtilitati & commoditati gratulor. Ad eum

enim hominem ea collata est potestas, qui & sciat, & velit ius vnicuiq₃ suū tribuere. Quare tu quidem eadē & integritate, & prudentia hoc munus tractabis qua cetera solitus es. Sed mihi accidit peropportunē, vt q̄ facturus fueram omnino, nunc propensius faciā: quando & pro amicitia, & pro aequitatis patrocinio, quod tibi cū semper antea, tum nunc maximē susceptū est, (siquidem factus es magister aequitatis, qui eras antea fautor) confido fore, vt me hi abs te populi facilius & melius, quacunq₃ aqua postularint, cōsequantur. Quos notum tibi esse arbitror, quanta beneuolentia, & quo amoris studio, iam inde ab initio, cū Dei volūate mea fidei & cura cōcrediti fuerunt, amplexus sim: verē vt parentū liberos charitati mea in illos beneuolentia nō cedat. Hi ergo nonnullis incommodis publicē oppressi, maximeq₃ iniquitate et perfidia vexati Iudaeorū: quos nimium multis istinc honorib. priuilegijsq₃ insolentes, eorum calida crudelisq₃ auaritia huic hominū generi perniciosos reddit: mittunt legatum ad urbem, à summoq₃ Pontifice, & à sede apostolica remedia suis sanādis vulnerib. querunt. Quos ego tibi quibus verbis cōmendē, nescio: cū illud te scire velim, multò plus, in eos si beneficia tua contuleris & si eorum causas vt cognoscas & defendas fueris adductus, quā si in me ipsum eadem contulisses, me tibi deuinctum, obligatumq₃ futurum: quanquam fortasse nō est noua iam in me obligationi locus. Sed tamen sic habeto. Ex omnibus tuis in me meritis, quae plurima sunt, hoc me vel imprimis magnū existimaturum. De rebus suis ipsi te edocent, neq₃

neg
Eos
fac
lege
mo
qua
tus t
in vi
ad v
mole
pent
IAC
Fr
P
tu
hyber
menti
hosce
si in
merat
est hom
eorum
& com
claran
andem
propen
cuius ti
excellen
tu Reg

neq; ita manēte, tua imprimis ope auxilioq; nitentur. Eos ego tua iustitia fideiq; commendo. Dedi etiam ad sacrum collegium nostrum super hac re literas: quas tu leges & perpendes, & tuo omnia arbitrio sapientiaq; moderabere. Polus amplissimus vir, certe incredibili quadam virtute animi & sanctitate vite praestans, totus tibi deditus est, plurimamq; tibi reddit salutem. Is in viam se daturus est hodie, aut cras, ut proficiscatur ad vos: cuius ego abeuntis desiderium non sine magna molestia perferam. Vale, & me, quod facis, dilige. Carpentoraēti, V. Calend. Octob. M. D. XXXIX.

IAC. SADOLETUS S. R. E. CARD.
Francisco Turnonio Cardinali, S. P. D.

Primum tibi ago maximas (viti debeo) gratias, quod tua opera & autoritate est factum, ut nos hic qui hybernis militum grauisimè pressi eramus, Regis clementia et benignitate leuare nur. Quod tuum in meos hosce populos beneficiū hoc mihi accidit gratius, quā si in me ipsum propriè collatum fuisset, quod plus apud me ratio officij valet, quā commodi. Certè enim nihil est homini optandum, quod ego malim meū esse, quā eorum qui mea fidei & custodia ab ipso Deo crediti & commendati sunt. Sed grati animi nostri erga te declarandi alius dabitur locus. Nunc instat occasio ut eandem tuam humanitatem requiram, quam erga me propensam saepe iam expertus sum. Albertus Pighius, cuius tibi quoque nomē propter virtutis & doctrinae excellentiam, auditum esse arbitror, istuc venit, aditu tu Regem aliquot de causis. Hunc ego tua fidei huma-

nitatiq³ diligentissimè commendo. Amo enim hominè,
 idq³ maiorem in modum. Nec solum amo, verum etiã
 admiror. Facile enim intelligo, idq³ audacter non dubi
 to confirmare, eorum qui ex ceteris nationibus doctri
 nae & literarum nomine ad cognitionem meam perue
 nerint, neminem neq³ doctiorem, neque varijs scien
 tijs instructiorem atque ornatiorè, quàm hunc, mihi
 notum fuisse. Accedit, quòd Theologia scientiam, qua
 mirabiliter est präditus, ad eos vsus conuertit, qui ma
 ximè sancti & salutare populo Christiano sint. Sem
 per enim fidem catholicam, et ecclesiam Romanã no
 stram acri & inuicta propugnatione, plurib. egregijs
 voluminibus editis est tutatus: vt hoc quidem nomine
 noster illi ordo plurimum debeat. Quocirca cum ita se
 habeat res, tuaq³ in huiusmodi homines propensa sem
 per & benefica extiterit voluntas: oro te amplissime
 Turnoni, et omnibus precibus rogo, vt hominem in fi
 dem & patrociniũ tuum receptum, tua apud Regem
 gratia, quæ maxima est, foueas & tueare: atq³ ad eam
 benignitatem, quam tua sponte illi esses præstiturus,
 aliquid quoq³ præterea mea causa addas, quo mihi fa
 cere nihil gratius potes. Illud tibi cõfirmo. si hominem
 hunc humanitate tua et liberalitate fueris complexus:
 maximam gratiam ab omnibus ijs, qui vbiq³ terrarũ
 optimis artibus dediti sunt, initurum te esse. Vale. Car
 pentoracti, Idib. Nouembr. M. D. XLI.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

N Ambrosio Catharino Polito, S.P.D.
 On potui perferre diutius desiderium tui, quin scri
 scripsit

sciscitarer ex te per literas, quid ageres rerum, quomodo ualeres: quod tamen equius fuerat me cognoscere ex tuis literis: tuaque in illis erga me beneuolentia habere testimonium: nec tamen puto me totum tibi ex animo affluxisse. Et si enim habes patronum eiusmodi, pro cuius ingenio, virtute, elegantia, nos tibi forte sordere uideamur: tamen ut ille praestantia & grauitate dignitatis sua superbū te aduersum nos reddere potuit: sic humanitate idem et comitate, qua singulari est praeditus, docere te debuit, non esse absentium amicorum memoriam deponendam. Sed iam serio, mi Catharine: cupio uehementer audire quid agas. In studijs te esse arbitror: quod enim iam aliud tibi est negotiū? Veruntamen si mihi aliquando indicasses, qua tibi opera nunc sint in manibus, valde mihi rem gratam mediū si dius fecisses. Ego hīc quanquā familiaribus curis grauius implicatus, quod multa necesse habeo extricare, qua antea contraxi: tamen scribendi & elucubrandi curam non desero: volumēque contexo, quod si Deo bene iuuante ex sententia processerit, nonnihil certē arbitror esse actum. Habeo autē propositum argumentum, ut tu scias, de ordinib. & constructione catholicae ecclesiae: reliqua iam tu nosti. Magna res est, meisque uiribus longe superior: sed tamē quoniam semel suscepta est, non est per ignauiam abijcienda. In tanta re utar opere & concilio tuo cum opus fuerit. Nunc uolui te fieri participem consilij mei, ut uideres et animaduertes, me ne in otio quidem otiosum esse posse. Otium porro est ubi Roma non est. Sed haec haecenus. Tu ut me dili-

gas, quemadmodum quidem soles, valetudinemq³ tuā diligenter tueare, à te etiam atq³ etiam peto. Vale. Carpent. V. 1 dib. Decembris, M. D. XXXVIII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. AMBROSIO Catharino Polito, S. P. D.

Maxima mea cum voluptate eum accepi librū, quē ad me de peccato originis misisti: in quo vt inscriptiones tituliq³ indicant, sunt & alia præclara multa. Sed huius loci planè cognoscendi summa quidem cupiditate sum affectus. Itaque quanquam solennibus occupatisq³ diebus (hodie enim dominicæ mortis memoria recolitur) tamen cum hæc pauca scriberē ad te ante lucem, iam bonam partem disputationis tuæ, nō tam legeram quidem, quāam eram belluatus. Tātam titulus ipse in me legendi cupiditatem excitarat: cū tuam præsertim lucubrationem scriptoris autoritas & doctrina mihi magnopere commendaret: & sanè omnia mirabiliter placebant. Sed ego ad aliam accuratiorē & attentiorē lectionem me referuo. Quod tamen hætenus perlectum mihi est, & subtiliter & perdoctè mihi videtur scriptum. Tu quod facis, vt perpetuò facere possis, Deum immortalem quaeso, vt te diu nobis incolumem conseruet: multa enim profectò tuo isto singulari ingenio, quæ in obscuritate diu iacuerunt, poterūt illustrari. Vale. et nos dilige Carp. XXV. Apr. 1541.

IAC. SAOLETVS S. R. E. CARD.

Ambrosio Catharino Polito. S. P. D.

Accepi literas tuas plenissimas amoris: quibus à me petis, vt de tuo libro, quem de originali peccato

edidisti, & quem penè totum maxima mea cum volu-
 luptate, impeditissimis dieb. illis, me quasi deuorasse ad
 te scripseram, proferam tandem quid sentiam & sen-
 sum in eũ tibi explicẽ. Addisq; humanissimè, si quid in
 s. quo minus mihi placeat, te mihi aut ratione, aut e-
 mendatione satisfacturum. In quo agnosco equidem æ-
 quitatem et facilitatem tuã. Sed non est de hoc contro-
 uersia, quid mihi in tuis scriptis placeat, aut secus: cum
 omnia mihi tua perplaceãt, siue ingenium in illis, siue
 in dicendo lepos et copia, siue ipsa rerum, quas tractas,
 enodatio subtilitasq; pendatur. Illud est, quod tibi à n e
 indicandum esse puto, cum perlegissem librum tuũ, vi-
 sum quidem mihi esse, tuam opinionem, et sententiã: e-
 felli, reijciq; nõ posse: tãta est vis in argumentis, tantus
 & tam inter se aptus rationum contextus, tantum acu-
 minis & probabilitatis in dicendo. Sed vt solent qui
 vinciti sunt, habere quidem constrictum corpus, & ad
 eius nutum necessariò paratum qui eos constrinxerit:
 quosdam tamen motus inchoatos & imperfectos eius-
 dem corporis sibi retinere, quibus frustra & inaniter
 nitantur: sic mihi, cum mea mens & cogitatio tuis ar-
 gumentis capta & colligata esset, restabat tamẽ adhuc
 in animo nescio quid dubitationis & scrupuli. Itaq; cũ
 tuum librum bis iam legissem, ad tertiã eiusdem lectio-
 nem me parabam: quò tibi postea liquidius totum ani-
 mi mei sensum cogitatumq; exponerem. Sed scito. lac-
 mutatione rerum, qua incidit in his locis, Legato supe-
 riore vita functo, nouoq; suffecto, tantum mihi laboris
 & negotij contractum esse, vt non modò legendi, ac t

scribendi, sed ne consistendi quidem vllō certo in loco fuerit potestas. Cogor enim homo omnium quietissimus, meorum interdum populorum causa, hoc est, eorum qui mea fidei & cura crediti sunt, non mediocres erumnas & sollicitudines capere. Quod si aut mihi dabitur otium, aut tu forte aliquando in has regiones te contuleris, aut scriptis inter nos, aut coram communicabimus ea qua de hoc ipso originali peccato, vel dubitanda nobis, vel comprobanda videbuntur. Nunc tibi hoc significo & nuntio: nec tuo mihi libello doctius aut ingeniosius quicquam, nec eo argumento quod tractas difficilius videri posse: & superesse tamen adhuc quiddam, quod mihi à te cupiam diligentius explicari. Nam speculo illo tuo hereticorum (tertium enim librum de vera iustificatione nondum legi, eisdem, de quibus dixi angoribus animi impeditus) possum tibi confirmare, nihil me vnquam nec eruditius legisse, nec quod cum singulari eximiaq; doctrina, plus etiam prudentia & vera religionis coniunctum habeat. Vale, & nos dilige. XIII. Calend. Iunij, M. D. XLI. Carpentoracii.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. AMBROSIO Catharino Polito, S. P. D.

VT primum otium et tempus scribendi nactus sum, duxi esse rescribendum eis literis, quas ego abs te superioribus diebus mihi iucundissimas, accepi. Atque eo magis duxi, quod cum legissem iterum tuum de perfecta iustificatione librum: atque eodem ferme tempore binæ ad me ab Vrbe essent allatæ scheda, in quibus erant per scripta capita, de quibus in conuentu Ratisponi

nensi inter Theologos nostros & aduersarios conuenisse dicebatur: facile intellexi tuam sententiam ab illiusmodi concordia discrepare. Quain re mea semper opinio tue rationi, qua in scriptis tuis sese ostendit, suffragata est. Nunquam enim mihi persuaderi potuit, fidem solam per se sine operibus bonis ad adipiscendum regnum Dei idoneam censi debere. Tu videlicet & doctius et explicatius ista disceptas. Sed mihi tecum eadem rei summa est, ut iudicem, ad veram iustificationem fidem cum operibus coniunctam esse oportere. Et scripseram quidem ipse quoque ad Urbem quod mihi sentiendum in hac causa esse videbatur: cuius mea pagella misissem ad te exemplum, nisi omnia in tuo libro multo diligentius enodata declarataque, reperissem: qui liber mihi mirifice probatus est. Misi autem earum exempla pagellarum, quae ad me ex Urbe perlatae sunt: ut videres, et animaduertes, ecquid ea concordia Christiana rei utilis & salutaris haberi deberet. Verum tu hac considerabis diligentius. Ego tuam de prouidentia & praedestinatione lucubrationem summopere expecto: spero enim hausturum me inde nitidissimas aquas, quibus mea diuturna sitis, & illarum rerum aviditas cognoscendi, summa mea cum voluptate aliquando expleatur. Tu, quaeso, da operam, ut illam primo quoque tempore accipiamus: quod facile tibi erit factum, propterea quod inter bibliopolas Lugdunenses et Parisienses frequens est harum rerum commercium. Ego ut scripsi ad te antea, a literis aliquandiu feriatus fui, & nunc aestiuis caloribus impediior, quo minus (quemadmodum vellem) ad earum consuetudini-

rudinem me referam: quod tamen paulò post videor esse facturus. Tu quòd Lugduni commorari annū hunc statueris, mihi valde gratum: spei enim nonnihil habeo fore vt interdum nos (quod commodo tuo facere possis) inuisas. Illud me pupugit in extrema tua epistola, quòd optimum & coniunctissimum collegam meū Nicolzum Gaddum, laborare febricula scripsisti: quo nihil mihi potuit accidere molestius. Incredibile est, quā ti ego illum, quanti summam illius humanitatem, mitis si nos mores, imprimisq; notam mihi et perspectam erga me beneuolentiam faciam. Quapropter si me amas, vise eū quamprimū meo nomine, meūq; verbis amantissimè saluta: et hortare etiā atq; etiā vt omnem curā et diligentiam ad conualescendum adhibeat. Abs te autem peto, quæsoq; vt primo quoq; tempore facias certiozem. Vale. Ex suburbano nostro Carpentoraactensi.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. HERMANNO Archiepisc. Coloniensi, S. P. D.

Cvm legissem commentarios, quos tu de cōcilio episcoporum prouincia tua, more maiorum per te habito actōq; de corrigendis moribus sacerdotum, deq; ecclesia sacramentis eruditissimè scriptos, in lucem edidisti: equidem cōmotus admiratione tui præstantissimi consilij, eiusq; actionis, qua nulla maior hoc tempore, nec Christianæ Reip. vtilior suscipi potuit: auxi maiorem in modū beneuolentiā erga te meam, quā aliquot de causis conceptā antea habebā: teq; et magnum virū & optimum antistitē, omniq; honore ab omnibus dignissimum iudicavi. Nō enim solū tu primus aliquot

iam seculorum spatio eam ad ritè & sanctè gerendum sacerdotiū tuum, viam tibi aperuisti, qua antea ob diu-
 turnam desuetudinem, t̄quam impeditisimis stirpib.
 penitus erat obsepta: sed etiam ceteris exemplum illu-
 stre prabuisti, vt te imitarētur, si qui vellent, & si quo-
 rum in cordibus pietas & religio Christiana locum ali-
 quem haberet. Nec tamen omnibus hoc liberum for-
 tasse, nec par atque eadem cunctorū conditio est. Vidē
 enim ego, cū in Vrbe essem, & cū in senatu nostro
 hac de communi omnium Episcoporum concilio haben-
 do, causa ageretur: multa reuera ostendi impedimēta,
 qua Pontificis Maximi studium retardarent. Sed tamē
 ego & tunc ita sensi, & nunc sentio, aut vna hac ratio-
 ne concilij ritè congregandi, subueniri posse his tot in-
 commodis quotidianisq; detrimentis, quib. vrgetur &
 ad interitum agitur Christiana Respu. aut si hoc reme-
 dium non sit profuturum, nullo alio hominum consilio
 à peste summi exitij Remp. posse prohiberi. Non enim
 si concilium castè legitimeq; habitum non proderit, alia
 erit expectanda medicina qua opē ferat. Sed illud cer-
 tē ab omnibus nobis existimādum, Deum insensum de-
 lictis nostris, reposcentemq; à nobis scelerum et pecca-
 torum pœnas, qua ipse ad summum intelligat esse per-
 ducta, supremū iam decretū de interitu nostro fecisse.
 Quapropter occurrere illius iracundiæ nos oportet,
 & precibus atque operibus qua à vera humilitate in
 nobis, vera religione, vera pœnitentia veterū malefa-
 ctorum, nouaq; insequentis vitæ integritate et iustitia
 proficiantur, anteuertere vindicatis seueritatem, cu

ius lenitatem tolerantis rādiu despeximus. Hoc enim si egerimus, & confugerimus ad ipsius misericordiam, gemitusq; eos ediderimus, quos acer peccati dolor à nobis expresserit: flectetur ipse, & vt bonus est infinite, ac misericors, conuertetur ab ira sua, simulac nos conuersos à peccato senserit. Quo nobis reconciliato atq; placato, cessabunt continuò ista qua nos domi forisq; perturbant, non solum hostilis arma crudelitatis, sed etiam venena domestica perfidia. Verùm hac reconciliatio nullo alio prorsus pacto vniuersa & integra cōmodè fieri potest, nisi generalis concilij quodam quasi feriedo fœdere sanciat. Nam si vniuscuiusq; arbitrio (id quod ferè nūc fit) suæ vitæ correctio permittatur: primum, haud ita multi sunt, qui sua spōte moueantur ad piè religioseq; viuēdum. Deinde, quàm multos esse existimamus, qui iter rectum nesciāt: quā multos, qui in hoc vitiorū regno, qua nostra hac etate plurimum pollent vigētq;, multa sibi arbitrentur licere, qua tamen improba & reprehendenda sint. De quibus etsi possunt à sacris literis, & earum gnaris ac peritis doctoribus admoneri: tamen in hoc penè cōmuni generis humani ad vitia consensu, obstrepit bonis & veris admonitionibus mala consuetudo, magisq; pleriq; mores suos ex prauis eorum qui præsumunt moribus, quā ex eorundem proba oratione effingunt: cum præsertim seuera lex nulla sit, qua homines à delinquendo coerceat. Quanquam non desunt quidē leges seuera, et graues: sed earū fidi custodes profectò desunt, defuerūtq; iam diu: ita vt non prauis solū, & vitia ipsa consultiō sectā

tibus:

tibus: sed etiã ceteris, quos bona disciplina fortasse, si esset adhibita, efficere bonos potuisset, ampla præbita sit occasio, vel illecebra potius, corruptè, inquinatèq; viuendi. Quibus omnib. dānis & detrimentis, diuināq; vnà aduersum nos ira mederetur sine vlla dubitatione concilium, quod & ritè indictum esset, & ex fide bona ageretur, si in id non solū à Rom. Pontifice, & à nobis, verū etiam à reliquis Christianis principibus conueniretur. Quod enim publicæ vtilitatis causa comparatum est, omnium debet assensu et comprobatione firmari, præsertimq; eorum, qui opibus & potentia antecelant, quorum ceteros possit autoritas permouere. Tale igitur si haberetur, celebrareturq; concilium, nō dubiū est, quin aspirante bene cæptis rebus Deo, hominū studijs consentientibus, misera & infelici præsentis nostrī status conditione demonstrata, facilis esset & parata in Christiano nomine malorum morū emēdatio: quod & veteres leges sanctæ & salutare de integro sancirentur, & nouæ promulgarentur: maliq; pœnarum & ignominiarum metu, ceteri exēplis doctrinaq; sacerdotum ad veræ pietatis & religionis erga Deum officia redigerentur: totaq; consentiente in laudem Dei, et in correctionem Christiani populi catholica ecclesia, ex multis personis, vt est ab apostolo Paulo dictum, multiples preces & gratiæ referrentur ad summū Deum. Quod si hoc modo coire fortasse consilium non possit (video enim tempora, video difficultates) multum sit omnino de spe nostra detractum. Sed tamen si qua reliqua ratio iniri queat, non tam confirmanda nostra quis
dem

dem nec stabilienda, quàm ad tēpus aliquod sustentan-
 de salutis: ea mihi in isto potissimum concilio videtur
 esse posita, cuius tu initiū in tua prouincia fecisti, remq;
 omnium pulcherrimam et Deo acceptissimam es auspi-
 catus. Sic enim statuo, post Christi Dei nostri aduen-
 tum ad nos, missionemq; ab eo Apostolorū ad exteras
 gentes, nulla magis re creuisse, amplificatāq; esse Chri-
 stianam & religionem & Remp. quàm his prouincia-
 libus Episcoporum conuentibus, qui per nationes &
 prouincias anniuersarij fiebant. Qui mos iam pridem
 vnā cū plurimis alijs optimis & probatissimis, peni-
 tus extinctus, magis desiderare nos cogit vetusta tem-
 pora, quàm hodiernis confidere. Hunc igitur sanctissi-
 mum omnium & preclarissimum morem, quodd tu in
 lucem & vsus reuocare conatus es, tuęq; virtutis &
 religionis exēplo, tanquā quoddam altē sublato lumine,
 aut ostendisti, aut certē in singulos dies es ostensurus,
 qui sint in Christiano sacerdotio Archiepiscopi aut pri-
 mates illo honore & loco digni, & qui secus: vr̄ è tibi
 dicam Hermanne optime, & sapientissime nulla mihi
 laus videtur cum tuo isto facto posse comparari. Et si
 non his quidem rebus & actionibus laus hominum
 queritur, sed ad Deum sunt directa huiusmodi cōsilia:
 qui vnus nostra merces, nostrum premium est: et cuius
 in sancto nomine qua geruntur, ea sola & recta et glo-
 riosa sunt. Cuius quidem Dei immortalis & omnipotē-
 tis remunerationi atque iudicio quoniam sunt bona ho-
 minum opera reseruata, equum est, vt nos hīc de illis
 parcius commemoremus. Venio nunc ad sacramento-

rum librum, quod tu Enchiridion appellas, cuius sum le-
 ctione incredibiliter delectatus. omnia enim qua pro
 Dei causa, & catholica fidei ac religionis propugna-
 tione, aduersus illius inimicos et obrectatores afferrī
 possunt, sunt à te in eo libro accuratissimè collecta: ta-
 libusq; explicata cum verbis, tum sententijs, vt cū sum-
 ma rerum in illis diuinarum cognitione, sedatus planè
 animus, & in docendo redarguendoq; singularis mode-
 stia coniuncta appareat. Quae scribe di ratio verè Chri-
 stiana est. Non enim tantum in verbis pietas, sed etiam
 in moribus multò magis requiritur: in quibus verior
 quoq; Christi est imitatio: cui cum malediceretur, ipse
 nemini contra maledicebat. Proinde fit hac aliorū pro-
 pria insolentia clamare, maledicere, conuitia iacere, et
 inuehi petulanter: atq; vtinā ne sit quidem: à cunctisq;
 potius & animi equitas, & studium amplectenda ve-
 ritatis adhibeatur. Nos sanè mansuetudinem & Chri-
 stianam charitatem teneamus, quae à te mirificè in tuo
 libro retenta est. Itaq; mihi non solum admirari et lau-
 dare doctrinam tuam, sed etiam morem diligere neces-
 se est. Es enim tu, quod hoc tempore rarum est, non so-
 lum sciētia, sed etiam vita Christianus: quā nobis ima-
 ginem praestantis & virtutis & eruditionis tuae, tua
 scripta representant. Atque haec haecenus. Vnum tan-
 tum in tuo libro est, quod ego desiderarim, quodq; mihi
 percontatione dignum visum sit. Sum enim tacitus me-
 cum nonnihil admiratus, quod tu capite eo libri tui, in
 quo de sacramento poenitentiae verba facis: vbi ad ter-
 tium illius membrum, quod satisfactio est, venit, nul-

lam prorsus in eo mentionem purgatorij facias, cum et
 hoc maximè locus ille requirere videatur, & nos cum
 catholica ecclesia vnà teneamus, illa satisfactionis ope-
 ra non tam ad declinandas temporarias pœnas, quas in
 hac vita à nobis pro peccatis nostris Dei scueritas repo-
 scit, quàm ad leuandas illas & mitigandas, qua in alte-
 ra vita nobis purgãdis proponuntur, vim habere. Nisi
 hoc fortasse tu eodem modo intelligis, in pœnasq; tem-
 porarias etiam eas includis, quæ subeuntur in purgato-
 rio igne. Est enim temporarium, quicquid non est ater-
 num. Veruntamen (vt mihi videtur) oportuit in eo lo-
 co aliquam purgatorij fieri mentionem: ne aduersarijs
 in hac residem catholica ecclesia impugnãtib; quasi
 quodam silentio victoria traderetur: qui iniuste certè
 & sine ratione insimulant Ecclesiam. Nam si remissa
 nobis culpa à misericorde Deo, pœna tamen aliqua re-
 stat, quæ soluenda sit, vt tu quoque piè religiosèq; con-
 firmas: non potest huiusmodi pœna ex his tãtum huius
 vitæ temporalibus incommodis censerì. Primum quia
 hæc incommoda Christianis hominib; non semper mala
 sunt, sed habent plerunq; virtutis in se & patientia
 exercitationem: vt sepe à Paulo repetitum legimus, se-
 piusq; bonis inferuntur à Deo, quàm malis. Siquidem
 oportet Christi sectatores multa in hoc pati seculo, vt
 confirmet erga se promissiones Dei, quæ admodum scri-
 pturæ sacra multis in locis testãtur. Deinde multi, qui
 grauias & improba multa ad miserunt, postquam redie-
 runt ad cor, & ex pœnitentiã in gratiam sunt restituti,
 pœnas tamen hæc in hac vita effugerant: in quo esset
 qua-

quædam quasi iniustitia summi iudicis, si nullas vsquã
 hi soluerent peccatorum pœnas, et nimirum nisi pœnæ
 in purgatorio abeuntibus his ex hac vita, quanquam à
 culpa absolutis, sint propositæ (si tamen pœnæ appel-
 landæ sunt, quæ non puniunt, sed purgât) videatur va-
 cillare Dei seueritas, & iustitia: cuius ratio reddi ido-
 nea nulla potest, quamobrem ex eodem scelere hic in
 hac vita à Deo puniatur, ille impunitus euadat: nisi, q̃
 & impium est ita de Deo cogitare, & in purgatorio
 aqua sit omnium compensatio. Deinde, cuius esset er-
 roris accersere sibi quempiam præsentia corporis in-
 commoda, vt futura in hac eadem vita deuicaret: ieiu-
 nare, algere, sudare, bona sua elargiri: vt paupertatem
 in posterum effugeret, vt arumnam, vt vigiliam, vt fa-
 mem, præsertim quæ forsitan nõ essent euentura, sicut
 non omnibus qui peccarunt eueniunt? Non cohererēt
 ista, si effugiendarum huius tantum vite temporalium
 pœnarum causa pœnas quasdam nobis in satisfactione,
 voluntarias adscisceremus. Sed hæc opera satisfactio-
 nis suscipiuntur omnia, primùm obedientiæ & humi-
 litatis causa: Deo enim & sacerdoti sic præcipiēti ob-
 temperamus: deinde, vt aliquo nostri hic corporis in-
 commodo aut tollamus omnino, si fortè datum sit, aut
 certè minuamus alterius vite purgatorias pœnas: ea-
 rumq; aut magnitudinē, aut longinquitatē contra-
 hamus. Quæ potior mihi ratio ex sententia ecclesiæ
 semper visa est, quare nobis sacerdos confessis peccata
 nostra, opera illa satisfactoria post absolutionem im-
 peret: quæ etsi valent, aptaq; sunt ad nos in bono mo-

re recteque pieque agendi, magis confirmandos, quod et cōfiteor, et tecum vna, cumque, ecclesiasticis ceteris doctōribus sentio: tamen id potissimum in illis spectatum est, ut quoad possumus, post extremum diem, semper abundante erga nos Dei misericordia, aut nulla aut leuia purgatorij ignis cruciamenta perferamus, cum eorum iam nonnullam in hac vita eiusmodi operibus subierimus partem. Hæc habui Antistes optime et præstantissime, quæ tibi à me putarem literis esse declaranda: qui & eximys tuis virtutibus mirabiliter faueo, omnique tibi cultu & beneuolentia sum deditus, & in qua re aliquid à te prætermisissimum putem, ingenuè de eo tecum & liberè loquendum arbitror. Tu si meum erga dignitatem tuam studium amoremque, singularem paritua in me voluntate exceperis: efficiam profecto, occasione oblata, ut neminem tui amantiorem quam me facile reperias. Vale. Carpentoracti, III. Calend. Decembr. M. D. XLI.

IAC. SAOLETVS CARDINALIS

Ioanni Hurtado Mendozæ

S. P. D.

Acobus, & Martinus monachi Hispani, duo (quantū lego ex breui cum illis sermone perspicere potui) religiosi homines, & egregiè prudentes, cū à superiore vsque India in has nostras regiones, ad eūdem cōuentus caussa, qui ipsoꝝ ordini in Italia indictus est, se conferrent: mandatum sibi abs te esse dixerunt, ut hæc haberent iter, mihique salutem tuis verbis dicerent, et de tua erga me insigni beneuolentia narrarent: quam quidē

non solū ex eorū sermonibus testimonioq; cognoui, sed ex tuo erudito & pereleganti carmine, quod ad me misisti, aliquanto etiam luculentius. Vidi enim & perspexi ex ipso poemate tuo, & quā ingenio valeas, quāq; sis liberalibus artibus instructus, & quātum me, quamquam tibi de facie minimè cognitum, diligas. Quorum alterum facit, vt tu & mea, & omnium beneuolentia dignissimus meritò iudicare: de altero ago tibi atq; habeo magnas gratias. Non enim mediocre animi voluptatem capio, cū sentio, me à tali viro, qualis es tu et probari, & diligere. Quid si me non indignum his studijs, quibus vt erque nostrum deditus est, existimas: debes hoc tibi persuasissimum habere, me non concessurum tibi esse, vt in amando sis superior: sed quod & communis humanitas, & mea natura imprimis postulat, omnia me facturum, si oblata fuerit occasio, quam obrem tu de mea erga te voluntate nō minora indicia habere possis, quā ego habeo de tua. Quare, quod ijdem monachi mihi exposuerunt, cupere te quādam tuam lucubrationem à me perlegi, & meum de ea iudiciū tibi indicari: vtinam quidem aptus sim ad id prestandū quod tu requiris. Sed certè quicquid in me est vel ingenij, vel facultatis: etsi est exiguum, tamen ita tibi totum promptum & paratum est, vt eius ad tuum omne arbitrium reuocandi, & quocunq; libuerit tibi, conuertendi, summam habeas potestatem. Hunc ego animum cū nobilitati debeo & prestanti virtuti tuae, tum ipsi praecipue amori, quo iam tibi in perpetuum sum deuinctus. Vale.

Car pentoracti, XVII. Calend. Aprilis, 1541.

IAC. SADOLETI S. R. E.

CARDINALIS, EPISTOLARVM
LIBER XV.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN.

Herculi Gonzagæ S.R.E. Cardin. S. P. D.



Vm esset nūtius ad nos allatus de morte præstantissimi viri, atque omnibus nobis charissimi, Federici fratris tui, equidem eum cepi animo dolorem, quem & meus perpetuus erga vos amor, & ratio ipsa temporum, conditioq; afflicta Italia postulabat: qua alijs compluribus incommodis detrimētisq; affecta, hoc quoque nunc amisit præsidium, quo vi debatur in aduersis rebus nonnihil posse subleuari. Itaque luxi non propriam tantum familiae vestrae, sed communem Italiae calamitatem, à qua si nos hic dolor disiunctus esset, cetera sanè serèda nobis modicè essent. Non enim mihi conueniret, neque tibi, qui spes in Deo nostras collocatas habemus, quiq; optimè nouimus, non esse hanc nobis valde expetendam vitam, qua mortalitate fragilis, & semper infesta est: sed illā alterā potius optandam beatā & immortalē, ad quam nos pietas et Christiana religio deducit, vnius hominū morte tantopere commoueri: de quo præsertim spe bona nixi effemus, aditū illi in cælum, atq; iter diuina clemētia esse patefactū. Non igitur, inquam, id me maxime permouit: q; esset fratris tui, non extincta illa quidem, sed translata in melius cōmutata vita. Cogitabā enim

enim primum, nihil illi ipsi omnino mali accidisse. Deinde videbam, domui vestra paratum in tua virtute, sapientia, amplitudineque, subsidium: populosque, eos, qui vestra ditione imperioque, reguntur, sine villo penè rerum commutataram sensu, in eadem erga vos fide officioque, mansuros. Atque, in omnibus, his rationibus & argumentis appositis ad consolandum, amor tamè ipse tanquam stimulos quosdam doloris admonebat: quot tibi tecum statuo fuisse communes, quamquam tu vnius hominis morte mæres: ego & eadem morte, & tuo insuper dolore non mediocriter moueor. Non enim mea erga te vulgari est benevolentia: sed & magna, et multis de causis, iustissimisque, suscepta. Etenim pati nunc tu quidem me metum de te liberè proferre iudiciū: non enim blandiendi causa loquar, sed verè de te dicam quod sentio. Ego paucos homines mihi vidisse videor: quamquam qui dixi paucos? utinam alter mihi facile veniret in mentem, qui tecum videretur esse comparandus. Sed tamè paucissimos esse iudico, qui tanta in nobilitate, tantam mansuetudinem: in tam amplis domesticis copijs, tam modestum earum vsum: in tam corruptis horum temporum moribus, tantam æquitatem, temperantiam, moderationem animi præsent atque exhibeant: quanta in te mihi cognita iam pridem, atque perspecta est. Sūt alij insignes viri, atque, in Collegio præcipuè nostro, omnium virtutum laudibus excellentes, quibus suus honor, & sua debita laus tribuenda est. Sed tua ista præstans eximiaque, nobilitas, cõsociata pari adiunctaque, virtuti, omnia in facit maiora atque illustriora. Accedit id, quod

maximū est, & quod ego pluris facio quā reliqua om-
 nia, quōd timorē illum Domini, quē initium sapientia
 vocant sacra litera, qui autē eas literas subtiliter et pie
 interpretati sunt, ex illo non inchoari modō, verum eti-
 am perfici sapientiam differuerunt, (non enim eum ex
 eo genere timorem esse, quem eijciat foras atq; expel-
 lat, sed quem augeat magis et cōfirmet ipsa charitas)
 hunc timorem inquam, qui est robur animi nostri, &
 fortitudo, per quem Deum nobis ante oculos ponimus,
 arbitrumq; eum, & iudicem omnium nostrarum actio-
 nū constituimus: in tuo versari animo atq; herere sem-
 per sensi. Quo non maius mihi, neq; certius argumētū
 confirmat a in te ipso virtutis, egregiaq; in Christianā
 Rempub. volūtatis, vllum offerri potest. Sed quorsum
 haec? Non enim sine causa haec suscepta est impresentia
 tuarum à me virtutum commemoratio. Dabit porro
 mihi vel atas mea, vel tua potius humanitas, fiducia &
 libertatem, qua visa fuerint, loquendi. Non enim aut
 nō vera, aut nō cum maxima tui charitate loquar. Ista
 in te peregregia qua dixi, faciunt vt veniam in rerum
 pulcherrimarum spem: abs teq; requirere & postula-
 re audeam: vt omnium oculos hoc tempore in te putes
 esse coniectos. Certē enim impositum tibi est regere
 Mantuae ciuitatem, illosq; vnā populos, qui familia ve-
 stra fidei, cura, vigilantiaq; commisi sunt. Sic enim fra-
 ternae necessitudo, & tutoris nomen tuaq; imprimis di-
 gnitas postulat. In quo uidendum tibi est, Hercules op-
 time & praestantissime, in quem et rerum statum, &
 temporum, tuum hoc munus incurrat. Habemus patriā
 omnes

omnes Italiam, quā vt charissimam parentē diligere debemus. Ea porro hac aetate quemadmodum perditā afflictāq; sit, nec solum domesticis malis, sed externis etiam periculis terroribusq; concutiatur, obscurum ne mihi est. Patet enim, neq; oculos solum ea res nostros, sed intimos etiam sensus, et cor ipsum vulnerat. Quid ergo est? omnes qui illius sumus alumni, officio furgi ac pietate debemus: & tanquam parenti optime merita opem pro se quisq; & auxiliū afferre. Nec tamen imminentibus aliunde & extrinsecus malis obuiā vere vnquam ibitur, nisi prius domestica fuerint emendata, atque correctā. Quibus Vtinam mederi vtriusque nostrum esset, vigeret summa inter nos profectō salutis & dignitatis publicae constituendae concordia. Quod etiam non leuiter tentatum quādoq; est, vt videremus quid proficere possemus. Nunc quando ego penitus exclusus sum, tuq; in eum locum adductus, vt si non re tota, neq; vniuersa potestate, at praclaro tamen rectē imperandi beneq; regendi exemplo, plurimum opis ferre laboranti patriae possis: ego tibi exponā breuiter, quae in hac re dicenda meo animo occurrunt, & tu plura etiam, & meliora pro tua sapientia cogitabis. Omnium malorum, exitiorum, calamitatum, quib. per hosce annos vexata Italia est, et nunc cum maximē ad interitū prolabitur, fons & origo (mea quidem sententia) ex praua ratione gubernandi populos manauit: quibus ad eum modum principes imperant (de ijs loquor qui in culpa sunt) vt illos non in numero hominū, sed in gregibus videantur habere mancipiorum. Ad semetipsos



enim in gubernando omnia referunt: non (qua vera est principatus ratio & via) salutem suorum & commodum spectant populorum. Ita fit, vt nec ipsi iam qui imperant, dignos imperio vlla ex parte gerant animos: et quibus imperatur, hi assiduitate onerum & acerbitate exactio-
 num exhausti, oppressi, lacerati; tanquam omnia iam desperantes, lucem quodammodo fugiant, omnemque virilem animi motum atque sensum abijcere cogantur. Nam dum omnibus rebus, & fructibus, & operibus, & aduectionibus, atque euectionibus: ipsis etiã itineribus, & vijs, passim vectigalia imponuntur, nominaque conquiruntur tributorum indicendorum, nihilque tam tenue, neque tam vulgare, neque tam sordidum est, quod suo onere portorij permittatur vacare: sitque ita quotidie, nec in cogendis quacumque ratione pecunys tempora discernuntur: seruitque ista exactio delicijs, non necessitati: primis illi qui sic imperant, mergunt ipsi sese in curas ignobiles & contemptas: fractumque minutis illis & quotidianis sollicitudinibus animam, nullam ad rem splendidam, & principibus dignam viris queunt at tollere. Non enim idem laudis & sordium domicilium esse potest: neque in qua mente pecuniarum summula, subductiones, ratiunculae, omnibus penè versantur horis, in ea mente licitum est consilijs praestantibus, non modo sedem suam, sed ne vestigium quidem ponere. Nemo igitur, huiusmodi populorum rectores amplum aliquid de Republ. & de sua dignitate cogitare existimat: & vnde lumen alioris spei salutisque illucescere. Quid? qui seruiunt

& subiecti sunt, sic tractati, exinaniti, et vexati, afferentne vnquam animos ad laudis spem & ad cupiditatem gloria erectos? vt eorum aut in pace consilijs, aut fortitudini in bello possit acquiesci? Minimè istud quidem. Itaq; quod accidere te sequi talia in gubernando consilia necesse est, omnia & in moribus hominum nostrorum, & in voluntatibus, hac quidem etate, vsque eo sunt inquinata, peruersa, corrupta, conturbata, nulum vt antiqua illius virtutis & præstantis disciplina, in genere hominū suapte natura nobilissimo eodemq; fortissimo, vestigiū appareat, quod totū ex praua & imperandi consuetudine, & parendi vsu, euenire cernitur. Et sunt qui mirentur, cur generosos illos spiritus, & magnificos animos, quorum apud maiores nostros tanta redundauit copia, iādiu parere & procreare Italia destiterit? Quasi verò nō videamus, etiamsi indoles & natura seminis bona sit, praua tamē cultura, & præpostera educatione eam corrumpi. Esset eadem nimirū Italia, que iam fuit, si eadem qua quondam, disciplina, eisdem item consilijs institutisq; regeretur. Cuius inuenda rectè gubernandi rationis & via, cum Principum virorum sit potestas: iccirco paulò antè dixi, licere nunc tibi diuo quodam (vt arbitror) cōsilio, præclarum imperij & populorum gubernationis exemplum, tua ipsius virtute atque prudentia, ante oculos omnium ponere & constituere, quod imitentur, si qui sortè erunt, qui semetipsi, et ancipitem ac dubium suarum fortunarū statum, exitiumq; impēdens parenti nostræ Italia respicere velint. Quæ tibi profectò facilis (si be-

ne vim ingenij & altitudinem animi tui habeo cognitam) imperandi, & moderandi populos ratio futura est. Nā & laxare eos angustiis tot illis & concisis exactiōibus oportebit, locumq; illis & sp̄tium respirandi concedere: eaq; tantum vectigalia retinere, quae non ad domesticas delicias, superuacaneosq; apparatus, sed ad continendam & vincendam communem vtilitatē pertineant. Homines autem eos qui tibi sunt subiecti, pro cuiusque genere, institutis, & vita, appellare liberaliter, excipere, adhibere: à plebe propulsare famem, atq; iniurias: lautioribus ciuibus communem te affabilem q; praeberere: aduocare tibi interdum in consiliū eos, qui ingenio & rerum vsu politiores ceteris esse videantur: castigare verbis errantes: honestis studijs & actionibus deditos laudare, atque extollere: & si incidat vt commodè fieri possit, beneficijs etiam eos tuis munerari: quod his maximè modis & rationibus in hominum animis inseritur, & quasi ingeneratur, amor ille virtutis, & cupiditas acrior quadam comparanda sibi laudis & gloria. Quae quorum insedit in mentibus, et accensa est: hos illa fortes, & fideles, & ad omnia adenda pro suo Principe pericula paratos facit. Quo maximè hominum genere & nostra aetas, & communis patria Italia indiget. Atq; hi qui sic reguntur & instituntur, qui temporibus tranquillitatis & otij liberè agerere res vrbanas suas, et soluto animo rusticari possunt: neq; illis semper exactor, semper tributū, semper cruax aliqua ante oculos est proposita: ijdem vbi tempestas & periculi terror intonuit, non opibus solum, sed stu-

dijs etiam suis, & animis, ad propulsandum tanq̄ com-
 mune incendium alacres concurrunt. Sed ego longius
 labor, praesertimq̄ tecum, qui abundas ipse per te con-
 fluo: nec mea aut cuiusquā admonitiōe indiges. Quod
 mi ignoscas sanè velim, non enim te docendi, sed et be-
 neuolentia mea erga te declaranda, & mei sensus atq̄
 animi, quem in Rempubicam habeo testificādi causa,
 ulterius fortasse quā decuit, aliquantum sum proue-
 ctus. Et tamen arbitror omni hac mea scriptione esse
 patefactum, quid de tua eximia excellenteq̄ natura e-
 go sentiam: et quā ea abs te expectē, quae nisi à viro
 fortissimo, & ab homine sapientissimo non queunt ex-
 pectari. An ego, cum viderim (quod sanè sum non leui-
 ter admiratus) honorem hunc quo vterq̄ nostrum sa-
 cra collegij necessitudine coniunctus est, maximum il-
 lum quidem, et in Ecclesia Dei amplissimum (quem cae-
 teri ferè omnes tanto sibi ambitu expetere consuene-
 runt, non spiritualium ornamentorum, ad quae institu-
 tus est, sed terrena, & mundana dignitatis consequen-
 da causa: atq̄ vt oculos hominum fulgore purpure, nō
 animos religione & continentia vitæ permoueant) cū
 inquam, viderim, hunc honorem ipsum, in quo tibi prae-
 cipuè tanta in familia nato, concedi posse videbatur, vt
 altior ex eo atq̄ honoratior inter homines incederes:
 tamē à te intra suos fines ita esse reuocatum, vt is tibi,
 quem admodum quidem debet, pietatis erga Deū monū-
 mentum assiduū sit, non instrumentū ambitionis: idē
 ego verebor expectare à te, aut petere, vt errorem al-
 terum seculi nostri, in re quidem dispari, ex ipsa tamen
 igno-

ignorantia cacitate parem: quo terrena ista dignitas, non exercitatione prudentia, nec consilijs consequenda laudis, sed voluptatib. & delicijs, & exquisito corporis ac cubiculorum cultu, imprimisq; bene plenis ac refertis nummarijs thecis penditur, corrigas, atq; tollas? cum rei huius aut perficienda, aut certe tentanda, & ad imitandum cateris proponenda, magna tibi facultas oblata sit: tuq; in ea opinione apud nos omnes sis, ut omnia ampla atq; egregia à tua virtute regri debe re videantur? Certè si te hanc curam, Hercules Gonzaga, actionemq; contuleris: tum tu praeclaras, perpetuoq; cõmemorabiles in Dei hominumq; cõspectu, exquias fratri tuo duces: nosq; tui amantißimos maximo gaudio cõmulabis: ipse verò vberimū tuarū virtutum fructū, sempiterno beatitudinis in cælo: in terris, et fame, & celebritatis premio diuinitus consequere. Vale. Carpentoracti, VIII. Calendas Octob. M. D. XL.

IAC. SADOLETUS S. R. E. CARD.

Tho. Campegio Episc. Peltrensi, S.P.D.

Vale posse ad te hilariore animo scribere, cuius mihi amor ha sit in intimis sensibus: longo ille quidem tempore antè iam conceptus, sed ex eo amplificatus & auctus, cum tu mihi à summo Pontifice Romam accersito, disciplina publica corrigenda, & meorum imprimis vrbano rum causa, amicissimo ac fidelissimo animo praesto fuisti: & qui in vrbe assiduus fuisses, me post annos decem tanquam postliminio in eam re deuntē, diligenter & studiose, pro tua in Christianam Remp. voluntate, docuisti: qua tibi vel soluta à veterè discipulo

na, vel à bonis moribus detorta, vel mala consuetudine deprauata, contaminata, corrupta, egere nouis remedijs, aut restituis antiquis legibus videbantur. Quae ego tua tum admonitione factus sum ad dicendas illis de rebus sententias paratior. Noli enim existimare, mi optime Campegi, tuum id studium atque officium non mihi in animo herere: cuius quidem officij, quoad ego viuam, nulla vnquam obliuio me capiet. Sed quominus ad te familiariter & iucundè (vt cuperem) scribam, mors Laurentij fratris tui viri clarissimi facit. Quae me quidem ita conturbauit, vt vobis, qui illi sanguine eratis coniuncti, in deplorando tanto communi incommodo non cedam. Etsi nulla quidem maior potuit esse coniunctio, quam ea, quae inter me atque illum fuit: qui amicitia primùm, post collegio, deinde consensione animorum et voluntatem, in capiendis de Republica consilijs, sic copulati eramus, vt videremur ad salutem & vtilitatem Reipub. vno propè sensu & eodem spiritu duci. Quare pro me quidem ego tristi illonuntio ita sum affectus, vt consolari ipse me non queat. Quos etiam minus sum ad vos consolandum accommodatus. Difficile enim est, eum qui sibi mæreat, aliorum opitulari mæroribus: & qui animo ipse perturbato sit, ex aliorum animis turbidos motus eijcere. Sed cum meo ipso in dolore, amor item ille meus emineret, quo te, quo Alexandrum Episcopum Bononiensem, quo reliquam omnem Campegiorum familiam semper complexus sum: nō duxi alienum necessitudine nostra, pauca ad vos verba facere: quae si non solatiū vobis, at mihi certe

certè aliquam à dolore aberrationem: et si non prudentia mea iudicium ad vos, at significationem optime voluntatis afferrent. Dico ergo, vos qui non minus similitudine virtutum, quàm cognationis vinculo, summo illi viro adiuncti eratis, debere illius quoque fortitudinem & patientiam imitari: qui in tanta imbecillitate corporis, tam graui morbo, tam asperis omnium artuum doloribus, nihil vnquam egit, neq; dixit, quod indignum esset illa gloria, quam ex multis & maximis virtutibus sibi comparauerat. Qui si est à vobis ereptus, magnūq; in eo ornamentum vestre familie ablatum: tamen id amissistis, quod perpetuum vobis esse non potuit. quod verò neq; ipsi illi mors, neq; etiam vobis potuit adimere, id semper retinebitis: vt illius honores, magistratus, publica munera, legationes, summam in iure ciuili & Pontificio scientiam, summam integritatem, summam auctoritatem, præterea animum in Christiana religione præstantem & integrum, nulla ex animis hominum deletura sit obliuio. Et quoniam quæ voluntate & numine præpotētis Dei sunt, cōmutabilia non sunt, estq; hic euentus omnibus propositus, qui in hanc lucem nascimur, & ad vitam non stabilem, sed caducā producti sumus: non est grauius dolendum de eo, quod omnibus cōmuniter accidit. In quo verò singularis atq; eximia vestre familie laus posita est, quod talis vir potissimū in vestro genere sit natus: id cū vobis, tum mihi, qui mirabiliter saueo vestris ornāmētis & laudibus, etiam cum aliqua animi latitia sæpius recolendum & cōmemoratione vsurpandum est. Et nūc is quidem sublatus

in eas cœli regiones, quæ pijs & probis mentibus propositæ sunt, fruitur præmijs pietatis & integritatis suæ, quibus, per Dei præcipuè clementiam & benignitatē, dignus effectus est. Ego verò, qui hoc animo sum erga collegas meos, ut quoniam in eadem tempora incidimus, & in eodem orbe Christianæ Reipublicæ versando, & moderando, sub optimo et prudentissimo Pontifice unà exercemur, arcto me omnibus illis vinculo amoris atq; observantia esse obstructum sentiā: nō possum non affici dolore & desiderio, quòd talem atq; tantum, non collegam solum, verum etiam amicum, & defensorem veterem amiserim. Cuius interitu, nō orbis quidem senatus, multis summis viris ordinem eū ornātibus: sed res certè publica non mediocriter detrimentum passa est. At nobis priuata forsitan res vestra nunc quidem cura est: quod ego non reprehendo: est enim humanitatis domesticis suis incommodis angitur. Sed tamen ex eo consolari vos potestis, quòd tibi in fratre, ceteris qui ex familia vestra sunt, in suo cuiusq; aut patre, aut patruo humanis rebus exēpto, quicquid contigit damni, id cōmune omnibus etiam alienioribus cōtigit: tanti autem viri fama laudisq; perpetuitas, propria ad perennis vestra futura est. Sed ego longius prouehor, amore videlicet impulsus: nec satis animaduerto, me ad viros fortes, & artibus optimis, disciplinisq; instructos, nec consolationis à quopiam egentes, orationem habere. Quare finem faciam. Tantū te admonebo mi Thoma, id quod mea erga te beneuolētia est proprium, amisisse te quidem in fratre tuo, quod maximum in eo fuit, & quod

nos aspirare non possumus, summam virtutem nimirum summamq; autoritatem, qua in illo vtraque peregricia fuerunt. Amorem autem & charitatem erga te nequaquam amisisse, quandoquidem ego illi in te amando par, & in reliquos omnes tuos, qui genere eodem sunt, simili animo atque erat ille, & eadem voluntate affectus sum. Quod tu illis & denunciabis à me omnibus, & mea fide pollicebere. Studium tuum, & cura quam suscepisti, quo pars illa adium Vaticanorum, quam frater obtinebat tuus, mihi assignaretur, gratissima mihi fuit: sicuti cetera omnia, quae pro me facis, aut dicis. Sed ego habita ratione temporum, non duxi esse tentandum, quod non confidebam posse obtinere. Quem tamen morem omnibus in rebus teneo. Si enim mihi mea dignitas, & pudor meus non prodest, extorquere & eripere Principis beneficia non postulo. Quae si minus crebra ad me perueniunt, idq; mihi à nō nullis tribuitur inertia, quam mixiore vocabulo, nimiam illi molestiam appellant: scio ego quid agam. Nam & extra competitorum certamina, atq; cōtentiones, quae molestiarum plena, & grauium offensionum sunt: extraq; periculum repulsa, qua ingenuis et liberis animis nihil accidere potest acerbius: placatus interim, atque tranquillius vitam ago. Quiaq; meae fidei & gubernationi populi commisi sunt, & quarum mihi rerum administrationis est tradita, in ea ita me gero: studijsq; praeterea in talibus artium optimarum & praestantissimarum versor, vt alia quadam via, & quidem certiore et multo, ac magnificentiore, in hominum beneuolentiam

& b
 lena
 IA
 IO
 T
 noni
 sima
 sum
 enim
 tie, q
 dupli
 merit
 mili p
 laude
 cutus
 datur
 hi quo
 iam pe
 etate,
 quò te
 tionis,
 te bene
 mam b
 Deum
 Hoc do
 cognosc
 atq; vt
 mis ex

& bonam existimationē me vindicem. Vale. IIII. Calend. Septemb. M. D. XXXIX. Carpentoracti.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN.
Ioan. Morono Card. Legato Bononię S. P. D.

TE honorifico Pōtificis maximi, totiusq; apostolicę
senatus consensu atq; decreto electum esse, qui Bo-
noniensi ciuitati præesses, partem Italiae vel florentis-
simam regeres, & legatione illa nobili fungerere,
summopere et tibi gratulor, et mihi ipsi gaudeo. Quod
enim video honorem esse habitum virtuti atq; pruden-
tie, quam ego in te semper eximiā esse iudicaui, lator
duplici de causa: & quod homini amicissimo pramium
meritum persolutum est, & quod ego memet in illo si-
mili pene honore affectum arbitror. Et si enim impari
laude, neq; eodem fructu, ego easdem arteis semper se-
cutus sum, in quibus tu excellis: tamen quicquid virtuti
datur, quoniam ego eius perquam studiosus sum, id mi-
hi quoq; ipsi dari et tribui puto. Sed meus quidem à me
iam penē atatis cursus confectus est: tu viridi etiā nūc
atate, cum tam mature in tantas laudes ingressus sis,
quod te sperare debemus esse peruenturum, & existima-
tionis, et amplitudinis? Equidem pro me a summa erga
te beneuolentia hunc legationis honorem, & hanc sum-
mam hominum de tuis clarissimis virtutibus opinionē,
Deum tibi fortunare, et quotidie magis augere cupio.
Hoc doleo, me tibi non potuisse præsentem gratulari:
cognosces enim apertius quo in te animo affectus sim.
atq; vtinam suauissimam tuā consuetudinē diu antea
mihi expetitam, deinde breuiter, et quasi in transitu

ostentatam, tum cum ego Roma in Gallia legatus proficiscerer, continuare diu inter nos potuissimus. Neque ego humanitatem tuam, nec tu meam erga te obseruam, non desiderasses: tum autem de nostris inter nos rebus ambo familiariter & liberè collocuti fuissimus. Sed posteaquam id non contigit, sumusque, non regionibus locisque solum, sed dissimilitudine etiam actionum consiliorumque distracti: erit tua integritatis & fidei, idem facere erga me, quod ego me tibi praestaturum esse polliceor: ut nunquam nomen tuum, neque ea beneuolentia qua te iam dudum sum complexus, ex animo & ex sensibus egrediatur meis. Atque haec haec tenus. Nunc aptum atque opportunum mihi visum est, patefacere fores benignitatis tuae, ut per eas homini omni virtute doctrinaque ornatissimo mihi charissimo, ad tuam ipsius amicitiam & beneuolentiam sit aditus. Is est Hieronymus Gratus ex ista ipsa ciuitate cui tu praefectus es, & ex nobili in ea genere familiaque procreatus: qui primo aetatis suae tempore, cum ad iuris ciuili disciplinae se contulisset, media ferme in adolescentia, omnium consensu promeruit, ut ad id docendum, quod licet praematurè, tamen praclarè videbatur didicisse, se dederet. Itaque conductus honestissima mercede, ius ciuile aliquot annos in patria sua docuit. Post querendum sibi nomen atque famam in externis nationibus existimans, satis fortis animo patriam suam domesticosque penates liquit, & huc in transalpinam Galliam peruectus est: ubi cecleriter cognitus, habitusque in honore & admiratione, Valentiae diu magno stipendio, & maiore sui nominis fama,

ma, in
qui v
opera
batus
plifica
ciuium
uocati
lars: t
tionib
test no
manif
ampla
ter et
forta
quam
tuis? p
fidei
litam
dere a
nymu
profu
rea a
bonit
pecto,
tius. V
IAC
M
si

ma. iuri ciuili docendo, & consulentibus respondendo
 qui vndiq³, ad eum penè certatim confluebant, insignè
 operam dedit. Itaq³, charus his gētib³, egregieq³, pro-
 batus, cū de eius augendis commodis mercedeq³, am-
 plificanda quotidie ab eis cogitaretur: repentè decreto
 ciuium snorum & seuero & vehementi in patriam re-
 uocatus, istuc parat proficisci, reuisens quidem patrios
 lares libenter, sed tamen magnam desiderii sui his na-
 tionibus relinquens, quo ipsius quoque animus non po-
 test non commoueri. Eum ego aduenientem, vt tu hu-
 manissime Morone omni tua comitate et beneuolentia
 amplectare, quanto animi possum studio te vehemen-
 ter etiam atque etiam rogo. Quāquam de isto quidem
 fortasse non es rogandus. Quid enim tibi familiaris,
 quā tales complecti viros, & amore & beneficijs
 tuis? praesertim qui sint ex eo genere hominū, qui tuis
 fidei & cura commissi sunt. Sed ego ad illam tuam so-
 litam erga bonos humanitatem, liberalitatemq³, acce-
 dere aliquid abs te insignius mea causa opto: vt Hiero-
 nymus ipse cognoscat re ipsa & experiatur, valde sibi
 profuisse commendationem apud te meam: seq³, propte-
 rea amplius quiddā et maius assecutū q̄ communis tuae
 bonitas et natura ceteris largiatur. Hoc ego à te ita ex-
 pecto, vt nihil sit q̄ possim expectare gratius, aut opta-
 tius. Vale. Carpent. IX. Calend. Iulij, M. D. XLIII.

LAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Greg. Cortesio Cardin. S. P. D.

MV tua nostra vetusq³, beneuolentia, quam sanctè et
 fideliter ab utroq³, nostrum cultam esse intelligo,

R r 3 facit,

facit, vt in meis maximis rebus, qua nunc quidem in
 sacrarum literarum studio omnes mihi cōstitutae sunt,
 tuum imprimis amorem, tuamq; eximiam excellen-
 temq; doctrinam, mihi requirendam esse putem. Cum
 enim (vt tute scis) cōmentarium quendam de peccato
 originis iam pridem confecissem, hacq; maximè re &
 ratione, facultatem in has regiones reuertendi à sum-
 mo Pontifice essem consecutus: quod me (quoad posse)
 otium & tranquillitatem nactum, literis & scriptis
 sanctam fidem Catholicam, decusq; & auctoritatem a-
 postolicae ecclesiae defensurum pollicitus essem: statui
 mihi, vt primum huc me retuli eundem esse libri accu-
 ratiùs retractandum. Quod cum diligentissimè fecis-
 se addidissimèq; non pauca, qua mihi ad rē vberius expli-
 candam idonea visa sunt: illum tanquā mea diligentia
 testem, Pontifici ipsi maximo auctori mei otij mittendū
 putavi: scripsiq; ad amplissimū Cardinalem Farnesū
 vt eum quibusdam ex collegio nostro, tibiq; imprimis
 legendum, & considerandum traderet. Quod factū su-
 isse, etsi certi nihil dum scio, vt confidam tamen addu-
 cor. Nunc alterum ὑπόμνημα iam elucubrātū, in ma-
 nibus habeo: nondum illud quidem expoliturum, quemad-
 modum & res ipsa, & mea diligentia postulat: sed ta-
 men eiusmodi, vt ex eo, quanquam imperfecto, intelli-
 gi possit, quid ego habeam de purgatorio persuasi atq;
 certi: qua res vna omnium maximè, hoc perturbatissi-
 mo tempore, ab ecclesia. (vt scis) hostib; oppugnatur.
 In quo ego catholica suffragor ecclesiae: quod sanè mi-
 hi in omnibus meis & curis & actionibus semper est

pro-

propositum. Eum ego librum statui mittendum ad te esse, ut tu mi optime doctissimeq³ Cortesi, pro tua in me benivolentia, proq³ ea fide quã ego tibi habeo summam, laborum meorum multarumq³, vigiliarũ partẽ aliquam mecum subeas: meq³, adiutum velis opera et sapientia tua. Primum, ut quæ scribuntur à me, ea sanctè, & rectè, & ex integra veraq³, religione scripta sint: deinde, quæ pertinent ad politiores literas, quando vtriusq³ facultatis summum tuũ est iudicium, de his etiam me admoneas: neq³ patiaris quæ aptè et ornatè imprimis oportet scribi, ea me barbarè & inconditè scribere. Quanquam hoc leuius fortasse est. Illud grauissimum, ut ne quid prorsus à nobis effluat, quod cuiquam bene intelligenti, queat vel minimum aliquem spiritũ perversæ religionis afflare. Et si enim ego in hoc quidẽ affirmantissimo sum animo, ita ut corpus & vitam potius, quàm studiũ veræ pietatis amittere paratus sim: idemq³, cum Catholica Ecclesia arctissimè sum coniunctus: propter tamen imbecillitatem ingenij mei, tenuitatemq³, doctrinæ, dissidere mihi cogor, & doctiorum, ac sapientiorum quàm ego sim, hominumq³, præsertim nostri ordinis iudicia implorare. Quod è numero cum mihi præcipuè occurras qui cõsulendus sis: mihiq³, iamdũ persuasum sit, te & velle mea causa, & pro singulari doctrina, quæ es præditus, posse plurimum mihi opis et subsidiij asserre: omni animi studio te obtestor, ut quicquid futurum est negotij & laboris in legendis duabus hisce nostris lucubrationibus, eisq³, acriter expendendis, id ne te pigeat summo tuo in me beneficio

suscipere ac perferre, cum honoris mei, tum aliorum etiam utilitatis causa: cum omnes qui in hoc gradu tanti honoris locati sumus, hac aut agere ipsi, aut agentibus adesse fauereque debeamus. Vides tempora, vides hominum mores: ut quisque nostrum aliquid edit in publicum, quod aut contra falsas religiones, aut pro veris scriptum sit: non modo qui palam aduersantur nobis & repugnant, (nam hi fortasse minus pertimescendi sunt) verum etiam qui nostrarum ipsarum sunt partium, quasi ex insidijs repente egressi, circumfistunt, accusant, inuehuntur: veluti proditoris insimulant: nec quicquam hoc tempore periculosius est, quam de rebus bonis sanctisque differere. A quo genere scribendi si abstinere velimus, cautiore forsitan sapientioresque iudicabimur: iustiores certe, & meliores non erimus. Non enim qui talentum condidit sub terra, sed qui id exercuit, fructumque ex eo quaesuit, is a Domino in Euangelio laudatus est. Quem qui dem ego negotiatorem bonum studeo imitari: ita animo paratus, ut omnibus ijs qui me redarguerent, meaque mihi errata indicant, modo ut ipsi sine contumelia id agant, non solum non succenseam, sed magnarum etiam illis gratiarum debitorem me confitear. neque enim quicquam face re erga me possunt, quod mihi accidere queat vel vilius, vel gratius. Quam obrem mi optime Cortesi, cum ego & iudicio tuo plurimum, & voluntati erga me omnia tribuam: si quis ipse (ut tute nosti) semper fuerim tui cupidissimus & amantissimus: da mihi hanc operam quaeso, & in hac re officio verae amicitiae inserui: ut mea lucubratiuncula tua sint doctrina & lima emendatio-

datiores. Vale, & nos dilige. Ex Feliciano Carpentoracensis diocesis, V. Idus Iunij. M. D. XLIIII.

GEOR. CORTESIUS CARD. IACOBO Saboieto Card. S. P. D.

ET si ratio officij postulabat, ut post tuum à nobis discessum crebras ad te literas darem, quibus & de rebus publicis, & de privato rerum mearum statu fieres certior: (hoc enim & constituta inter nos amicitia, & maximis beneficijs in me tuis fuisset consentaneum) nescio tamen quopacto factum esse dicam, ut cum dies nullus esset, quo non id facere cogitarem, omnes tamen re (ut ita dicam) inspecta elaborerentur. Cum verò tandem me diuturni silentij suppuderet, constitui semper omnino in posterum eiusmodi negligentia maculam epistolarum frequentia delere: repente redditus est mihi à te fasciculus, in quò non solum ad me, & ad complures amicos litera fuerunt: sed elegans etiam de Purgatorio loco libellus: cuius (ut facile intellexi) maxima apud omnes expectatio iam antea concitata erat: quod dum tu Bononia esses, nescio quid de eare & doctis, & tui amantissimis fuisses pollicitus: visum est nobis nihil opportunius accidere potuisse. Quod enim prius, cum nihil haberem quod descriptione magnopere dignum esset, facere cogitavã, ut ad te scriberem: nunc tali proposito argumento longè facilius mihi videor esse facturus: etsi adhuc quidam accidit incommodissimè: tanta enim fuit flagitatorum molestia, ut vix semel libelli legedi, & id ipsum cursim, facultas nobis data fuerit. Qui enim literas tuas reddidit, nescio quare

tione intellexerat, librum in eundem fasciculum fuisse
 coniectum: cumq; id ex eo cognitū fuisset: non potuit à
 me, amicis postulantibus, diutius denegari. Ex eo tamē
 quod primis, vt aiunt, labris gustare licuit, intellexi ma-
 ximē obscurum locum, & à nullo antea satū diligenter
 tractatum, & nescio an omnium qui nunc præcipuē in
 controuersiam venēre, longē difficillimum, à te & tra-
 ctari commode, & luculentimē explicari. Qua de re
 tamen, non solum quid ego sentiam, cum ex amicorū
 manibus librum recuperauero, sed & quid ipsi iudica-
 uerint, summa fide & diligentia te faciam certio-
 rem. Nunc ea tantum de causa ad te scripsi, ne fortasse, vt
 nunc sunt tempora, suspicareris, literas tuas ad nos non
 peruenisse. Quod ad publicas res attinet, scito, omni-
 um animos de rerum euentu hīc magnopere esse solli-
 citos: nec quieturos prius quā ad huius miserrimi belli
 exitum peruentum fuerit. Etsi enim non magnopere
 adhuc Romæ tumultuatum est, summi Pontificis con-
 silio singulari et prouidētia: cum tamē omnia armis vn-
 dique circumsonent, vix fieri potest, vt ex aliorum cala-
 mitatibus, nō cogamur de proprijs periculis cogitare.
 Tu, quando honestissimum otium nactus es, et in eo po-
 tissimum oppido, in quo & tui sacerdotij munera præ-
 sens obire potes: & quod cœli clementia, & amantia-
 te locorum, maxima te potest afficere iucunditate: par-
 tem velim credas magnam felicitatis te esse affecutum,
 præsertim cum propē omne tempus insumas in oppri-
 menda extinguendaq; perditorum hominū impietate:
 qui non iam, vt antea, occultis cuniculis: sed aperte ar-

cem ipsam caputq; totius religionis inuasere. Vale. Et recuperato ab amicis libello, longiores à me literas expecta, Romæ, Calend. Iulij.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDINAL.
Iacobo Sabello Cardin. S. P. D.

ANtonius Florebellus, maximus laudator & obseruator tui, ex Italia reuersus ad nos, cū multis alijs de rebus me docuit, quæ in istis locis publicè gerantur: tum ea de meis priuatis amicitijs ac necessitudinib. mihi nuntiauit, quæ ego maximè audire expetebā. In quibus id mihi fuit gratissimum, quòd eorū quos ego diuturno iam amore & fideli beneuolentia prosequor, animum mutuū erga me, & parem voluntatem esse declarauit. Quo equidem nuntio mihi vnquam possum audire optatius. Nam cū natura mea eiusmodi semper fuerit, vt omnem propemodum meam delectationē vitam in bonorum et doctorum amicitijs habuerim constitutam: nūc cū vna hac mihi, ceteris aut iam planè amissis, aut certè extenuatis exolescentibusq; voluptatibus, remaneat iucunditas, quòd in amicorum cogitatione & memoria suauiter acquiesco: cū de eorum officio ad me perfertur, nihil est ex quo letitia affici maiore possim. Ac ille mihi de alijs quidem multa: de te verò Sabelle optime atque humanissime ea mecū locutus est, quæ ego cū in te etiam tum adolescente multis primo mihi nuntiantibus, deinde breui illa consuetudine nostra, tanquam florescentia perspicere cœpissē, gaudeo ferre illa nunc eos maturitatis fructus, vt iam nō sperare, sed admirari tuas eximias et singulares vir

tutes debeamus. Amabam equidem nobilitatem & ani-
 mi & generis tui, elegantiam morum, in congressibus
 humanitatē, in dictis factisq; constantiam. Sed illa me-
 res præter ceteras delectabat, quòd videbam, qua volū-
 tate in publicam rem Christianam esses, quo studio er-
 ga optimas artes, qua mente ad cupiendum vt rectè om-
 nia fierent mouerere. Qua tibi egregia et summa a-
 nimi bona, primùm à natura insita, deinde educatione
 disciplinaq; firmata, Dei primū omnipotentis, deinde
 etiam bonarum artiū literarumq; auxilio, ad eam nunc
 frugem perducta sunt, vt habeamus in viridi etiā nunc
 tua etate, quam cum grauissimis & probatissimis or-
 dinis nostri patribus conferamus. Atq; hæc ornamenta
 animi ingenijq; tui, etiamsi mihi tecu nihil vnquā su-
 issset, si non te amore eo prosequerer, quo iam pridē mi-
 rifico sum complexus: tamen me ad te amandum nō in-
 uitarent solum, verū etiam inflāmarent. Cū verò
 de homine mihi & virtutibus suis, et amicitia nomine
 charissimo, tales ad me nuntij perferantur, statuere i-
 pse potes, quanta ex eo letitia et animi iucunditate assi-
 ciar. Sed me cogitantem de te, et penè ante oculos imā-
 ginem tuam habentē, et si vt persistam diutius quasi in
 colloquendo tecum, beneuolentia hortatur: retinet ta-
 men modestia. aptius enim & liberius de tuis laudibus
 cum alijs (vt soleo) loquar, quàm cum teipso. Quare
 finem faciam, si duo hæc prius precatus fuero: vnū, vt
 tibi ea fortuna sit, quā ista virtus prohibitasq; mereatur.
 Alterum, vt in nostra amicitia coniunctioneq; tuenda,
 quo ego in te animo sum, tu similem mihi in me diligen-
 do

do voluntatē prestes. Quo quidem munere nullū à te
 præstātius accidere mihi potest. Patri tuo clarissimo vi
 ro, quem ego omnibus de causis iure facio plurimi, cu
 pio salutem per te plurimam meis verbis nuntiari. Va
 le Carpent. V. Idus Iunij, M. D. XLIII.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. ANTO
 nio Perrenoto Episc. Atrebatensi,
 S. P. D.

Cum scriberem ad patrem tuum clarissimum virū,
 non putavi mihi prætereūdum esse, quin ad te quo
 que aliquid literarum darem: cum & te non mediocri
 ter diligam, multis quidem de causis, ingenij, doctrina,
 humanitatis tuæ adductus, & de tua in me vicissim be
 neuolentia persuasus sim. Scribendi autem causa hæc
 fuit. Ego post pacem factam, qua nullum maius neque
 præstantius hoc tempore beneficium à summo Impera
 tore Carolo in Christianā Rempub. potuit proficisci,
 secutus maiorum exempla, qui testimonium laudis &
 iudicij sui, optimè meritis principibus libenter dabāt:
 exaravi oratiūculam, qua gratias Cesari cōmuni Chri
 stianorum populorum nomine agens, illum præterea
 ad eas res gerendas suscipiendasq; adhortor, quas maxi
 mē illius amplitudo & dignitas, rei q; publicæ salus vi
 detur ab eo postulare. Quo genere scribendi veteres
 summi & doctissimi viri egregios Principes decorare
 soliti sunt: sicut multorum declarant orationes, ad Phi
 lippum, ad Alexandrum, ad C. Casarem, ad Traianū, ad
 Cōstantinum, ad plures alios scripta. Item igitur ego,
 his quidem omnibus ingenio & facultate impar, sed di
 gnita-

gnitate causa aliquanto superior, instituo suadere Ca-
sari, ut in eas se conferat curas & cogitationes, qua illi
us admirabili prudentia & maxima autoritate preci-
pue sunt digna. Quod tute nosse ex mea oratione, si eā
modò duxeris legendam, facile poteris. Cū ergo hanc
ipsam orationem ad fortissimum virū Ferrandum Gō
zagam per eum tradendā Imperatori miserim, amici-
tiam secutus, qua mihi cum illius omni nobilissima
familia permagna est: rogavi patrem tuum per literas,
ut adesse in tradēdo, aut si Ferrādum fortē aliqua res
impedierit, ipse eam per se reddere Imperatori velit.
In quo mi charissime Perenote, tuam quoq; operam et
benevolentiam mihi aduoco. Si erit non indigna lucu-
bratio mea qua agatur, maximum me existimabo labo-
ris mei fructum esse adeptū: quod laudem optimi Prin-
cipis mei fructum esse adeptū: quod laudem optimi Prin-
cipis, coniunctam cum ea spe, quam de illius virtute, a-
nimiq; magnitudine, Christiana Reip. futura salutarī,
iam concepimus, meis literis ornatam illustratamq; vi-
debo. Sin ea sordebit, ego tamen hoc assequar, ut meo
exemplo, doctiores alij in eandem curam & studium
scribendi se dedant. Sed de his rebus mādauī tabellario
huit meo, ut meis verbis tecum accuratius loqueretur.
Ego quod ad me attinet, amorem eum conseruo, quem
iam ab eo congressu quo ad Nicēā primū vnā fuimus,
erga te suscepi: in quo mea in te amando constantia
plurimum tuarum virtutū recordatio suffragatur. Tu
si pari erga me voluntate fueris, non solum mea expe-
ctationi satisfacies, sed humanitatem etiam constabis
tua. Vale. Carpent. V. Idus Nouemb. M. D. XLV.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Ioan. Toletano Episc. Burgenfi. S. R. E.

Cardinali, S. P. D.

Longum intervallum est, cum literas ad te dedi nul-
 las. Quod accidit, non remissione observantiae in te
 mea, nec oblivione virtutis, & humanitatis, & bene-
 volentiae erga me tuae: sed quia multis & molestissimis
 occupationibus impeditus, fratris etiam mei mihi cha-
 rissimi morte, qua graviter affectus sum, omneis meas
 curas ad luctum matremque reuocante, alia quoque offi-
 cia permulta deserere coactus sum. Nunc cum tempus
 venerit, quo tempore, si alias unquam, tua mihi & be-
 nevolutia & autoritate maximè sit opus: si etus tua
 virtute & bonitate, causam omnem meam tibi imprimis
 exponendam commendandamque putavi. Pontifex Ma-
 ximus me per te literas ad Vrbe vocat: quod ego factu-
 rus sim libenter, vocanti que obtemperaturus. si mihi id
 per meas rei familiaris angustias, & maximas difficul-
 tates facere liceat: ea que habeam facultatum subsidia, qui-
 bus et itineris sumptum, & vrbarum illas impensas sus-
 tinere possim. Video enim quid mei officij sit: quid po-
 stulent sedis apostolica tempora: cui si non ingenium at-
 que prudentiam, quae in me aut nulla, aut sane quae exi-
 gua est: at animum certè bonum, & fidelem operam pra-
 stare debeo. Sed ita omnium ad iter sumptumque necessa-
 riarum rerum inops atque egens sum, ut ab omni istuc ve-
 niendi & voluntate, et conatu, desistere cogar. Et qua-
 riam te aequum iudicem et sapientem nactus sum, si hoc
 non alienum tua gravitate existimas, audi quaeso breuè

meorum preteritorum temporum rationem, & sermo
 ni meo benignitatem tuam accommoda. Ego olim hone
 stissimum locum apud summos Pontifices Leonem, &
 Clementē obtinēs (vt te scire arbitror) cū magnos ex
 illius autoritate loci, bona & vsitata ratione, quastus
 facere possem, & ad opes facile diuitiasq; peruenire,
 abstinui tamen: neq; me studium coaceruanda pecunie
 vllum vnquam tenuit: sed gratuitam omnibus tam vr
 banis, quam aduenis, operam meam ac diligentiam asse
 due prebui. Postea voti causa ad Lauretanum Diuina
 virginis templum profectus, cū absens à Leone Epi
 scopus pronuntiatu essem, vt primū in vrbem redij,
 omnis illud à me quoad potui, excutere conatus sum. Nō
 enim huiusmodi honores mēs mea vnquā appetierat:
 liberamq; ego vitam magis sequebar. Atque harum re
 rum grauissimos amplissimosq; collegas nostros. Saluia
 tum, Rodulphum, Gaddū, testes tibi exhibeo: & si qui
 alij sunt, quibus illorum temporum res acta cura fue
 rit cognoscere. Postea Leone mortuo, in meā hanc Car
 pentoractensem ecclesiam adueniens, cupidissimus in
 ea perpetuū manendi, factō Pontifice Clemente, statim
 ab illo euocatus sum. Cui optimē antea de me merito,
 fidem operamq; meam negare non potui. Hoc cum eo
 tamen pactus, vt operam illi meam trienniū nauarem:
 quod reliquum vite mea tempus, non iam hominibus,
 sed vni Deo in ecclesia mea custodia tribuere statuis
 sem. Quod ille, vt erat natura bonus, & mihi pollici
 tus est: & prestitit. Roma igitur profectus, viginti
 diebus ipsis antequam Vrbs caperetur, eo animo Car
 pen-

pentora cte redij, vt hic domicilium non solum corpo-
 ris et fortunarum, sed omnium rationum cōsiliorumq₃
 meorum: totius deniq₃ mea vita perpetuum collocarē.
 Itaq₃ & literis ijs qua huius maximè loci sunt & mu-
 neris, tum me penitus dedidi: & quod solent hi qui fru-
 galitate et rebus exiguis delectantur, nec veste, nec ar-
 gento, nec supellectili lauta, domum meā ornare atq₃
 instruere vnquam curavi: tantum meos reditus annuos
 in eos sumptus qui obtingebant integros erogabam,
 vt vertente anno nec deesset mihi quicquam, nec supe-
 raret. In hac mihi iucundissima & verè beatissima con-
 ditione vita, cum decem annos serè exegissem: repente
 ab hoc summo Pontifice Romā accersitus, in sacrum ve-
 strum istud Collegiū, nihil tale suspicās, cooptatus sum.
 Cuius quidem tanti beneficij gratia à me huic Pontifici
 maximo debetur sempiterna. Sed magna honor, et me
 is longè superior viribus, infirmis admodum & imbecil-
 lis ad sustinēdum humeris meis impositus est. Ego enim
 qui nec pecuniam vnquam numerat: in possederam, et
 instrumento omni honestiore carebam, meosq₃ fructus
 annuos, qui mille ferme & sexcentos aureos efficiunt,
 (tot enim ad me omnibus deductis possunt peruenire)
 vniuersos expendere eram solitus: nouis subitò & ma-
 gnis oneribus sumptibusq₃ oppressus, magnum es alie-
 num cōflare necesse habui: nec mihi postea rem fami-
 liarem meam explicare licitum vnquā fuit. Accesserūt
 tot itinera, tum multa et crebra vltro citroq₃ prater-
 uersiones, ex Vrbe in Galliam, & ex Gallia rur-
 sus ad Urbem: vt nunc planè omnibus consumptis atq₃

detritis, non solum equis, mulis, veste, instrumento ad
 hoc iter idoneo nullo munitus sim: sed ne spem quidem
 videam aut rationem ullam reliquam instruendi mei, cum
 nihil omnino sub caelo habeam quod meum propriumque
 sit, quodque si sumenda mutua pecunia sint, (quod tamen
 ipsum in hac iam aetate est miserum) creditoribus pigno-
 ri & fiducia esse possit, praeter unam tantummodo vi-
 neam, quae mihi in Vrbe est, quae ne ipsa quidem a cre-
 ditoribus est libera. Has meas difficultates ipse summus
 Pontifex non ignorat: qui mihi etiam saepe ostendit, se
 meis commodis consulturum, idque aliquo ecclesiastico
 redditu: nam alio genere subsidij non delector. Quod cum
 ille adhuc non fecerit: non voluntate quidem, quae opti-
 ma certe illius erga me est: sed difficultate temporum
 impeditus: equum erit mihi ignosci, si necessitate cogente,
 cui diuina etiam cedere veteres Philosophi dixerunt,
 ad Urbem me conferre non poterò. Etenim voluntas
 quae in me prompta ad parendum est, sed facultas pe-
 ritus mihi erepta. Quamobrem peto à te, precorque Io-
 annes amplissime, ut pro tua auctoritate, quae merito
 maxima apud omnes est, tueare, vbi opus esse videris,
 & causam et famam clientis tui: neque meum factum in
 aliam partem, quam ut à me tibi res est exposita, acci-
 pi, impetrariue patiare: si tamen iure & recte te id
 facere posse existimas. Nam ego qui mearum rerum
 satis mihi conscius sum, eum, qui magis etiam est con-
 sciens, Deum omnipotentem testor, & inuoco, me non
 videre, quem admodum possim ita in Vrbe domicilium
 constituere, ut illas impensas urbanas suslineam: pra-
 ser-

fertim qui nec petitor vnquã, nec flagitator, nec sacer
 dotiorum auceps esse animũ induxi. Sed semper his fui
 contentus, quæ aliena sponte, non meo flagitatu delata
 mihi fuerunt. Sũma hæc est: cũ omnes meæ facultates
 & fortuna, tenues ipsæ per sese, æri etiam alieno mul-
 tius, alijs onerib. hoc quidem tempore impedita sint:
 ego, præterea & à pecunia, & ab omni itineris in-
 strumento imparatus sim, atq; nudus: nullo modo hone-
 stè me posse de meo aduentu ad Urbem cogitare. Quòd
 si aliqua in hoc motu rerum, & expectatione propin-
 qui (vt homines fuerunt) concilij, opera mea requiri-
 tur, (quanquam ego in tanto cœtu sapientissimorũ &
 doctissimorum patrum infimus sum omnium) tamẽ et
 per amplissimum Cardinalem Farnesium antea Ponti-
 fici maximo, et denuo per meas literas paratum me es-
 se ostendi, ad concilium ipsum (si ei videatur) ire: etiã
 priuato meo nomine, si ita magis placuerit. Eaq; ibi,
 quantum mea infirma & tenuis autoritas patietur, of-
 ficia & studia sanctæ apostolicæ sedi, & summo ipsi
 Pontifici præstiturum: vt mea & integra & grata in
 eius sanctitatem maximè extet voluntas. Etenim pote-
 ro cõmodius illò, quàm ad urbem accedere. Propterea
 quòd quæ in vrbe Roma ordini nostro indecora sunt, il-
 lic arbitror fore honorifica: tenuitatem, frugalitatem,
 comitum paucitatem, & omnium rerũ humilem sum-
 missamq; modestiã. Habes causam meam, quã totam
 tue fidei, virtuti, humanitatiq; cõmendo. Tu quicquid
 in me studij, officij, beneuolentiãq; contuleris: per sua-
 deas tibi velim, te in hominem gratissimũ, & tui obser-

uantissimum esse collaturum. Vale. Carpentorac̄i,
XIII. Calend. Februarij, M. D. XLV.

IAC. SADOLETVS CARD. RAN-
nutio Farnesio Card. S. P. D.

QVæ in hanc Urbem de tui ingenij, summiq̄, ad o-
nem liberalem percipiendam doctrinam studij,
fama & laude perlata sunt, eademq̄ vno & constanti
omnium sermone cõfirmata: tantũ mihi ea voluptati
attulerunt, vt id literis satis explicare non possim. Fue-
runt enim & eximia, & noua, atque eiusmodi, vt non
modò lætitiã omnibus qui te diligunt, verũ etiã igno-
tis & alienis, amorem erga te, & admirationẽ potue-
rint excitare. Sic enim dictum, et percelebratum est, te
ista atate, quæ nec dum matura ad cognoscendam per-
cipiendamq̄ vim scientiæ & virtutis esse solet: et ista
fortuna, quæ cum amplior atque opulentior facta est,
presertim in pueris & adolescentibus, sapius ad opti-
mas artes capessendas est impedimẽto: tãtos tamẽ fecis-
se in virtute doctrinaq̄, progressus, vt nihil eruditius,
nihil à quoquã viro ingeniosius, ne in moribus quidẽ to-
tiusq̄, vitæ modestia, cõpositiq̄ possit expectari. Quod
magno in cõuentu amplissimorũ hominum, magnis de
omni literarũ genere disputationib; cũ omniũ admira-
tione declaratũ in te auunt esse atq̄, perspectũ. Quam
ego tuã non iã spem, neq̄, indolem, sed presentem lau-
dem vberemq̄, fructũ eximia virtutis, cùm te pro mea
in vniuersam domũ & familiam tuam perpetua singu-
lariq̄, & voluntate & obseruantia in filij loco diligã-
ad magnũ quoq̄, animi mei fructũ duco pertinere. Si-
qui-

quidem non minus fruimur aliorum bonis, cum ex ea re gaudemus : quã illi fruantur ipsi, qui ea bona obtinent.

Quod hoc etiã mihi in te cumulatiùs cõrigit: q̃ nõ vulgaribus tuis, neq; communibus bonis: sed summis & singularibus gaudeo atq; letor. Atq; in ista tua admirabili progressionẽ ad virtutẽ, in qua lõgẽ atatem tuã ipsa industria superat, agnosco quidem vim generis, virtutẽ sanguinis, fortunã familiae tuae, quae semper istiusmodi viris atq; ingenijs fuit referta. Etenim quis hominũ vquam tuo auo sapientior, quem ad summum in orbe terrarum sanctissimi honoris principatũ, ipsa sapientia prouexit? Quis fratre tuo Alexandro probior, liberalior, moderatior: qui cum & fortuna, & dignitate, summis antecellat: humanitate tamen omnibus vult esse par? Non cõmemorabo ceteros: sunt enim omnes ex eadem stirpe & sanguine procreati. Ad te ipsum reuertar, in quo virtus & nobilitas generis tota relata planè, & præclare expressa est: teq; quod mei iam in te amoris est propemodum paterni, hortabor & rogabo, vt hoc cursu quo cœpisti, ad summam laudem sic contendas & enitare, vt statuas, tibi hominũ expectationem, quae magna & incredibilis de te excitata est, non modo explendam, sed omnibus partibus & numeris absolutissimae virtutis etiam superandam esse. Quod etsi perquam difficile videtur esse, tuis tamen ingenij neruis, & tuae naturae præstantia dignum est: optimeq; id & commodissimè fiet, si bonorum morũ velut firmo fundamento substrato, studia deinde & genera doctrinarum ita super extrues, vt in eligendis, quae

opportuniſſima ſint, & in addiſcendis quatenus poſſunt eſſe vtilis, non ſolum cura atque conſilio, ſed diuina etiam ſorte quadam adiuuere, Qua de re dabitur a liquando nobis tempus inter nos colloquendi. Nunc q̄ à me breuiter ſignificatum eſt, non id docendi tui cauſa à me eſt ſuſceptum (nō enim tu ingenio neque optimis monitoribus indiges) ſed volui mei etiam beneuolentia erga te, & voluntatis, aliquod ad te teſtimoniū peruenire. Vale. Romæ, V. Cal. Octobris, M. D. XLV.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Ranutio Farnesio Card. S. P. D.

Capio non mediocrem curam debitam illam quidē egregia indoli tuæ, & ei opinioni quam ego de te iam dudum maximam concepi: vt qua commota eſt hominum expectatio (cū fere omnes in te & oculis, & mentibus cōuerſi ſint) ea cū ingenij tui laudo, tū virutis & probitatis gloria expleatur. Quod etſi difficile videtur eſſe, quod nihil à te expectatur aut vſitatum aut mediocre, tamen proprium eſt generis & preſtantis animi tui, eò velle conniti, quod nemo alius non modo peruenire, ſed ne aſpirare quidem poſſe videatur. Mihi quidem pro mea ſumma erga te beneuolentia, ſape deſideranti congreſſum atq; conſpectum tuum, et ob hanc cauſam te in Vrbe videre cupienti, illa leuatio deſiderij ſemper propoſita eſt, quod intelligo, te dum abes à nobis, id agere tamen, & ei rei operam dare, vt cum Romanam tibi fuerit reuertē dum, maior multo ad nos atq; ornatioꝝ redeas. Sic enim nobis de te pollicentur eximia illa artes & præclara ſtudia, in quibus tu, conſe nien-

te omnium fama, noctes & dies assidue versaris. Et si (quod mihi magna fuit admirationi) nouus quidam hominum sermo percrebruit, auum tuum, & dignitate et sapientia omnium principem, tibi iam autorem esse, magnopereque, suadere, ut omisis his liberalioribus studijs, ad ius civile perdiscendum te dedas. Noua res, & mihi inexpectata: sed tamen, si ille ita vult, & si hoc illi statutum est ac deliberatum, nil contradico: parèdum est summæ autoritati, summæque potestati: præsertim cum nihil ille sine maximo consilio, maximaque ratione facere existimandus sit. Sin autem, quod magis puto, magisque credibile est, non ille imperantis modo, sed veluti tentantis, & quasi communcantis, hac de re tecum locutus est: videlicet, ut eliceret sensum animi tui: existimaui mei officij esse, quid in hac re mei sit iudicij, breuiter ad te perscribere. Nã si tu natus in fortuna tenui, exiguis ad magnam dignitatem assequendam præsidijs munitus esses, laudarem ipse etiam huiusmodi consiliũ, tibi que, ut ad ius civile te cõferres, autor existerẽ. Est enim apta & omnib. patens via, ijs qui humilitate generis, et rei familiaris angustijs laborant, ab studio iuris ciuilibus atque scientia ad magnos sæpe honores opesque perueniendi: neque, aliam ob causam ius civile discitur, nisi ut per illud ad aliquam cognitionem hominũ, et meliorem fortunæ conditionem veniatur. Tu verò qui illustriore multo ratione nepe Dei immortalis beneficio, & virtute maiorum tuorum, in excelso et fortuna et honoris gradu iam constitutus es: eaque adeptus sine vlllo labore, ad quæ iuris consulti tantis contentionibus aspirant: qui tibi nunc

constes, si in eas istā viā, quæ te eò deducat, quò fœlici
 tate quadā iam dudū es puectus? Nō ergo tibi est ius ci-
 uile percipiēdum eorum adipiscendorū premiorū cau-
 sa, quæ illi studio premia proposita sunt. Habes enim
 illa et possides, neq; tibi, vt ea quæ extra te bona sunt,
 cōsequare, iā est laborandū. Quod ergo tuū studiu? quæ
 debet esse animi tui cōtentio? Nempe mi Ranuti, vt ea
 addiscas, cōcipias, meditere, quæ te ipsum maiorē, quā
 tua fortuna est, efficiāt. Aliter enim tu neq; diuinis de
 te ipso iudicijs, neq; hominum expectationi satisfacere
 potis es. Consistit porrō vera hæc & propria hominis
 magnitudo duab. potissimū in reb. quarū vna est, vt te
 ipsum iustitia temperatiq; exornes: altera, vt ceteros
 consilio et prudentia tua regas. Atq; harum rerum neu-
 tram ius tibi ciuile, vtrāq; tradere & largiri philoso-
 phia potest: modo ea sit ingenuè ac liberaliter, non in-
 choata solum, sed ad fastigiū vsq; sacre Theologia, &
 vere Dei cognitionis perducta. Etenim si verum est, qd
 sape dictum est, & quotidie dicitur, talem queng; fieri
 hominum, quales sunt res, & qualia studia, quib. ille de-
 lectatur & ducitur: quid potest à iuris scientia magnū
 præclarumq; existere? in qua primū tenues sunt res &
 minute: in quibus tractandis animus occupatus, frangi-
 tur ipse quoq; & cōminuitur, ita vt vix amplum quip-
 piam aut magnificū concipere postea possit. Deinde, id
 quod magis etiam anima duertēdum est, ciuile ius totū
 ad eam vnā rem præcipuè intētum est, vt de pecunia
 rjjs controuersijs, quibus maximè tumultuatur atq; a-
 gitatur hominum genus, iudicia reddatur. quo in gene-

re qui versantur, vel iudicando, vel causas agendo, cū vident tantum hominum pecunia vel quarenda, vel retinenda studium, ipsi quoq; vehementiore aliqua pecunie cupiditate se penumero tanguntur. Quod vnum ad adipiscendam animi virtutem maxime homini infeslū atque aduersum est. Et sunt tamen ex numero iuriconsultorum clari aliqui et prestantes viri, quales in senatu nostro non paucos cernimus, aptos ad populos ciuitatesq; regendas: verum illi bonitate ingenij, & nature prestantia, non iuris ciuilis studio tales effecti sunt: prefertim si ad legum scientiā, id quod plerique eorum fecerunt, optimarum quoq; artium cognitionē addidere. Illud quidem certē nō est inficiandum: probi iuriconsulti munus humano generi esse perutile: quod legum imperio et prouidentia, cohibita vi fraudeq;, hominem inter ipsos societas conseruatur. Sed tamen legum tot vis in re familiari sua cuiq; conseruanda, non in homine ipso ornando magnificandoq; cōsumitur. At philosophia relictis eis sollicitudinibus atq; curis, quæ ad compendium & quæstum pertinent, atq; illis profusus p̄ nihilo habitis: ipsummet suscipit hominē formandum sibi atq; expoliciendum: vt ex hac extractum cōmuni infirmitate, quoad eius fieri possit, similem Deo constituat, nihil sibi quod externum et fragile sit, auidē appetentem: consulentem libenter ceteris, omnia sua bona in virtute posita ducētem. Quæ quidem virtus grauita sit, nihilq; foris quærat, quodq; omnium summū et prestantissimum est, omnibus in rebus, quid deceat, intelligentem: quæ est vna omnium difficillima generi

humano scientia. Ille enim decori splendor, quo ad Dei proximè imitationem accedimus, vsque adeò hoc tempore oppressus & perturbatus est, auaritia, ambitione, cupiditatibus ceteris, quæ tenebris & caligine animos hominum infuscât, vt ne minimam quidem partem luminis sui videatur obtinere: qui tamen è philosophia bonis ingenijs inferendus atq; insinuandus est: si qui videlicet sunt, qui verè magni viri, & in seipsis perfecti homines cupiant euadere. Nam quod ad regendos & moderandos alios pertinet, nulla est scientia, nulla ars omnino, ad hanc docendam prudentiam, quàm philosophia, præstantior. Illa enim cum in consilijs præpotentis Dei vestigandis atq; indagandis quotidie versetur, quibus ille hunc mundi complexum, tamq; immensam molem, et constituit ab initio diuina quadam sapientia & assiduè continet, vegetat, moderatur: verè dum erit credo, ne nos parùm doceat, quæ sit ratio optima gubernandi: & quemadmodum hominum cætus, quas ciuitates appellamus, regendi à nobis sint: cum præsertim in eo genere nil melius agere possimus, quàm vt omne nostrum consilium ad illa præcelsa & sempiterna Dei cõsilia referamus: qui ex illis bonis, quæ nobis suppeditat, nullum sibi ipse appetit: sed suis quibusdam maioribus multò, longeq; eximijs contentus est. Quam præclarissimam rationem nostræ virtutis, ac prudentiæ in gubernatione populorum exercende, sola philosophia tradere nobis & docere potest. Quemadmodum est de Pericle Atheniensi scriptum: qui cum illà Remp. quadraginta annos continuos rexisset, mirarèturq; boni

nes
dun
tan
tion
aud
end
que
max
hac
quic
scit
hort
soph
de v
port
IA
st

A
tutib
cesse
sti:
deno
mnic
buer
vt n
mis
quid

nes quī potuisset populum illum, suapte natura admodum insolentem, et fastidientem crebrò rectores suos, tam longo tempore gubernare: intellectum est, ea id ratione accidisse, quòd Pericles Anaxagora in Physicis auditor, & in illa rerum naturalium scientia, percipiendis naturæ consilijs exercitatus & doctus, animam quem summis rationib. erudierat, prudētiamq; quam maximam inde compararat, ab illis altissimis rebus, ad hæc inferiora tractanda agendaq; transtulisset. Sed quid ago? epistolam institueram scribere, ea autem crevit in volumen. Finem igitur faciam: teq; & orabo et hortabor, vt (quod aui voluntate fiat) ita ad philosophiã animū tuū applices, vt statuas, ex illa, nec aliunde vsquã, verã tibi laudẽ, verãq; dignitatẽ acquiri oportere. Vale. Romæ, XII. Calẽd. Octob. M. D. XIV. I.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. CHRISTOPH. MADRUCIO Episc. Tridentino S.R. E.
Card. S. P. D.

A Deum amorem, quẽ antea erga te susceperam, & ad eã obseruantia qua tuis plurimis magnisq; virtutibus à me tribuebatur, incredibile est, quantum accesserit ex eis literis, quibus proximè ad meas respondi: plenissimis amoris, officij, humanitatis, elegantie: deniq; talibus, quales à doctissimo, & liberalissimo, omnig; dignitate & prudentia ornatissimo homine debuerunt proficisci. Quib. ego certè ita sum delectatus, vt nulla re vnquã magis. Nã si diligere et probari à summis viris, homini nõ inhumano solet esse iucundissimũ, quid est in tuis literis, hoc quidẽ in genere, quod abs te mihi

mibi tributum non sit? Potuitne aut amantius scribi, quàm scriptum est, aut honorificentius sentiri de me, quàm abs te est factum? Quàmquam ego de iudicio ipso, quod tu de me facis, multum tibi remitto: de amore quidem nihil. Nā amari à te cupio, et volo: id quò quàm maximè: nec est quicquam quod mihi euenire possit optatius. In quo etiam enixurus sum, vt merito id meo à te fiat. Nō enim neque in amore, neque vlllo in officio tibi sum concessurus. Tanti verò fieri a te, quantum tua litera declarant, neque postulo, neque me admodum esse dignum arbitror. Sunt in me fortasse vmbra aliqua virtutū magis, quàm virtutes. Sed hæc tenues, & subobscuræ, nec illustribus satis ductæ lineamentis: quas cum tātò opere ipse auges atque ornas, facis tu quidē quod natura tua, et cædor animi eximius postulat. Sed in eo bonitatem, & liberalitatem, et virtutem tuam magis ostendis, quàm illustras meam. Quòd enim me cū Polo meo, tua opinione sententiāque cōiungis, homine summa eruditioe, summa pietate, summa prudentia prædito: optasque denos vtriusque nostrum similes, si fieri possit, existere: quorū fide, vigilantia, consilijs afflictæ Christianæ Reip. subueniatur: est quidem hoc & tua probitatis, ac religionis argumentum maximū: & eius opinionis, quàm de me habes conceptam, indicium insigne. Veruntamen scito, cū iam diu sit, quòd ego virum illum & colo, & admiro, nunquam me optare esse ausum, vt cum eo cōpararer: tantum sat mihi duxisse, si illius modo persequi vestigia, vel procul obseruando atque imitando possem. Itaque habeo eum & in vita, & in disciplina, & in omnibus

forēſibus, ſenatorijſq; actionibus, ducē ac magiſtrum. Quem quōd tu quoque tam ſtudioſē laudaſ & probaſ, periucundum id mihi eſt: propriumq; eiſdem preſtan-
 tiſ animi tui, de quo iam dudum loquor. Pares enim cū
 parib. (vt eſt in prouerbio) facile cōiunguntur. Sed mi-
 hi ſape in mētem venit optare, qualem voſ ambo Chri-
 ſtianam Rempub. eſſe cupitiſ, talis vt ea, ſi non homi-
 num opera, at diuino tandem aliquando beneficio con-
 ſituatur. In quo tua autoritaſ, & erga Deum religio,
 aliq; complures animi ingenijq; virtuteſ, plurimum
 eidem Reip. profutura ſunt. Sed de hiſ ſatiſ. Ego quod
 mei iam priuati erga te officij eſt, et maximas tibi gra-
 tias ago, habeoq; quōd tantam, & tam beneuolam vo-
 luntateſ erga me ſuſceperis: & tibi vicifiſim ſpondeo
 atque polliceor, qui maiore cum fide, ardētiore ſtudio,
 fidelioſe obſeruantia colat te & diligat, te non alium
 facile eſſe reperturum, quōd ſi venerit vſuſ vt re ipſa
 declarandum ſit, me tui cupidifiſimū ſemper eſſe cogno-
 ſceſ. Vale. Romæ, XIII. Calend. Febr. M. D. XLVI.

LAC. SADOLET. S.R.E. CARDINAL.
 Chriſtoph. Madrucio S.R.E. Card. S.P.D.

CVm huc allatum eſſet, fratrem tuum Aliprandum,
 virum clariſſimum, diem ſuum obijſſe: et ſi ego quo-
 que hoc nuntio grauiter eram perturbatus, quōd & il-
 liuſ mortui virtus, & mea in te beneuolentia commu-
 nem mihi eam calamitateſ faciebat: tamen non alienū
 duxi amicitia eſſe & coniunctioſe noſtra, que mihi ve-
 nirent in mentem ad tuum dolorem leuandū, aliqua ad
 te perſcribere. Non quōd dubitarem, quin à te ipſo cō-
 mode

modè & sapienter id fieri posset: sed quia forsitan dolore impræsentia impeditus, minus illa perspiceres. Atque ego, cum te ipsum absens intueor animo & cõtemplor, cumq; de virtute tua, de vsu rerum maximarũ, de optimis artibus, quibus es egregiè et liberaliter instructus, cogito: vix videor posse credere, te cedentem fortunæ oppugnationib. de statu discedere grauitatis tue. Rursus, cum mecũ reputo quem virum amiseris, cuiusmodi tibi frater sit ereptus, quò & quàm insigni lumine atque ornamento orbat a sit domus & familia tua: cogor ignoscere humanitati, & veniam dare, si mollius fortasse aliquanto fers, quàm constans & firma ratio magni hominis postulet. Sed tamen si quid tibi rei nouæ accidißet, quod apud ceteros esset inusitatũ et insolens, posses iure tu quidem propriam aduersus te fortuna inuiriã accusare. Sed si hoc omnibus planè est propositũ, vt moriendum sit: neq; vllum in eo inter claros & obscuros, senes & adolescentes, bonos & malos, omnino discrimen est: cur mœremus illius obitu, qui expleuit suæ ætatis cursum, si non annorũ numero, at certè rebus gestis, & magnitudine honorum, quos summa cum laude est adeptus? An non vides & cogitas, nõ modò in longa, sed mediocri etiam in ætate, omnibus propè mortalibus vsu hoc uenire, vt circumfusi strage amicorum & beneuolorum, quos varijs casibus amiserint, desertam propè à priorib. necessitudinibus, quæ maxime solent esse iucunda, reliquam vitam degant? Quod mihi quidem hoc tempore præcipuè & præter ceteros accidit: qui et multis antea partim cognatis, partim ho-

mini-

minibus amicissimis & iucundissimis, & proximè duo-
 bus propè animi mei pignoribus, Bembo meo, & Victo-
 ria Columna, sanctissima, atq; omni tū animi, tum in-
 genij laude præstantissima fœmina, priuatus sum. Sed
 quis finis lugendi sit, si cūctos quos amauimus, velimus
 amissos mœrore diutius & lacrymis prosequi? Nos ve-
 rò tollamus potius animos ad immortalitatis spem: &
 illud cœleste regnū quod nobis Deum in CHRISTO
 ritè colentibus, ab eodem Deo oblatū propositumq; est
 omnibus nostris viribus studeamus adipisci: intelliga-
 musq; nos ad agendum res præclaras, non ad plorandū
 esse natos. Sicut & ipse frater tuus optimè intellexit:
 qui in omnibus vitæ suæ consilijs & actionibus, non vt
 diutissimè viuere posset, sed vt fortem & illustrem vi-
 tam ageret, semper est meditat. Quem nūc ablatum
 nobis, & in eam vitam quæ multò melior est multoq;
 præstantior, cum suarum virtutum merito, tum diuina
 imprimis benignitate translatus, laude quidem debe-
 mus & pia commemoratione, non autem lamentis &
 complorationibus prosequi. Qui si vixisset, teq; quod
 potuit accidere, ante se vitæ functum lugere necesse ha-
 buisset: nōne vides, quæ ille in te fuit pietate & bene-
 uolentia, quàm duram et asperam fati conditionem sue-
 bisset? qui nunc ab omni eiusmodi cura periculoq; solu-
 tus, in summa gloria fœlicitateq; versatur. Atqui si illū
 amabas, vt profectò amasti, patere quæso meliōrē hōc
 esse illius conditionē, quàm tuam, quod ille in vera per-
 petuaq; letitia, tu inani nunc in dolore positus. Quē
 tamen dolorem dies tibi ablatura est, etiam si ratio &

virtus tua cessauerit. Quapropter vide quid tibi sit necesse: omnes de te ita opinamur, & sentimus, vt fortissimo & constantissimo homine sentiendum est. Qui si tuis tot alijs egregijs ornamentis, hanc vnā deesse virtutem senserimus, patientiam in rebus aduersis, & in retinenda animi firmitate constantiam: non nos quidem mirabimur, humanum enim hoc, & commune est peccatum: veruntamen non magni illius est viri, quem & tu prestare te debes, & nos optare vt talis ab omnibus esse cognoscaris. Ego beneuolentia erga te inductus, hac ad te pauca scribenda mihi duxi: quibus multo plura & meliora, & ingenium tuum, & quibus semper operam dedisti, doctrina studia tui suppeditabunt. Quod si aliquid erit à me his literis effectū, quod valeat vel ad mitigandum dolorem tuum, vel ad virtutem animi excitandam: habebō amicitia nostra magnam gratiam, quæ me hoc vt facerem non solum sua fit, sed etiā impulit. Sin autem tua prudentia ista nõ requirere, ego minus necessario officio fuero functus: tu tamen pro tua humanitate & bonitate, hac nostra ab optimo animo & propensissima erga te voluntate profecta accipies. Reliquum est, vt tibi redigam in memoriam, me ab eo tempore quo te amare cœpi, tuis humanissimis literis prouocatus, mansisse semper in amore, & mansurum esse: atque ita, vt dies potius allatura semper aliquid incrementi sit, quàm quicquam de me in te singulari beneuolentia detractura. Vale. Romæ, III. Idus Martij. M. D. XLVII.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. ADAMO ab epistolis Ferdinando Regi Rom.

S. P. D.

IOānes Marsupinus, homo ea comitate, eoq; ingenio, quod tibi quoque video esse notum, atq; idem in reb. gerendis summa fide, diligētia, assiduitate praeclitus, sepius olim ad me cū Roma abessem, de tuis virtutibus permulta scripserat: taleq; tibi testimoniū apud me dederat, vt ego te cū virum doctum atq; grauem, tum verò etiam imprimis prudentem, et iure istī clarissimo Regi gratum atq; probatum esse iudicarem. Posteaquā autem & idem ascripsit, & ego ad Urbem paulò antè reuersus, ex eis quas ad eum dedisti literis ipse perspexi, te non solum mei amantissimum, sed scriptorū etiā meorum perstudiosum esse, quae abs te vndiq; conquirerentur, vt quàm plurimum mecum quasi colloqui posses. Dicam id quod res est, in tantum tui studium & amorem adductus sum, vt continere me non potuerim, quin has statim ad te exararem literas: tibiq; et animū meum totum, et sensum patefacerem. Nam si quisquā est, optime & suauissime Adame, qui aliqua significatione alterius erga se benevolentiae capiatur, ego me eum esse confiteor: cui nil accidere possit optatius, quā à bonis viris, & tui similibus diligi. Nec verò fructum vllum in agenda vita maiorem aut vberiore percipi posse arbitror, quàm primū quidem mereri: deinde etiam si non ita planè mereamur: tamen adipisci aliquo casu, vt chara sit prudentibus viris atque bonis, nō modo salus nostra, sed etiam memoria. Quod quando non

tam meo quidem vilo merito, quàm tua præstati huma-
 nitate consecutus sum, vt abs te tantopere diligar, tan-
 tiq; fiam: nisi par tibi in omnibus officijs benevolentia
 exitero, hominem ipse me non putabo. Quamobrem
 velim sic tibi persuadeas: habeasq; certissimū, neminem
 esse qui tui amātor, quàm ego sum, esse posthac possit:
 omniaq; & studia & officia amicitia, in quibus ego ser-
 uandis ac retinendis admodū sum diliger, tibi ita à me
 prompta esse et parata, vt gratissimum sim habiturus,
 si mihi occasionem aliquam obtuleris, per quam mea er-
 ga te voluntas, & animus amicissimus perspici liquido
 possit. De meis scriptis nihil sane erat quod tibi pollice-
 rer. Habebam equidem inchoata nonnulla, sed nihil e-
 rat perfecti: nisi forte orationem libenter lecturus es,
 qua ego Casari pro pace Christiano nomini concessa
 superioribus mensibus gratias egi. Eius ego orationis
 describenda, si id voluerit, faciam Mar supino nostro
 potestatem. Atque ipsum Ioannem Mar supinum pror-
 sus amantissimum & studiosissimum tui, ei si minimè o-
 pus esse arbitror, tamen ita tibi commendo, vt maiore
 studio, magi sue ex animo, neminem cuiquam commen-
 dare possim. Amo enim iuuenem hunc mirabiliter: cū
 ingenio ipsius, & singulari probitate, tum plurimis er-
 ga me eiusdem officijs adductus. Quare sic existimes
 volo, quicquid in illum studij & benevolentia tua con-
 tuleris, totum id abs te in me collatum me esse iudicatu-
 rum. Vale. Romæ, V. Idus Iulij, M. D. XLV.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. DIDAC. MENDOZÆ S. P. D.

AB eo tempore, quo tu me primū Carpētoracti vidi
 sti, & cum illac iter in Italiā haberes, apud me in
 uitatus familiarissimè diuersatus es: ego iā tum cogna-
 ta et virtute et humanitate tua suscepi eū amorē erga
 te, quem etiam nunc summa cū fide tueor: neq; mihi lō-
 ginitas tēporis quod postea intercessit, neq; locorum
 distantia, quibus seiuncti fuimus, de meo iudicio quicq;
 beneuolentiāq; imminuit. In qua te eadē puto et amo-
 ris constantia erga me mansisse, & voluntate. Secuta
 sunt tempora quibus vterq; nostrum ad varias deinde
 & curas, & actiones vitæ distractus est. Ego in hanc
 urbem bis, tēruē accersitus, quanquam agerrimè à stu-
 dijs artium optimarum diuellerer, vitamq; illam pristi-
 nam plenam suauitatis & otij commutare nollem: ta-
 men Pontificis maximi imperio subire senatorij huius
 muneris onus, & publicis negotijs me dedere compul-
 sus sum. Tu Imperatorem Cesarē secutus, cuius magni-
 tudo plurimas orbis terræ & Christiana Reip. partes
 complexa est: probata illi fide, industria, & vigilantia
 tua, magnis ab eo saepe rebus & negotijs prepositus
 es. Itaq; ego vt proximè redij in hanc urbem, à qua ali-
 quot absueram annos, cum cognouissem te legatū esse
 apud Venetos Cesaris, munusq; illud egregia quadam
 cum dignitate & gratia sustinere: cogitavi illico scri-
 bere aliquid ad te, & renouare illius primæ cōgres-
 sionis nostræ per literas memoriā: vt si tu vinculū illud in-
 te tunc inter nos amicitia firmū retineres, ipse quoq;
 tibi ostenderē, me non esse tui neq; nostræ cōiunctionis
 oblitū. Sin te fortè graues alia occupationes atq; cura

ab hac de me cogitatione abduxissent, vt insinuarē rur-
sus me tibi, antequam totus plane ex animo tuo efflue-
rem: Scito igitur me nūc Romæ esse, implicitū quidem
his sollicitudinibus atq; curis, quas & rerum omnium per-
turbatio, & durissima tempora Reip. ferunt. Quamq̃
in hac occupatione animi, atq; molestia nitior eum tene-
re cursum, vt nō in sermonibus solum communib. qui
quotidie incidunt: sed etiam sententijs in senatu dicen-
dis meus in Repub. sensus, meumq; iudicium appareat.
Non enim desino hortari & monere, rectē iam agi ne-
cesse esse omnia, si saluam Christianam Rempublicam
sistere velimus, et veterem illam sanctitatē Christianæ
religiōis in mores et studia hominū reuocari oportere:
in qua imprimis sententia Pontifex ipse Maximus est.
Itaque datum ab eo est & legatis qui president, & cō-
cilio patrum qui conuenerunt, negotium, vt consulant
ipsi & considerent, quæ videantur esse corrigenda, q̃
eorum monitis atque consilijs ipsius diligentia & au-
toritas minimè defutura est. Quamobrem venio magnā
in spem, bene est actum iri cum rationibus publicis, si &
Casar tuus vnā cum Pontifice in hoc incubuerit studi-
um, vt in reparanda religione Christiana & Republ.
communis quoq; pacis, & omnium dignitatis ratio ha-
beatur: quod sublatis odijs disidijsq; illaq; æquitate a-
nimi moderationeq; suscepta, quæ Christianis princi-
pibus maximè digna est, ipso iuuante imprimis & opē
ferente Deo, si eum nos piē deprecati fuerimus, nō dif-
ficiliter poterit obtineri. Verū hac ad eiusdem Dei
præpotentis arbitrium summumq; concilium reijcien-
da

da sunt. Quod autem ad priuatum nostrum officium pertinet, ego te mi Didace, nō solum diligo, quod iam pridem facere institui, sed etiam in oculis sero, quod meis optatis de te tua virtus atq; industria mirifice respondit. Petoq; à te, vt cum iam propiores iam sumus, quā sui nus, facilisq; est inter nos missio literarum, ne me tuarum rerum inscium atq; expertem esse sinas: scribasq; interdum ad me, fructumq; hunc vel amoris, vel humanitatis tuæ mihi tribuas, vt ex literis tuis intelligam me tibi esse cordi. Quāquam (quod mihi fuit molestissimum) audiui te laborare quartana febre. Sed fretus prudentia tua, & verni temporis auxilio, quod iam appetit, confido tibi celeriter futurum quemadmodum cupimus: nepe vt valeas, firmusq; sis. Quod ex sententia tibi & tua & nostra vt contingat, Deum rogo supplex atq; oro. Vale mi Didace. Romæ. M. D. XLVI.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARD. HEN
rico Lusitano S.R.E. Cardinali, S. P. D.

Accepi literas tuas, plenas humanitatis atq; officij: in quibus quod mihi gratias agis, quod te mea sententia in sacrum collegium nostrum cooptandum duxerim, eiusmodiq; cooptationē non differendam in aliud tempus: quæ antequam locus mihi dicendi datus est, in senatu sententia valere videbatur: sed statim et in præsentia declarandam censuerim: facis tu quidem grato animo, agnoscoq; in eo humanitatem tuam. Sed ego in ea opinione sum, quæ claris & præstantibus viris officia tribuantur, eā non tam gratia ab ijs qui tributa sunt, quā gratulatione ab omnibus celebrari conueni-

re. Ego cum de tuis plurimis magnisq; virtutibus, qua
 & ad doctrinam, & ad religionem pertinent, multa
 saepe audissem, qua mihi penitus infederant in animo:
 essesq; tu praterea eius regis frater, quem nos penè v-
 num verè Christianum Regem hac nostra etate possu-
 mus appellare: purum atque integrum ab omni Chri-
 stiani sanguinis macula, fidem Christi sanctissimam lo-
 gè lateq; propagātem: quid mirum, si omneis meas cu-
 ras, omneis contentiones, omnia studia ad augendū ho-
 norem & amplitudinem tuam contuli? praesertim cū
 is sim, qui erga tales animos incredibili quodam studio
 benevolentiaq; afficiar. Quamobrem quod ego feci, id
 summo vestro merito à me factum est. Quod tu autem
 agis, ut mihi ex eo gratiam te debere agnoscas, magis
 id bonitati tuae, quàm vlli meo merito equum est assi-
 gnare. Sed de his satis. Illud quod est in literis tuis scri-
 ptū, quodq; ego plurimi facio, imprimisq; expecto à te
 vti praestes. Scribis enim te & fidei Catholica, et sedis
 Apostolicae auctoritati, quarū vtraq; magnis in hoc tem-
 pore procellis tempestatibusq; iactatur, paratum esse
 vel tuo sanguine subuenire, si ita res ferat: conaturūq;
 id facere omnibus tuis opibus, hoc maiore animo, quò
 iste honos, atq; istius amplissimi sacerdotij dignitas ma-
 iorem tibi facultatem eius rei agēda videtur allatura.
 Iste animus tuus, Henrice optime, tuaq; praestans atq;
 eximia in Christianam Remp. voluntas, ea est profectò,
 quae te superiorem omni honore facit. Tu verò subue-
 niet, (mihi crede) tuaq; opera plurimum et auctoritate
 Remp. adiuuabis. Quid enim est quod tanta virtus nō
 queat

que ita efficere, præsertim tot ornamenti fortuna et nobilitatis adiuta? Sed initium tam præclari operis, nisi ego fallor, tibi inde ducendum est, ut frater tuus, clarissimus Rex, veterem suam & suorum maiorum omnium in hanc sanctam apostolicam sedem observantiam: qua vestra regia familia et nomini vestro maximam semper laudem attulit, nullis hominum insidijs, nullisque machinationibus patiatur interrumpi. Quod non scriberem, nisi mihi quædam intuenti, nonnulla extimescenti, tu opportunissimo tempore visus esses vocatus ad eum honorem diuino propere consilio, in quo tue partes precipue future essent pacis & amicitie stabilis retinende. Quod quidem à tua virtute atque prudentia maximè expectatum est. Sed de his quoque plus etiam satis. Extremum est, ut tibi omnia tua studia mihi pollicenti, non solum agam, uti debeo, gratias: sed pari voluntate & benevolentia ita respondeam, ut amicitie fides, et honorum virorum mos & natura ipsa postulat. Quare sic habeto, me & permagni facere amorem erga me tuum, & in omnibus rebus, que ad dignitatem tuam pertinebunt, ea semper acturum esse, eaque sensurum, ex quibus meus vicissim amor in te summus, & singularis observantia appareat. Vale.
 Roma, XII. Calend. Septemb. M. D. XLVI.

IAC. SADOLET. S. RE. CARD. GE

orgio Cælio Lusitano

S. P. D.

Litera tua quas mense Septembri Vlixipone datas, ego ad tertium Idus Aprilis accepi, summam quandam
 T s 4 mibi

mihi atque incredibilem voluptatem attulerunt. Vidi enim in illis & perspexi, non solum qui tu vir esses, quo ingenio, qua doctrina, qua etiam eloquentia praeditus: sed etiam quantopere me diligeres: quo munere atque honore, à tali viro praesertim, nihil habeo quod vel optare possim praestantius: quanquam tu in me laudando aliquanto es effusior. Sed ut ego eas in me laudes non agnosco, sic benevolentiam tuam erga me amicissimè compector, parq; in me amoris & voluntatis studium refero tibi, atq; reddo. Poema tuum (quod patere omnibus necesse est) omni ex parte elaboratum & elegans, magnopere me delectauit: nihil enim video te subterfugisse in eo, quod ad mundiciem Latinae linguae, omnesq; in ea lepores & venustates pertineat, quas apud nos propè iam intermissas, & quasi obsolescentes, tu homo non in Latio natus, tam diligenter confectaris & exprimis, ut aut mutata hominum locorumq; conditio, aut Latiū hinc ad vos videatur esse translatum. Sed ut caetera in tuo carmine digna approbatione, sic illud maximè laudandum extollendumq; est, quod vere atque incorrupta religionis patrocinium praestas: quae religio in hoc tempore calamitoso, oppugnata vndiq;, atque vexata, quò pauciores habet à quibus & legitime & fortiter defendatur: hoc magis ipsa suorum defensorum & nomen & memoriā tueri debet: & cum illis praemia apud Deum in mortalia parata sint, humanos quoque honores impartire. Quorum quidem in numero te egregias tenere partes, praecleara illa Christiana patientia, quam carmine

mine tuo tam accuratè illustras, vel in primis ostendit.
 Sed hac hæctenus. Ego & beneuolentiam erga me tu-
 am magni facio, & meam tibi non minorem pol-
 liceor: tibiq; hoc sic persuasum esse volo,
 me in omnibus officijs, quæ fidelis ami-
 citia requirat, nec studio, nec vo-
 luntate tibi vnquam defutu-
 rû. Vale. Carpentoraët.

V. Nonas Maij.

M. D. XL.

IAC. SADOLETI S. R. E.
 CARDINALIS, EPISTOLARVM
 LIBER XVI.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. AL-
 BERTO PIGHIO CAM
 penfi, S. P. D.



VOS libros de Hierarchia ec-
 clesiastica principatu cum lege-
 rem, plurimaq; in illis inueni-
 rem, quæ tua cura & diligentia
 in lucem è tenebris, quasi vetu-
 statis prolata sunt: scaterèq; ibi-
 dem omnia optimis & sententijs

& autoritatibus cernerem: equidem ingenium, & do-
 ctinam, & notitiam tuam rerum antiquarum sum

Tt 5 admitt-

admiratus. Probitatem autem & religionem illa mihi
 res etiam in te ostendit, quod vidi & cognoui,
 te opimo animo & consilio adductum, quod Christiana
 Reipublica tot malis detrimentisq; affecta, opem pro
 tua parte ferres, tantum negotij & laboris suscepisse.
 Quae res, & mea simul propensa in doctos probosq; ho-
 mines voluntas, effecit, vt has ad te instituerem da-
 veliteras, quibus tibi indicarem, cum mihi vehemen-
 ter tua scripta probentur, pietatem tamen, & vo-
 luntatem tuam, multo etiam magis probari. Itaq; qd
 solet sequi necessario, vt cum de quopiam bene existi-
 manus, illum etiam diligamus: scito, me tantum susce-
 pisse benevolentiae erga te, vt si quid extiterit, quod ti-
 bi ex me commodum aut honorificum possit accidere,
 neminem qui me vincat in amore & studio tibi grati-
 ficandi sis habiturus. Ego Romae non eram cum has scri-
 bebam literas: sed in ecclesia mea Carpentoraecti, quod
 Niccaea veneram, vt ex longo & difficili morbo perdi-
 tam propè valetudinem recrearem: quibus in locis hy-
 ems me oppressit. Nunc in Italiam & ad Urbem cogi-
 tabam: quod cum his paucis mensibus, vt spero, peruen-
 ero, (si mihi id Dei benignitate saluo facere licuerit) i-
 ta memoriam tui, & meritorum tuorum apud summum
 Pontificem Collegasq; meos sanctae Rom. Ecclesiae Car-
 dinales excitabo, & calefaciam: vt & ipsi, & ceteri
 omnes intelligant, doctis & excellentibus viris, quan-
 quam alienigenis & absentibus, magnos tamen fauto-
 res in vrbe Roma non deesse. Nec tamen praetermittam,
 quin inter eadem ad Pontificem Max. literas, debitum
qua

que impertiam tibi & virtuti tuae apud illum testimonium: quòd hoc triduo omnino sum facturus. Sed quòd ad priuatas meas cogitationes attinet: scito Alberte doctissimè, me ex tuis libris in maximas angustias & solitudines animi coniectum esse. Versabar enim in eisdem planè studijs, & in eodem argumento elaborabā: iamq; confeceram bonam partem lucubrationis meae, cum tui ecce libri mihi inopinanti aduenerūt. Nūc quò me vertam nescio: si pergo atq; insisto, videbor omnia abs te esse mutuatus. quid enim tu cuiquam reliquisti, quòd is tanquam nouum aut inexpectatum possit dicere? Si desino, durū erit frustra à me susceptos fuisse tot labores. Quid igitur agam? quid? opinor id, quòd veteres etiam philosophi & iureconsulti faciebant, eisdem de rebus, alio modo. In quo hauriam de fontibus quoq; tuis: nec me tantum scriptorum tuorum excellentia deterebit (quanquā deterret illa quidē, & vt quiescam suadet) quātum adiuuabit copia: quae facit, vt maiore etiam animo quàm antea, & minore meo cum labore, confidam, spatium me curriculum mei, in quòd ingressus sum, bene & celeriter esse confecturum. Vale, & nos tui amantissimos dilige. Carpentoracii, III. Calend. Martij, M. D. XXXIX.

LAC. SADOLET. S.R.E. CARDINAL.

Lazaro Bonamico.

S. P. D.

Aduentus ad nos Florebelli nostri, cum mihi per se magna voluptati fuit: tum eò etiam gratior, & in
cun-

cundior, quodd & tuas is mihi iatis literas, & percontationibus meis quas habui de te, peritissi ne respondendo, omnia tua diligenter est persecutus. Quo quidem sermonis genere, in quo videlicet Lazarus meus, is & amicus, & vir, quem ego & iudicio animi, & studio, & benevolentia complector propè singulari, vltro citroq; versatur, nulla facile possum reperire suauis. Illud cupissem, ut te tuae occupationes non detinuissem, quo minus ad me longiorem epistolam mitteres. Non enim dici potest, quam libenter tuas epistolas legam, & quidem longissimam quanque libentissime: ut illas legens, tecum mihi videar loqui. Quodd si olim in colloctionibus nostris, illud inerat & vsitatum, & dulce, quodd liberè, & sine cura vlla, sine cautione inter nos effutiebamus quaecunq; in buccam venerant, quam nobis licentiam familiaritas dabat. qui nunc conuenit restrictos esse in scribendo, cum liceat eadem fiducia & libertate loquendi literas conficere, qua sermones conferebamus? Sed tu vereris fortasse, ne tibi in epistola tuas facundiae opes explicanti, postea cum è suggestu iuuentutem doces, contra causidicos desit oratio: quorum tu, quanquam optimus dialecticus es, captiones tamen vitare nequiuissti. Quid vis fieri? sua cuiq; hominum generi sophismata sunt, quibus captent aduersarios, & in laqueum inducant. quanquam capitaliora fortasse qua aurum, quam ea qua mentem ex suis educant locis. Sed quid ago? cum ad iocandum minimè idoneum tempus sit: & ego id non cogitans, ad veterem inter nos consuetudinem sic garriendi relapsus sum. Nā
 si ve-

si verū scire vis, mi Lazare, ego cū has scriberem li-
 teras, & in maxima eram solitudine de Repub. quā
 vides ipse profectō quo in statu, vel potius quo in mo-
 tu posita sit: omnia quidem vt aduersa in ea, & aspera
 horrere debeamus. Et tantum doloris acceperam ex
 morte summi viri, mihi collega, omnibus & amoris, et
 officij vinculis coniunctissimi, Federici Fregosij, vt ad
 huc animus illo vulnere ager, ex mœrore & tristitia
 recreari non posset: cui tamē vulnere paulum quid me-
 dicamēti lenioris induxit tui absentis recordatio. Nūc
 reuisceret dolor, nisi eum ego ab huius argumento e-
 pistola penitus exclusum vellem: praesertim cū alia
 quadam mea lucubratiūcula tanti viri obitū satis sim-
 lamentis persecutus Eam schedam ad te perferet Pau-
 lus Sacratius meus, quem ego cupientē iamdiu vestrum
 istud gymnasium Patavinum inuisere, & in eo dare o-
 peram non studij solum artium optimarum, sed studio-
 rum etiam in disputando & cum aequalibus disserendo
 exercitationibus, libenter ad vos dimisi: tua si etus im-
 primis humanitate, & in nos beneuolentia: non enim
 dubio, quin cum tu sis eodem loco habiturus, quo ego
 habere soleo. Itaq; illum ne commendo quidem: satis e-
 nim tibi nostrae amicitia commēdat. Tuam ad Donatū
 Rullum epistolā legi perlibenter, non solū quia disertē
 et eruditē scripta est, ita vt accedat ad antiquitatis lau-
 dem: sed etiam, quia ad hominē eum missa est, quem e-
 go mirabiliter diligo, tum virtutibus eius, tum etiā offi-
 cijs erga me, vel beneficijs potius prouocatus: cui ipsi,
 quaso meis verbis dicito, si nos dignos statuerit, quos
 ali-

aliquando in hac loca veniens inuisat, permaguum me
ex aduentu eius, et ex conspectu latitiam esse capturū.
Vale mi Lazare. XII. Calend. Octob. Carpentoraeti.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDI.

Romulo Amalæo.

S. P. D.

Venienti isthuc Iacobo Bordingo, qui Schola Car-
pentorctensi triennium praesuit, optimo viro, &
Graecis Latinisq; literis eruditissimo, non potui nihil
ad te literarū dare: tum vt cōmendarem tibi hominē,
quem medijsfidius ego singulari benevolentia comple-
ctor: tum etiā, tu vt agnosceres, memoriam me tui cū
summa item beneuolētia retinere. Is ea de causa Bono-
niam proficiscitur, vt quoniā dedit aliquot annos me-
dicina operam, id studij & laboris in ista vrbe perfici-
at, doctorumq; iudicio statuatur dignus, qui ipse quoq;
possit eam ciuibus suis artem & scientiam profiteri: &
illud magna cum ingenij & doctrina laude adepturū
esse confido. Nūc, etsi non dubito mi Romula, quin quē
ā me, & diligere et probari intelligis, eum sis tuis studijs
atq; officijs omnibus prosecuturus: tamen sic volo te
existimare, vix quenquam inueniri posse, in quo tua
mibi officia accidere possint gratiora, quā in Bordin-
go, cui omnibus de causis meritō amicissimus sum: cu-
pioq; eum quā maximē et celebrari et ornari. Quod
tu praeter ceteros egregiē mihi prestare potes, qui
praes Bononiensi iuuentuti, & elegantibus ingenij
domi-

dominaris, in ea vrbe natis, è qua eruditio, & optimarum artium disciplina, in has transalpinas nationes dimanasse creditur. Porro autem hac sunt qua ego te posco: Primum vt diligas hominem ipse, & charum habeas: deinde, vt eidem doctos islbic viros concilies, reddasq; eum, & meo, & tuo testimonio omnibus notum. Postremò, vt cum publicè iudiciù de dignitate Bordingi per doctorum collegium fiet: tu cum tuis omnibus vestro eum comitatu frequentiaq; honestetis. Quamq; summa postulatum meorum hac est: te vti ita geras aduersus Bordingum, amore, studio, diligentia: vt intellegat ipse, meam hanc sibi commendationem apud te plurimùm profuisse: egoq; in hoc homine experiar, id quod tamen iam pridem scio, me abs te non solum diligi, sed etiam vehementer amari. Vale mi Romula. Carpent.
 IIII. Calend. Octobr. M. D. XL.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARD.

Scipioni Blanchino,

S. P. D.

Bordingus meus suis literis, qua tamè ad me tardissimè sunt perlata, de eius rebus scribens, qua islbic ipsi honoris sui comitia obeunti, valde feliciter & exsententia processere: cum multa multorum erga se officia commemorat plena amicissimi in me, qui illum absens meis literis commendaram, studij & beneuolae voluntatis: tum tibi dat precipuè, summa erga se humanitatis, & praestantis cuiusdam liberalitatis testimoniù: sacillig; tuo diuersatum se esse apud te, & domo tua,

tanquam sua comiter ac iucundè vsum esse perscribit. Quod ego mi Blanchine in eam partē accipio, vt quam tu omnium doctorum virorum & fautor, & obseruator sis: tamen hoc mihi in ipso Bordingo honoris abs te atq; officij tributum esse non dubitem. Nō enim sum oblitus, cū ego olim isthac iter facerem, Bononiāq; venissem: te mihi ad hospitium publicum praesto fuisse: inuitasseq; domum tuā studiosè, & omnia signa egregij cuiusdam amoris mihi ostendisse. Qua ego tua tum humanitate cū non essem vsus, quod mihi iter instabat preproperum ac necessarium: recordor tamen, perinde me habuisse, ac si & tecto, & opibus tuis ex labore via planè recreatus fuissem. Neq; verò postea (vt sum natura factus) ex animo vnquā excessit meo, illius tui facti officijq; memoria, nunc in Bordingo ipso renouatum per te, factumq; est excitatius: quod nō obsoleuerat quidem in mente mea, sed se ad occasionem aliquam tempusq; reseruabat, studium meae quoque tibi vicissim beneuolentiae aliquibus tibi signis indicijsq; declaranda. Quod quoniam propter diuturnam absentiam meam re ipsa efficere difficilius videtur esse, et spissius: iccirco has ad te interim dare institui literas, quibus tibi significarem, animum tuum istum erga me, & mihi perspectum iam pridem, & nuper in Bordingo a pertiorem etiam factum fuisse: quē tu honoris mei gratia tam honorificè amanterq; tractaris. Quod si locum mihi fortuna praeberit, vt possim, quanti te faciam, et quid tua causa velim, quē admodum quidē cupio atq; opto declarare: perficiam vt intelligas, te homini gra-

tisi-

rissimo, & similitum tui amantissimo, praestitisse ea offi-
 cia, qua non ideo solum per magni aestimanda sunt, quod
 à benevolentia & amore proficiuntur: sed etiã quod
 gignunt ipsa & procreant summam benevolentia: quã
 iam inter nos mutuam constat esse, & à mea par-
 te cõsciũs mihi sum, & è tua confido. Tu mi Blanchine
 da operã vt valeas: nosq; fac absenteis vt diligas. Mat-
 theum Curtium medicum apud nos insignẽ, & doctissi-
 mum hominẽ, Romulum, totamq; simul Campegiorũ
 domum, qui omnes in Bordingo suum mihi animum et
 amorẽ patefecerunt, meis diligentissimẽ vt salutes ver-
 bis, gratiasq; cunctis hoc nomine agas, etiam atq; eti-
 am à te peto. Carpentoraacti.

IAC. SA'DOLETVS.S.R.E.CARDINA.

Prospero Sanctacrucio

S. P. D.

Magna me voluptate affecerunt litera tua: ex qui-
 bus perspexi, vigere apud te & memoriam amici-
 tia nostra, & studium propensa erga me voluntatis:
 quam ego habui semper carissimã, ab eo tempore vsq;
 quo tu Patauij optimis artibus operã impendens, non-
 nulla iam illhinc ad me tui amoris indicia misisti. Quo-
 quidem tẽpore memoria teneo, me dupliciter ex te le-
 tari esse solitum: cum ab eisdem testibus cognoscerem,
 & quantum tu mihi tribueres, & quantum ceteris i-
 pse equalib. tuis, qui tunc in eodem versarentur cursu,
 industria & omni laude ingenij antecelleres. Securum
 est tẽpus, cum fuimus Roma: omniaq; ea qua inter nos
 intercesserant tanquam elementa & semina futura sa-

V u

milia-

miliaritatis, cōgressu nostro mutuisq; sermonibus alta, educta, confirmataq; sunt: nostraq; coniunctio in eum statum adducta, vt et tua mihi obseruātia, et meus tibi animus amorq; patuerit. Sed quorsum hæc? Vt intelligas, mi carissime Prosper, ea qua tu scribis in literis tuis, de tuo studio & beneuolentia erga me, deq; ea fide ac diligentia quam in causis meorum sis præstaturus, et si iucundissima mihi fuerint legenti literas, tamen etiā sine literis, animo mihi præcepta, ac minimè dubia fuisse. Carolū quidem meum optimo iudicio vsum esse video, qui te & Aragonium nostrum patronos populis meis asciuerit. Quid enim mihi vtriusq; vestrum fide, doctrina, beneuolentiāq; exploratius? Equidem laboro meorum ciuium causa: idq; me & iuste & piè facere iudico. Agitur enim illorum res: meum autem officium: quod ego ita sanctè diligentēq; tueor, vt nihil sit omnino quod habeā antiquius. Quod si in humanis actionibus & negotijs, valuit semper apud me ratio officij plurimum, quid facere debeo in diuinis? Ex Deo enim est hæc, non ex hominibus, que mihi cum his populis necessitudo contracta est: quā ego dum integrè casteq; custodio, si minus seruiuo commodis & vtilitatib. meis: illos tamen fructus multò vberiores consequor, quod pacatus intus, & totus mihi concors, optima cum spe viuo. Cū igitur mei huius laboris atq; officij bona partem ad vos delata vel potius mihi cōmunicata sit vobiscū: peto ambobus à vobis, vt eiusdem etiam mecum & studij & cura participes: esse velitis. Quanquam non tam hoc petere, quam me vobis gratias agere oportet:

tanta

tanta mihi satisfaciendi voluntas in literis est declarata. Cuius ego certè memoriam perpetuè conseruabo. Vale mi Prosper, & tibi ita persuade, me si facultas & occasio assuerit, fautorem semper fore & amplificatorem tuæ dignitatis. Aragonio plurimam dic meis verbis salutem. Carpentoraçti, Pridie Idus Ianuarij, M.D.XL.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARD.

Ioan. Baptistæ Speciano

S. P. D.

Sicuti mea & natura et consuetudo erga amicos postulat, facio hoc & sepe & libèter, vt absens te absentem meis cogitationib. proponam: gratamq; recollectionem vsurpem, cum virtutis tuæ, tum mutue beneuolentiæ nostræ. Quin illum quoq; diem, quo postremò fuimus vnà, sermonemq; totum, quem cõtulimus inter nos, in memoria semper habeo: cum tu mihi Carpentoraçte redeunti ad portam Mediolani in diuersorio præsto fuisti: mecumq; primo amicissimè conquestus, quod non introissem in urbem: quod nec tuo, nec summi viri fortissimiq; ducis Alfonso Dauli hospitio essem vsus: cum tibi mei facti atque consilij rationem attulissem, consulisti boni: ad eaq; officia mihi tribuenda conuersus, quæ maximè tempus illud meum, & itineris ac periculorū quæ impendebant, ratio requirebat: nihil prætermisisti, quod vel in me adiuuando, studium tuum atque amorem vel in docendo & commonesfaciendo, prudentiam desideraret. Quo quidem tempore illud mihi fuit iucundissimum, quod vidi, tibi quoq; quem ego alio

niozem ab huiusmodi sententia fore arbitraber, meum
 relinquendi res propemodum perditas, & in solitudi-
 nem abeundi consilium, probari. Habebat autem nonni-
 hil controuersia & disceptationis res: virum liceret
 homini hoc honore praedito, partesq; eas in Republica
 obtinenti & autoritatis & scientiae, quas longa iam a-
 tas, & vsus rerum plurimarum mihi attribuerat, disce-
 dere à consilijs publicis, & ad priuatas cogitationes se
 referre. Quauquam, hoc quidem modo re proposita,
 nulla videretur esse excusatio, quae me vindicare à cul-
 pa et peccato posset. Quo quid homini, ea quae gerat,
 rectè atq; ordine gerere cupienti, posset accidere gra-
 uius? Exponamus igitur causam alio modo, & ita qua-
 ramus: vtrum licitū sit homini in aliquo munere publi-
 co & honore posito, cum aduersis omnium voluntati-
 bus videat nihil se proficere posse, quod ad Reip. per-
 tineat salutem: habeat autem idem domi & priuatim
 praclaras genere actiones, in quibus versari & se ex-
 exercere commodo eiusdem Reipub. queat: dimittere ca-
 rras publicas, et ad priuata studia se conferre quae pra-
 sertim nihilominus in publicam vtilitatē reditura esse
 videantur. Sic enim proposito statu causa, facilior erit
 explicatio vera rationis, & mei facti defensio. Nam si
 ego operam meam vtilem esse Reipub. existimans, sub-
 traherem me à negotijs publicis, & otij fruendi ac de-
 sidia causa Urbem curiamq; relinquerem, ne me ipso
 quidem iudice, à maximi criminis culpa esse absoluen-
 dus. Etenim quid cogitari potest iniustius, quam si quae
 habeas animi aut ingenij bona, quae in communi homi-
 num

num utilitate elucere possint, ad eaq³ exhibēda, tui ho-
 noris munere atq³ officiosis obstrictus: nō illa ad publi-
 ca emolumenta conuertere, sed querere tibi ipsi priua-
 tim otium, cum tuus labor proficere ad plurimorum ho-
 minum fructum & commoditatem possit? Vera haec
 est ratio, neq³ excusationem habet huiusmodi volūtas.
 Sed si, quōd res collapsa in suum ordinem et locum resti-
 tuerentur, veraq³ regendi & gubernandi ratio à prin-
 cipibus nostris iniretur: neq³ temeritati, & fortuna,
 cupiditatibusq³ incōsultis permitterētur omnia, multa
 saepe à me & dicta & tentata sunt: nihilq³ praetermis-
 sum, quod vel ad docendum, vel ad cohortandū vel ad
 rogandum etiam valeret: porro autem nulla mea sint
 in Republica praeterquam sententiae dicendae, & con-
 siliij explicandi partes: quid facere debui, postquam o-
 mnia conatus, niti me frustra, et laborare intellexi? An
 cōtra fluctum statumq³ (quod aiunt) nauigio tenui, re-
 mis velisq³ contendere? Quōd si spes aliqua tamē exti-
 tisset melius fore aliquando: & si isti, quorū imperium
 summum est & potestq³, non praecipitanter prorsus &
 praeuptè, sed cum timiditate tamen et cautione aliqua
 in ea consilia se conijcerent, quae sunt & ipsis pernicio-
 sa, & Reipublica potuissem aliquandiu forsitan dolo-
 rem pati, potuissem occasionem expectās dissimulare,
 quoad veniret tempus, in quo ex mei animi sententia,
 quae certè in hoc genere rectissima & sanctissima est,
 possem opem ferre auxiliumq³ Reip. cū conatus meos,
 & labores omnes, quos pro illa suscipere, fore illi substi-
 dio, nec cauros irritos existimarē. Cū verò nostri prin-

cipes, qui maximè tueri et regere Christianam Remp. deberent, nihil videantur sibi habere propositum, nisi exitium & euersionem earum ipsarum nationum, quarum precipuè salus à prepotente Deo illorum est fidei commendata, & credita: cumq; ea illi sola consilia exquirant, et appetant, que sibiipsis, ommissa consideratione Reip. arbitratur utilia: (in quo falluntur quidè sed doctorem monitoremq; nō recipiunt) seseq; ita gerāt, vt quasi mercede à Barbaris hostibus Christiani nominis conducti, operam illis ipsis in profliganda re Christiana strenuam studeāt nauare: quid me tādē agere consulerē oportuit? Spectatorē me communiū miseriarum constituere? Et essem tam ferreo animo preditus, vt atrocitatem illius spectaculi perferre possem? Qui enim mœror meus in calamitate tot populorum, qui animi dolor esset? qui non mihi corporis vel asperrimus cruciatus, leuior tamen illa acerbitate accideret? An cum in hoc communi tãquam nominis et generis nostri incendio, omnes ferè non ad auxilium, sed ad direptionem conueniant, ego quoque particeps aliqua ex parte illius prada esse debui? At mihi prius milles mors acerba eueniat, quàm vt illiusmodi culpã labemue vllam suscipiam: de qua ne cogitari quidem posse sine scelere & parricidio ab homine vllō puto. Ergo id, quod fuit reliquum, atque solum, sumpsit mihi, & constitui: concedendum mihi esse in ea loca, quod nec Pelopidarum nomen, neque facta mea ad aures perlaberentur. Quod etsi non omnino assequor, multas habeo tamen & incundas à molestissimis hisce curis et
soli-

solitudinibus animi auersiones, quas mihi potissimū
 præclara artium optimarum studia suppeditant. Et si
 verum scire vis: ego cum viderem multis & varijs mo-
 dis ac impugnationibus labefactam rem religionemq;
 Christianam: habereq; eam hostes & externos & do-
 mesticos, qui hoc etiā deteriores perniciosioresq; exi-
 stunt, quod illi externi, bona hæc terrena sua sponte ca-
 duca per seq; interitura, nobis eripiunt: hi cælū, & pa-
 trium illam beatam atq; sempiternā conantur eripere:
 qua ad vim hostilem reprimendam idonea sint arma: at
 que consilia, ea principibus terrenis à Deo permittita
 sunt, si illi nutum & voluntatem summi Dei uoluerint
 attendere. quibus verò praua huiusmodi optiniones,
 que in CHRISTI fidem veramq; et puram Dei
 religionem, magno cum omnium salutis beatæq; vitæ a-
 mittendæ periculo, non diu antè irruerunt, coercean-
 tur, & retundantur: illa ego mihi sumo, et ad hoc opus
 saluberrimum atque sanctissimum studium, operā, la-
 borem, curam, diligentiamq; meam omnem polliceor
 atq; profiteor. Itaq; si meis optatis Dei benignitas af-
 fuerit, opera ea sum effecturus, que si non magnitudi-
 ne & numero, at perspicuitate & intelligentia, certè
 multa fidei in CHRISTVM nostræ miseria ita a-
 pertam in lucem proferent, vt velut magno illato lumi-
 ne, facile sit futurum vnicuiq; qui animū modò equū
 attulerit, ad cognoscendum, inter verum atque falsum
 discernere & iudicare. Quod meum consilium cū ma-
 ximè ad commodum & summam Christiane Reipub.
 spectet vtilitatem, eiusq; ad partem illam tuendam fo-



uendamq; pertineat, quæ præcipuè agra, eademq; nomi-
 ni Christiano maximè salutaris sit: ego qui ex illis
 fluctibus in hunc portum me recepi, & in eis commo-
 ror nunc locis, vbi plurimum illi opitulari & prodesse
 queam, non deseruisse curam cogitationemq; de Repu.
 sed illam nunc demū verè & vtiliter suscepisse sum exi-
 stimandus. Sed, vt ad prima redeam: cum antea te dile-
 xissem, & virtutibus tuis multis, & etiam officijs erga
 me prouocatus: tum verò extremus iste congressus no-
 ster, prudentiam maximè mihi tuam et aequitatem ani-
 mi probitatemq; aperuit. Vidi enim, vidi, te & lugere
 eosdem Reip. casus, quib. ego afflictor: et eodem animo
 appetere honestum otium, quo ego id sum consecutus.
 Quod etsi foelicius mihi obuenit, quàm adhuc fortasse
 tibi: magnum tamen præ se fert probi & sapientis ani-
 mi indicium, illa eiusmodi mens, quæ tædio malè rerum
 contractarum, & exitum sibi, & facultatem fruendæ
 libertatis querit. Quod solet accidere fermè ijs, qui
 optimo ingenio & natura ingenua in lucè editi, postq̃
 diu versati in principum negotijs, aliquando perspexe-
 runt, quàm illa aliena à trāquilitate animorū, vel po-
 tius inimica beata & iucundæ vitæ sit viuendi ratio:
 quippe quæ tota angoribus asiduis, maximisq; sollicitu-
 dinibus, tanquam sentibus & spinis, intestinos sensu
 nostros lacerat atque cruētat: aut è vestigio si possant,
 aut saltem pedetentim & cautè, illis sese laqueis & cō-
 pedibus conantur exoluere. Quæ cum in viroq; nostrū
 similitas voluntas sit, eodemq; ambo studio, optimis et ar-
 tibus et literis dediti simus, ad multas & graues nostra
 con-

coniunctionis mutuaq; benevolentia causas, hac quoq;
 similis sensus & communium studiorum ratio, tam ma-
 gni momenti pondus affert: vt ego amorem quem erga
 te suscepi, quoad vixero perpetuum sim seruaturus.
 Quod vt de me tibi polliceor, sic mihi vicissim de te
 persuadeo. Tu, si eiusdem tibi erga me animi conscius
 es, id mihi literis tuis si declaraueris, facies rē mihi ve-
 hementer optatam atq; gratam. Alensum Daualum,
 cuius ego virtutem, nobilitatem, magnitudinem animi,
 mirifice & cultu & benevolentia mea prosequor, vt
 saluere iubeas meis verbis, summeq; me ab eo cupere di-
 ligi illi vt confirmes, magnopere a te peto. Vale. Car-
 pentoracti, Idib. Septembr. M. D. XLIII.

IAC. SADOLETVS SRE. CARD.

Ioan. Bernardo Feliciano

S. P. D.

ET si in summa expectatione eram, post Rulli mei li-
 teras, quibus ad me de Appiano Alexandrino scripse-
 rat, illius libri habendi, mea q; in eo legendo explenda
 cupiditatis, qua diu fueram huius egregij (vt ego sen-
 tio) scriptoris ipsius lingua cognoscendi, non mediocri-
 ter accensus: tamen non exiguum fructum eius mora,
 qua mihi afferebatur, tuas accepi literas: quae, et qui tu
 vir esses, & quam benevolentiam erga me suscepisses,
 planè mihi indicarunt. Sunt enim amanter prorsus, &
 perdisertè scriptae. In his quòd tarditatem negotij tan-
 toperè excusas, tua quidè diligentia mihi vehementer
 grata: sed excusatio nō ita necessaria fuit. Facile enim
 intelligo, ea quae aliena fide operaq; gerantur, non ad-

modum sepe respōdere votis eorum, qui suum in ijs re-
 bus officium agi putant. Quod tamen officium magis à
 te ex humanitate tua susceptum est, quàm quòd ego de
 te vlla in re bene sim meritus. Sed tamen quicquid est,
 quod abs te actū est mei honoris causa, id mihi prorsus
 non modò accidit gratissimum: sed magnā etiā curā
 attulit, vt si fuerit occasio, coner te cōpensare non im-
 pari munere, presertim cū videam quanta cum dilige-
 tia & literarum elegantia scriptus liber, idemq; à glu-
 tinatoribus quàm aptè & cōpositè concinnatus sit: in
 quo amoris & liberalitatis primas Rullo partes, tibi
 secundas sine dubitatione defero. Agoq; propterea am-
 bobus vobis magnas graias. Tibi autem, qui me in tuis
 literis eis laudibus exornas, quas ego non agnosco: to-
 tumq; id refero amorem ad eundem, qui tuus erga me
 mihi iam perspectus est: his meis Feliciane literis hoc
 respondeo: te, etsi nequaquam antea mihi fueris notus,
 tamen hoc recēte officio ita animo in sedisse meo, vt qui-
 dem te posthac in meorum amicissimorum numero ha-
 biturus sim. Neque id solum, verum etiā optaturus,
 locum & tempus aliquod mihi dari, quo tu me itē tui
 amantissimum esse intelligas. Vale. Carpentora acti, Idibus
 Iunij, M. D. XLI.

IAC. SADOLETVS. S. R. E. CARDI-
 nalis Donato Rullo
 S. P. D.

SAt longum interuallum factum est, ex quo ego tuas
 literas accepi, XII. Cal. Aprilis Venetijs datas: Quae
 etsi summam significationem tui erga me amoris habe-
 bant,

bant, erantq; ita scripta, vt nihil illis suauius, nihil ingenii animi liberalisq; natura significantius fieri posse videretur: tamē quoniam habebant Appiani Alexādrini mentionem, teq; adhibuisse diligentiam, vt is liber Gracē describeretur, mihiq; mitteretur, indicabant: non putavi mihi quicquam rescribendum, quod certum scirem, quō allatus ille liber, & cuius fidei ac diligentia mihi reddendus commendatus fuisset. Nihil enim erat de hac re in tuis literis scriptum: neque valebam coniectura assequi, vnde illum mihi, aut quo pacto accersendum putarem. Quō cū longius duceretur, e-goq; in maxima expectatione tui mihi optatissimi muneri essem: recordor scripsisse ad Primum, talem virū, qualem tu quoque existimas: hoc est, omnibus ingenij, officij, virtutisq; ornamentis praditum: vt is re explorata, quamprimum hac me expectatiōe liberaret. Qui cū ad me ipse scripsit, tū misit etiam Ioānis Bernardi Feliciani (hominis docti, & vt perspexisse videor, mei quoque studiosi & amantis) literas: ex quibus dupliciter latatus sum, quōd in eis luculentum inerat testimonium & tuā singularis beneuolentiā erga me, & item suā. Neque tamen statim liber tunc vnā cum literis, sed post aliquot dies, mihi tādē redditus est. Quē ego, mi suauissime Rulle, ea cum animi latitia accepi, qua solent, qui magnum honorem aliquem aut regnū concupiuerūt, ad sui desiderij exitum peruenire. Nam mihi quidem regnum atq; honos litera sunt: in quibus ita versor, vt non ex illis lucem aut gloriam, sed moderationē animi, & regulam quandam vitæ pacatius tra-
 ducent-

ducenda, mihi sumendam putem. Porro autem hūc autorem semper imprimis admiratus sum, prudentiamq; in eo penē singularem cognoui: et si cū Latinum legerem, neq; verba satis in eo, neque sentētia constabant: perspiciebam tamen in eius scriptis nescio quid, quod se mihi extollere super communem vsum ceterorū scriptorum, praesertimq; Graecorum videretur: quod nunc tuo insigni mi Rulla beneficio melius & liquidius iudicare potero. Totum enim scriptorem hunc planē penitusq; comprehendam, & perscrutabor: ad quod me adiuuabit, quod ita & scriptus, et glutinatus liber est, vsq; & literarū intus, et extra pegmatis illustratus: vt non solum vtilitas, verum etiam voluptas me ad legendum vehemēter sit allectura. In quo video tuā summam diligentiam, cū summo amore, quē in me habes, certasse. Quare gratias tibi equidem ago pro tua erga me liberalitate, & habeo maximas. Sed in quo etiam gratius mihi es facturus, si me diligis, & si hominem esse me existimas non indignum eis studijs, in quib. ambo educati sumus, persuasissimum tibi habebis, nunquā tui huius officij elapsuram mihi memoriam ex animo: nec modo me adductum beneficio, verum etiam impiis beneuolentia erga me tua, curaturum omni studio, vt aliquod aliquādo mei in te amoris et gratissima voluntatis indicium appareat. Vale. Ex Feliciano Carpentoraētensis dioceseos, Idib. Iunij, M. D. XLI.

IAC. SADOLETVS. S.R.E. CARDI-
nalis Donato Rullo
S. P. D.

Q Vintus hic agitur mensis, ex quo tempore ego in
 hanc urbem me retuli: non mea sponte quidem neque
 voluntate huc adductus, sed inuitus, ac dolens Pontifi-
 cis Max. imperio literisque compulsus, cum mihi in otio
 studiisque meis honestissime simul ac libentissime com-
 moranti, hoc sane iter perincommodum, & valde contra
 animi sententiam accidisset. Sed ut primum Romam at-
 tigi, fuitque cum quo de meis rebus loqui familiariter, et
 liberè possem: id quod & tua erga me officia meritaque
 postulabant, & mei animi grata fidelisque memoria mi-
 hi suggererat: statim de te & de tuo omni statu percõ-
 tatus sum. Noli enim putare mi Rulle non mihi insidere
 in animo perpetuam memoriam illius liberalitatis tuae,
 cum misso ad me transalpis usque optatissimo libro, non
 solum consuluisti studiis meis: sed quo tu esses erga me
 animo, qua benevolentia ostendisti. Neque hoc tantum:
 verum illud etiam perspicue declarasti, singulare quod-
 dam tibi esse ingenium, summumque iudicium in perspi-
 ciendis hominum voluntatibus & desiderijs: tuaque libe-
 ralitate ad illorum usum tempusque accommodanda. Cum
 id mihi, homini etiam tum tibi ignoto, muneris destina-
 sti, quo nullum nec tibi in dando convenientius, nec mi-
 hi in capiendo honestius esse potuit. Quae res fuit ea
 quidem mutuae initium benevolentiae nostrae. Sed ego
 longius, pro mea natura, progressus sum. Ex eo enim
 tempore ita te amare coepi, ut nullum unquam studiũ
 erga te amicissimi hominis intermiserim. Itaque Romae
 ut primum mihi consistere datum est, tu mihi ferè oc-
 curristi primus, de cuius statu & incolumitate amicos
 scisci-

sciscitarer. A quib. cum id quod maximè optabam mihi
 esset responsum, te scilicet valere in omnem partem,
 pauloq; ante visenda rei pulcherrime, hoc est publici
 Christianorum conuentus spectandi causa Tridentum
 accessisse: laudavi equidem & animum et ingenium tuum,
 qui nunquam ab ingenuitate tua, et solita tibi probitate
 discedas. Etenim videre mihi videor, quã tu sis cupidus
 rerum bene restituendarum: quã in eiusmodi studio &
 voluntate flagrans: vt te angat & sollicitum habeant ea,
 qua quotidie afferuntur impedimenta. Sed de rebus illis
 Deus viderit. Nos quidem optamus, & assidue vota
 facimus, vt quã rectissimè omnia agantur: veruntamen
 quid sperare debeamus, incertum est. De te ipso autẽ,
 id quod ad me nunc pertinet, estq; mei in te summi amoris
 proprium, nonnulla mihi, Donate, incidit suspicio, &
 metus quidem, ne ex animo tuo penitus elapsus sim.
 Quid enim est? quinquè iam menses sunt, fluxitq;
 tantum temporis, neq; dum mihi abs te quicquam,
 ne salus quidem, aliorum saltem literis, tuis verbis
 nunciata? tantòne tibi labor scribendi aut monendi
 molestior, quã mei absentis fuit appellatio iucunda?
 Quomodo ergo hoc lues? opinor si & literas mihi miseris,
 & doctissimorum hominum contubernaliu tuorum,
 Aloisij, Priuli, & M. Antonij Flaminij acta aliqua
 ad me perscribes. Nisi forte omnè tuam mentẽ,
 cogitationemq; rerũ caterarum, illa propè immensa
 suauissimi huius tui comitatus voluptas sic obruit,
 vt dispicere in partẽ aliam non queas: præsertim,
 omnium hominum longè & virtute, & comitate, & prudentia

dentia præstantissimo, Polo, tuos oculos animumq; complete. Quod si est ita, ignosco tibi equidem, neque te amplius vllò crimine accersò. Sed in magno meo desiderio retinendi tui, illa me res tamen plurimum consolatur, quòd intelligo, plus semper apud me officij ac diligentia in tuenda amicitia memoria residere. Quare si me amabis, & ipse ad me scribes, & hac præterea efficies, vt te internuntio, sodales tui & me sui amantissimum esse cognoscant: & ego illos memores intelligam mei. Quod probè eueniet, si illi mihi salutē ex tuis literis dixerint. Quam ego vt illis plurimam à me nunties, vehementer abs te etiam atq; etiam peto. Vale.
Romæ, IX. Cal. Octobr. M. D. XLV.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CAR.

Isidoro Clario Abbati

S. P. D.

Commodum emerferam ex tertiana febris, cùm tuæ mihi allatæ sunt literæ, datæ XVI. Calend. Augusti Tridenti: aliquanto autem serius, quàm dierum & itinerum ratio postulabat, tabellariorum negligentia nobis reddita: quibus in literis facile et amorem tuum erga me, & memoriã veteris nostræ consuetudinis recognoui. Sed quominus ad eas tum celeriter respoñderim, partim imbecillitas corporis, partim etiã publica hæc negotia, quæ nos hic anxios & sollicitos admodum habent, aliquandiu retardarunt. Video enim Isidore, id quod tu quoque in literis tuis significas, rem cõmunem nostrã, hoc est, causam Christiana religionis (quid enim est ip
magis

magis nostrum esse possit:) eò deductam esse, vt grauis
 simorum concursus periculorum metuere debeamus?
 spe praesertim concordiae penitus sublata, qua antea su-
 stentabamur. Nam qui antea, cum à nobis & ab Eccle-
 sia Catholica grauiter dissentirent, omnia sua tamē cō-
 cilio se esse permissuros pollicebantur: nunc posteaquā
 indictum conuocatumq; concilium est, cum retractent
 promissionē suam, plurimaq; dent indicia, non solū nō
 cōmutati pristini animi sui, verū etiam in prauis opi-
 nionibus vehementius pertinacis: qua spe possumus ni-
 ti, vt turba haec, qua omnia diuina humanaq; permiscue-
 runt, aliquando pace consensioneq; tollantur? Atq; vti
 nam, quod tu videris considerare, mea opera atque indu-
 stria aliquid prodesse posset Christianae Reip. nos hoc
 damnum violata perturbataq; religionis, vel nostro i-
 psorum sanguine libenter redimeremus. Sed cum neq;
 ingenio multum, & autoritate nihil possim: quod tan-
 tum mihi tu tribuis, id ego amoris tuo erga me, non illi
 quo ceteris in rebus plurimum vales, iudicio esse asse-
 gnandum puto. Verū quoquo se modo habeant Chri-
 stianae res, illa est spes nobis in Deum conijcienda fir-
 mior, quod is p sua summa perpetuaq; benignitate &
 clementia populos suos seruabit ab interitu: neq; gen-
 tem delectam ab sese nonnullorum scelere atq; perfidia
 dari in exitium volet. Quam ego vnā consolationē,
 nec aliam praeterea vllam, his tot malis reperio. Sed de
 his satis. Quod scribis, iucunda isthic multorum cōsue-
 tudine, imprimisq; eorum qui legationis munere apud
 vos funguntur, amplissimorum, sapiētissimorumq; ho-
 minum,

minum, comitate erga te, summaq; liberalitate leuari molestias tuas: facile adducor in eam sententiã, vt tibi ista peregrinatio non defugienda fuisse videatur. Nihil enim potest esse dulcius, quam cum doctis, cum probis, cum tui amantibus versari. Quibus quidẽ legatis, quos ego omneis summo cum honore colo obseruoq; plurimam vt salutem verbis meis nunties, non rogo te solũ, verũ etiam flagito. Lucianum, sodalem & contubernalem tuũ, vidi Ferraria, sumq; cum eo bis collocutus, et quantum illo breui tempore iudicare potui, eius excellens ingenium, singularemq; doctrinam summo opere probaui. Eum tu, & item contubernalem tuũ Chrysostomum quem testimonio tuo, & amare cœpi, & virum egregium esse arbitror, meis verbis saluere iubeas velim. Fac valeas, nosq; mutuo diligas. Roma, Calend Septembris, M. D. XLV.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDINAL.

Isidoro Clario Abbati, S. P. D.

Acceperam tuas vnã & Luciani nostri literas, gratas mihi vt rasq;: sed cum illi tũ aliqua rescriptisẽ, distuli scribere ad te, quoad haberem absolutum meum de peccato originis librum. Quem nunc tibi mitto, correctum aliquot in locis: non quæ mihi viderentur ab integra in Deũ fide esse aliena: sed vt contentiones fugerem quas studio omni semper deuito: si tamẽ id mihi aliqua ratione cõcedatur: est enim seculum hoc, si quod vnquam aliud, vt tu quoq; scribis, ita paratum ad insidias omnium scriptis lucubrationibusq; tendendas, vt transiri nusquam sine periculo possit. Sed si virilis ani-

mi non est, deterrevi metu ab actionib. honestis: ne meū quidem erit, si quid sit in quo prodesse possim fidei Catholica, quam ego sanctissimè & constantissimè colo, desistere à conzdo hominum contentiosorū causa. Ego pro mei captu ingenij (quod sanè quā exiguum est, sed cupiditate incensum indagāde ueritatis) conatus sum, quoad potui, aperire rem obscurissimā: & hoc originis peccatum, quod semper adhuc mihi latuisse visum est, in conspectū hominū lucemq; proferre: si id tamen sum affecutus. Quod iā nō meum, sed aliorū erit iudicium: & imprimis tuum, Isidore charissime, comitumq; tuorū vnā Luciani & Chrysoſtomi: quos ego scio non certandi studio, sed animo cognoscendi, amicè & ingenuè mea scripta lecturos. Habes igitur librum, in quo legēdo quadam à te peto: primū, vt attento animo eum perlegas, deq; tota materia non antè quicquā statuas, quā illa tibi bene percepta & cognita fuerit: habet enim (vt opinor) subtiliores nōnullas considerationes. Deinde, vt cūm legeris, remq; cum familiaribus tuis communicaueris, si qua offendes in eo, quæ apertè videntur à Catholica fide discrepare, mihi antè nunties, quā cuiq; notum facias: vt possim, id quod maximè opto, non solum probus esse ecclesie filius: sed etiam videri. Equidem laboravi, & adnixus sum: omniaq; circumspexi, ne imprudens inciderem in sententias reprehensione dignas. Nā de industria in eas incurrere perquam impium est: neq; id vnquam sinat me Deus. Inscium autem & oscitantem labi aliquando, & errare, est humanum. Sed tamen, vt admonitu beneuolorum

erret

error statim tollatur: quo ego mediufidius sum animo, ut & auditorus sim libenter errores meos, & illos studiose emendaturus ac correcturus. In quo mi Isidore tuam imprimis operam benevolentiamque requiro. Si ergo erit quippiam eiusmodi, me quam primum certiores facies: reliquos celabis, donec tibi à me fuerit responsum. Cum reliquos dico, tuos comites excipio: quorum ego permultum, & confido probitati, & tribuo doctrinae. Sin autem nihil fuerit quod Christiana pietati sit adversarium: erunt autem aliqua, qua disputationibus trahi in diuersam partem posse videntur: his post habitis atque neglectis, librum communicabis quibus cives voles. Nam certe res ipsa et veritas se ipsam tutabitur. Aut si quid erit fortasse, quod nequeat defendi: tarditas mei ingenij accusabitur, non in Deum fides: quorum primum tolerabilius est, alterum ferri nullo modo potest. In conferendo autem & communicando, rogo te uti habeas potissimum Ambrosium Catharinum: omniaque ita agas & tractes, ut tua in me benevolentia, & mea erga te mutua postulet. Quanti momenti sit, & quantumtopere conducatur hominibus Christianis, cognoscere hoc originis peccatum, qua in re consistat, et ad fidei nostrae mysteria intelligenda quam habeat vim, differere pluribus, nisi te optime id nosse scirem: quam obrem supersedebam hac parte orationis. Tantum te orabo atque obsecro, ut suscipias hunc laborem non inuitus, mei honoris causa: tuamque solitam humanitatem et benevolentiam saepe mihi perspectam, in hac re potissimum exhibeas mihi & praestes: quod ego summum à te officium,

& iudicium animi amicissimi sum habiturus. De prædestinatione quid statuam, & quàm cum Luciano mea mens consentiat, ex hoc meo quoq; libro poteris habere cõpertũ. Vale. Roma, 13 Calend. Febr. M. D. XLVI.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Nicolao Peitellio, S. P. D.

PAulus ad me scribit, in eo obeundo munere, quod rogatu meo suscepisti: te & Carpentora cõsensibus ciuibus vsq; eo satisfacere, vt in sacris illis concionib. quas ad populum habes, nec religionis studiũ ardentius, nec rerum copia vberior, nec orationis subtilitas maior desiderari posse videatur. Itaq; admirabilem ad te audiẽdum hominũ cuiusq; generis, atatis, ordinis, concursum fieri, vt prorsus nunquam istic quisquam maiore hominum vel frequentia, vel admiratione, eius generis conciones habuerit. Quod mihi quidem, qui præstantissimum ingenium tuum, pari vitæ integritate ac pietate coniunctum, istic cùm essem facile perspexi, minimè mirum visum est. Non possum tamẽ facile verbis cõsequi, quàm id gratum mihi & iucundum acciderit. Nihil enim vehementius studeo atq; opto, quã illos homines, quos fidei mea commissos, paterno planè amore professor, his tam turbulentis tẽporibus, quibus multi quotidie à vera religione abducuntur, in recta erga Deum fide atq; officio manere. Itaque cùm tu ad eos continendos, tam fidelem, tamq; egregiam operam mihi absenti naues, incredibili quadã voluptate afficiar necesse est. Tibi verò eo nomine tantum debere me intelligo, quantum equidem vix posse vnquam videor persolvere. Sed
tamen

tamen, & is primùm, qui pias hominum aëiones cœlestibus præmijs remuneratur Deus, cui tu in primis deservis, tam præclari officij tui amplissimam tibi mercedem reddet: & ipse non desistam, quin tibi pro tantis tuis in me, meosq; ciues meritis, aliquam aliquando gratiam referam. Tu ut ciuitati isti pergas rectam, quemadmodum facis, salutis & immortalitatis viam ostendere: meq; apud Deum precationibus tuis iuues, vti mihi ad ecclesiam meam regendam redire illius benignitate contingat, abs te vehementer peto. Vale mi Peitelli
Romæ, M. D. XLVI.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS

Florentio Volufeno Scoto, S. P. D.

EVm, qui superioribus diebus tuas ad me attulit literas, testimonio tuo adductus, libenter vidi: opemq; illi & studium meum detuli, vt multum apud me valuisse cōmendationem tuam facile intelligere potuerit. Nec te tua sanè, quam de me habes, opinio fefellit. Sumus enim, semperq; fuimus, ad bene de doctis & probis hominibus merendum, si minus opibus & facultatibus instructi, at certè natura studioq; propensi ac parati. Te quidem, quem & optimis artibus eruditum, & in his de religione diffensionibus optimè sentientem semper iudicauimus, eo quo debemus studio & amore prosequimur. Itaq; quòd sententiam exquiris nostrã, quã viam cum in patria tua constiteris, in qua maximas de religione contentiones esse scribis, insistere debeas: nos id tibi consilij dabimus, quod & amore nostro erga te, & virtute ac pietate tua dignum sit. quod tamen à te

iam pridem captum esse minimè dubitamus. Nam cum
 & sacra nos litera, & rerū euentus ipse docuerit, ec-
 clesiam Dei turbulentis hominum seditiosorum cōsilijs
 perpetuò infestam esse, & obnoxia nimirū id permit-
 tente Deo, quò hic bonorum exploretur fides atq; con-
 stantia: profectò dubiū esse non potest, quin quod san-
 ctissimi viri huiusmodi disidijs et cōtentionib. exortis,
 semper fecerūt: vt ecclesie partes sequerentur, eiq; tā
 quam firmamento veritati inmitterentur. id hoc quoq;
 tēpore optimus & grauisimus quisque facere debeat,
 & sanctissimam parentem omni pietate & studio con-
 stantissimè tueri atq; defendere. Etenim summa sit nō
 dicam imprudentia, sed amentia, Catholica relicta ac
 deserta Ecclesia, eiusq; perpetuo consensu, & tot san-
 ctissimorum patrum autoritate contempta, eorum se-
 ctam sequi, qui impulsī odio, & furore quodam rapti,
 tam temerè ac nefarie ab Ecclesia desiscere, eamq; ve-
 xare atq; oppugnare ausi sunt. Quos vt corrupti sacer-
 dotum mores grauisimè offenderint, nequaquam ea
 tamen, aut alia omnino vlla, turbanda pacis & commo-
 uēda seditionis causa iusta esse potuit. Quamobrem te
 quidem nec consilio, nec cohortatione mea egere arbi-
 tror. Sed tamen, quando me, quomodo gerere te in pa-
 tria tua debeas, consulendum putasti, credo quo autori-
 tate mea consilium tuum confirmaretur: suadeo, hor-
 tor, & moneo, vt maiorum nostrorū vesligijs insistas,
 atq; ea quae statuit, decreuit, & tot iam seculis observa-
 uit Ecclesia: tanquam spiritus sancti, qui illi custos et ve-
 ritatis omnis doctor perpetuò adest, decreta & insti-
 tata

tuta sanctissimè seruāda esse censeas: utq; hæc quæ tibi à Deo data sunt, ingenij, doctrinæq; munera, ad eos qui buscum viues, in fide & vera religione (quantum in te erit) continēdos, sedulo vi Christiano homine dignum est conferas. Hæc profectò vna rectissima ad eternam salutē via est: hanc qui insistant, Deiq; et Ecclesie præceptis ac legibus obtemperant, ad illam quæ Christianis hominibus proposita est felicitatem sine vllò errore perueniunt. Sed hæc ut voluntati tuæ obsequerer, non quò te putarem de his rebus non optimè & sentire, & tecum statuisse, iam attigi. Tu velim beneuolentiam erga me tuam cōserues: tantumq; de animo et voluntate mea tibi pollicere ac spondeas, quantum virtus & probitas, & vetus tuum erga me studium postulat. Vale. Romæ, M. D. XLVI.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. GABRI
eli Paleoto Bononienti, S.P.D.

Accepi literas tuas, testes cum eius ingenij quod ego in te summum esse audio: tum etiam officij atq; amoris, quem erga optimum & clarissimum virum mortuum, quemq; in me ipsum habere te ostendis: quorum virumq; nequaquam mihi quidem præter opinionē accidit. Cognoui enim semper vestram familiam cum ingenij & literarum laudibus, tum probitate & in amicos obseruantia, in ista ciuitate facilè excellere. Quæ penè propria & domestica ornamenta cui generis in te ipso non relatum solum, sed etiam cumulatim iri cōfido atq; opto. Quod autem scribis in literis tuis, te arbitrari, collegæ mei, vel fratris charissimi potius Petri

Bembi Cardinalis, importuna morte me grauiter afflic-
 tum, & prostratum iacere: non fallit in eo te opinio
 tua. Nihil enim mihi potuit euenire acerbius, quàm di-
 uelli ab eo, cuius ego amicitiam fraternamq; coniunctio-
 nem quatuor & quinquaginta annos inuolatã tenue-
 ram: quẽ propter ipsius præstantissimas virtutes, sum-
 mamq; humanitatem, probitatem, suauitatem, singu-
 lari quodam et penè inaudito amore prosequerbar: quo-
 cum eram omnibus & studiorum eorundem, & volun-
 tatum, tam in familiaritate & consuetudine nostra,
 quàm in ipsa Repub. vinculis & necessitudinibus astri-
 ctus: vt eo mihi nunc erepto, solus planè, & ab omnibus
 mihi desertus esse videar. Ex quo non possum non dole-
 re casum meum. Nam illum quidẽ lugere non esset fas.
 Caue enim putes quenquam vnquam vlla in gente, vl-
 lo tempore, vixisset tam beatè, quàm Petrus Bembius
 est mortuus, siue diuina in eum beneuolentia indicia
 spectentur, siue humana. Quæ magna quidem mihi est
 consolatio: sed nequaquam adhuc mœrori meo par. Ve-
 rum dabimus operam, quoad Deo adiutore poterimus,
 vt dolorem minuamus, qui est imbecillitatis: memori-
 am autem talis viri, id quod ad fidem amicitia, & ad
 illius virtutum gratiam commemorationem pertinet,
 assiduam retineamus. Tu mi Paleote perge, vt cœpisti,
 atq; ita te confirma, vt ei expectationi, quæ magna de
 te concitata est, speiq; tuorum cumulatiè satisfacias.
 Fratribus tuis humanissimis ac suauissimis, Galeatio,
 Camillo, & Astori, plurimam à me dic salutem. Vale.
 Romæ, V. Nonas Februarij, M. D. XLVI.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Francisco Mario Molsæ suo

S. P. D.

Cogitanti mihi ad te rescribere, commodum allatae sunt ex Vrbe litera, quibus certior factus sum, sum mum Pontificẽ in Urbem ingressum esse, teq; cum Farnesio tuo optimo ac liberalissimo iuvene esse asiduum: eos quoque, de quibus nonnullam ad me detuleras querelam, quasi illis absens, quibus minimè debebas, esses contemptui, tecum nunc adesse, teq; illos planè habere in potestate. Quae res breuiorem me in scribendo facit: res enim tuas in tuto positas, teq; iam mea nec consolatione egere, nec consilio, nec cuiusquam ope amplius arbitror: cum sitiens, ab ipsis fontibus resinguere sitim tuam nunc facile possis. Ego sanè cum essemus etiã tũ Nicea, de tuis difficultatibus exponens, commoram Pontificis animum: optimumq; principem sua sponte fauentem tui similibus, hoc est, doctis, & bonis viris, etiam magis vt tibi consuleret atque opitularetur, mihi vt visum fuit, accenderam. Secuta est postea (vt tu te scis) distractio omnium nostrum: cum me huc vt conferrem, valetudinis ratio non modò me hortata est, verum etiã coegit. Nec tamen dubito, quin mea illa opera, aut tibi attulerit iã fructum, aut certè allatura sit: cum praesertim tua virtus, excellensq; ingenium, omnibus sit amabile. Id si factũ est, aut certe cũ fiet, vt mihi literis tuis significet, planè tibi mado. Epistolas omnes tuas, quas & ad me, & ad Paulum misisti, legi summa cũ voluptate, vehementerq; probaui. Nec vnquã sane

dubium mihi fuit, quin quascunq; tu ad res ingenium tuum applicuiffes, dummodò in vna ratione vnoq; genere scribendi commorare, futurus fueris omnium longè primus. Sed hac tu melius. Nos hìc conualescere iam cœpimus: omnino sumus adhuc imbecilli, sed spemur bona. Nostrum ad Urbem reditum aliquot menses necessariò differemus. Vale mi Molse, et cum erit otium, nos tuis literis sapiculè appella. Carpentoraci, VIII. Calend. Septemb. M. D. XXXVIII.

FRANCISCVS MARIVS MOLSA,
Iacobo Sadoletto S. R. E. Card. S. P. D.

Quibus me absentem officijs complexus sis, Pater amplissime, ex Pauli Sadoleti tui epistola, accuratè admodum ac peramãter scripta, certior factus sum. In quibus cum iucunda multa acciderunt: tum illud iucundissimũ fuit, quòd à nemine nec leuiter quidem admonitus, me tamen Pontifici Max. his verbis commendaueris, vt mihi singularis cuiusdam beneuolentia indicium, ac iudicij testimonium, quo nihil grauius esse potuit, imperiteris. Quanquam subuereri venit mihi in mētem interdum, ne maiorem tua predicatione de me expectationem (qua tua scilicet in amicis tuendis est diligentia) excitaris, quàm ego sustinere possim. Vtrunq; certè eo studio es persecutus, vt amoris erga me tui, rationibus meis consulendo: iudicij verò de ingenio bene sentiendo, egregiam significationem dedideris. Amori certè quoad eius fieri poterit respondebo, tuorumq; erga me meritorum memoriam studiòsissimè diligentissimeq; seruabo. Iudicij verò si minus satisfecero, mi-

hi ignoscas, imò etiam tibi, qui me ad eam laudè voca-
 ueris, eaq; de me fortasse receperis, ad qua consequen-
 da, cum vires omnes animiq; cogitationes, operã, dili-
 gentiam, ceteraq; omnia qua in mea sunt potestate at-
 tulerò. si minus fidem tuam liberabo, omni tamè culpa
 p̄torfus sim vacaturus. Quod ad Pont. pertinet, vix di-
 ci potest, in eius liberalitate quàm nihil propemodum
 spei tibi ponendum iudicem: qui eo ingenio est, vt si e-
 tiam velit, ita tamè frigide ac cunctãter velit, vt ei qui
 illius arca confidat, prius sit conturbandum, quàm sub-
 sidio aliquo subleuetur, necessitate eius subueniatur.
 Itaque statuo ipsius liberalitatem offerendo eri alieno
 multò aptiorem esse, quàm dissoluendo. Quicquid ta-
 men inde cõmodi ad nos peruenerit, id totum à te pro-
 fectum iudicabo. Meas interim angustias (quod nun-
 quam futurum putassem) amare incipiã: qua mihi cau-
 sam harum literarum dederunt. Optabam siquidè iam
 pridem Sadolete vir omnium sanctissime, atq; doctissi-
 me, te meis literis compellare: idq; ob eam vnã causam
 vt tuas elicerem literas. Cur enim ego cupiditate non
 ardeam, vt aliquo in loco scriptorum tuorum nomẽ in
 texti possit meum? cum ea eloquentia pradius sis, vt si
 in veteres illos Crassos, Antonios, addo etiã Cicerones
 etas tua incidisset, cum multis tamen nunq̃ numeratus
 fuisses. Ea verò doctrina, vt nemo illorum temporũ ne-
 que vberiorib. floruerit artibus, neq; eloquentiam gra-
 uiorum disciplinarũ instrumento ditauerit. Huius ego
 rei cum nullum exitum reperirem, propterea quod te
 ista dignitate, grauitate, doctrina, interpellare me pos-
 se

se non videbam sine maximo scelere: praesto tandem fu-
 it, adiuuitq; hūc animi mei ardorem, egregia tua ac sin-
 gularis erga me pietas: qua factum est, vt eam iuuandi
 mei atq; ornādi actionem cogitationemq; susceperis,
 qua silentio prateriri non possint. Itaque sum consecu-
 tus, vt non modò omnes nihil mihi tam paratum esse in-
 telligāt, quàm operam et auctoritatem uam. Sed etiā
 scribendi ad te occasionē (quod maximè cupiebam) na-
 ctus sum: quam mihi oblatam nullo pacto dimittendā
 censui. Hac accessit, quòd is qui me in scribendo impe-
 diebat, tui interpellandi metus, eò minus nos commo-
 uuit, quòd te laboribus senatorijs muneribus liberatum,
 Carpentoraētī vestro illo familiari in loco oblectari-
 iam puto. Quod etsi nobis perincommodè cecidit, qui
 aduentum tuum auidissime expectabamus: non tā me-
 rendum tamen nostra causa, quàm letandum tua arbi-
 tratus sum: quòd te in domesticam illam sedem recepe-
 ris, vbi & valetudini tuae commodè inseruias, & hone-
 sto otio ac optata perfruare. Dum id sic tibi sumas, vt
 tantisper ibidem manendum putes, dum efferuescat ca-
 lor, tuq; cū meliusculè tibi erit, id est cū planè con-
 firmatus fueris, dare te via velis, ac Romam redire, qua
 virtutis tuae semper aptissimum domicilium fuit. Hac
 scripsi paulò verbosius, timens, ne ad eum vitæ cursum
 relatus, à quo Reipub. causa inuitus aliquantum defle-
 xisti: veterem viuendi libertatem tibi sequendam sta-
 tuas: qua te adeò delectari solere nō sum nescius, vt ab
 ea vix digredi posse mihi persuadeam. Neque verò est.
 quod me in his literis facilitate tua abusum existimes.

Non enim eius generis sunt officia tua, qua gratiarum actionem non desiderent: neque ego is sum, qui nisi aliquem mihi splendore aliunde arcessam, eo non sum penitus cariturus. Vale. Romæ. Pridie Non. Iulij, 1538.

FRANCISCVS MOLSA, PAVLO
Sadoleto, S. P. D.

Pvtabam ego post tuum et Sadoleti patruj tui ab Vrbe discessum, maximã mihi Quirinales vestros hortos obeundi facultatem datum iri: quorum amœnitate cum tui desiderium, loco ipso admonente, lenirem: tũ me ipsum maximis sollicitudinibus penè confectum colligerem, ac interdum aliquid etiam commẽtarer, quod tibi cum redieris, ortij mei fructus extaret aliquis: cuius rationem diligentius, cum discederes, exacturum cõfirmasse te memini. At quã me frustra spes ea consolata sit, accipe. Non modo ego ad illos nullus accessi, sed P. Paulus etiam vester, quasi edicto pratoris prohibeatur ne vidit quidem. Obsecro te, quid est hoc? Tantãne illũ, quem vos profecistis, parsimonia in rebus alienis vti, vt eos etiam quos vobis sciat esse charissimos, non admittat? Vinitorem, nauum ac industrium hominem quem à vobis sibi commẽdatum in finem receperit, vixet? nam quod eius superbiam ferre non possit, illum discessisse mihi videor exaudisse. At fructuosas res sibi habeat: Gallina abundet, abundet olea, malo, fama, & rerum rusticarum gloria se duci præ se ferat: horum nihil impedito. Nobis qui animi, vitandiq; calor causa, illuc conuenire cõsueuimus, vmbra, apricationem, ac ne me delicijs omnibus bellũ indixisse putes, rosam non
inuide-

inuideat. Liceat Curtio, liceat Bino, Sauoiq³ etiam nostro, mihiq³ ex condic^oto olusculis cœnare, ac tui nominis memoriam nostris colloctionibus tueri, donec tu cum adueneris, nos apparatusioribus (vt soles) epulis accipias: draconemq³ isium, qui tuos hortos circumplacatus, nobis omnibus aditum obstruit, exturbes, expellas, extermines. Extra iocum mi Sadolete, P. Paulum gallica illa simplicitate ac libertate imbutum, valde cōmotum vidi, quod eius puer: hortorum aditu esset prohibitus: cum nihil tamen aliud petitum iret, quam $\lambda\epsilon\upsilon\ \kappa\omicron\iota\alpha$, quibus herilem mensam ac puluinum inspergeret. Verum custodes illi diligentes sanè ac fideles, $\lambda\epsilon\upsilon\ \kappa\alpha\ \tilde{\omega}$ timuerunt de quo illi cum recepissem, me per literas te facturum certiozem paulisper requiescere est visus. De meo negotio, nihil est quod ad te scribam amplius, in quo Deos omnes mihi iratos planè video. Nam quid minus ferendum, quam me Mottam etiam ipsum deseruisse, hominem mihi cū multis officijs, tum amicitie vetustate cōiūctissimum? Quod etiam eo indignius videri debet, quod literis Calen. Maijs datis, nos in spē summā adduxerat, biduo aut summum tri duo, se perfecturum, vt tādē hac solitudine liberaremur. Hoc non modò nō effecit, sed neq³ vllam literam ad me: cū Romam quotidie epistolas mittat, easq³ etiam inanes, ac nugarum plenas. At qua tandem in re tantopere laboramus? num vt principem locum, aut honorem aliquem publicum tuear? num vt abacos complures auro argentiq³ celato exornem? num vt exquisitiōribus epulis mihi cotidie mensa extruantur? nihil nobis alienius.

Tantū illud laboro, vt ea quæ vñ sunt ad vitam, nō omnino incommodè agendam suppetant: neue his qui me malè oderunt, despiciatui sim, ac ludibrio. Nolo commorare quibus angustijs premar: hoc tantum affirmo, nullum genus incommodi reperiri posse, quo ego non vrgear. Quod si in eam me expectationem Morta literis suis non vocasset, aliquid certè noui consilij capere potui. Nunc eo res est deducta, vt nec Roma exeundi, nec (quod peius est) remanendi ratio vlla iam proponatur. Adeses tu saltē, minus multum profecto laboraremus. Hac non eo scribo, quod te his meis angustijs aliquo pacto mederi posse confidā: (nam si id per te fieri potuisset, esset iam planè factum) sed ne hoc quoque ad summum mœrorem addatur, mihi deesse, qui cum libere omnia communicem, ac quasi mecum colloquar. In quo tuam aliquot iā dierum cessationem agrè ferrem, ni Sadoleti patrui tui valetudo, cui tamen melius esse intelleximus, eius omnem causam sustineret. Nam literas nostras ad te non perferri quæ putē, cū eas semper in fasciculum eum conyctam, qui à tuis Cardinali ipsi inscriptus, tabellarijs ad vos perferendus datur? Quod si olim rescribendi aliqua tibi sese occasio obtulerit: scito, te nobis satis non esse facturum, ni tuas epistolas quodam quasi cumulo addito, ponderosiores effeceris: quod nos scilicet de Regum congressu, deq; pacis conditionibus (modo inter eos conueniat) certiores facias, idq; τῶν πρῶτων, ne nos omnino abfuisse videamur. Hac ego scribā nono Calend. Iunij maximo imbri, ac Iouetonante: vtinam etiam approbante. quo quidem tēpore si

re si rectè itineris illorum tempora disposuimus, rē satis calere arbitrabamur. Non nihil tamen de vobis adhuc suspensio animo eramus: nec dum satis constituere poteramus, vtrum vos profectos pro certo haberemus, an potius alicubi istorum locorum cōcedisse, ob patrii imbecillitatem arbitraremur, Quapropter cum primum poteris, hic quoque scrupulus nobis tuis literis eximendus erit. Vale, & me ama. Roma.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. ANTONIO Florebello suo, S. P. D.

ET prius epistolam tuam libenter legeram, & post oratione tua huc ad nos allata mirificè eius summatione delectatus. Est enim ornatè atq; amplè scripta, teq; ipsum mihi ante oculos constituit: cuius ego ingenium & copiā admodum semper probavi. Pauca sanè quædā adnotavi in ea, quæ haud magni momenti sunt. De quibus mandavi Paulo, vt certiorè te faceret. Nūc mi Antoni, quando eos cursus cepisti, qui ad summam laudē deducere te possūt: perge porrò atq; enitere, vt spes nostrā de te indies fiat erectior, magnumq; ex te accedat nostræ communi patriæ ornamentum. Non egēs tu quidē hortatione: sed tamen amor meus non patitur à me prætermitti ne hoc officium quidē: vt te horter & admoneā, vt instare atq; vrgere tantā gloriā necesses. Ego ita faueo tibi, vt filio: ita in tuis laudibus acquiesco, vt illis me quoq; existimē ornari. Quare si hoc animo fueris, vt & meā et tuam vicem tibi conandum atq; elaborandum esse putes: nō dubito quin ad summū bonorem huius facultatis sis peruenturus. Vale. Ex hortis

hortis nostris, IIII. Non. Iunij, M. D. XXXVI.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDINAL.

Antonio Florebello suo, S. P. D.


Superioribus proximis diebus dedi ad optimū virum
 S. Ioannem Nicolāū patrem tuū mea manu scriptas li-
 teras, quibus cupiditatem illi meam tui reditus ad nos,
 non mediocrē significabam: magnopereq; eū hortabar,
 ut is quamprimū de te nostra huiusmodi voluntate fa-
 ceret certiozem. Quae litera satisne fideliter perlata
 sint, ignoro: nullum enim à te ad eas adhuc accepi respō-
 sum. Cum autem res ipsa, et tempus meum postularet,
 ut instarem & urgerem, quòd tua, aut alicuius tui simi-
 lis (si tamen alij similes) opera, fide, industriaq; vehe-
 menter egeo: statui mihi ipsi scribendum esse ad te. cū
 neq; haberem quenquam, quem pro meo iure fidentius
 atq; amantius, quàm te ipsum possem accersere: & si
 multi essent ad nutum nobis parati, quem praeferremus
 tibi neminem tamen inueniremus. Ac ne mirere, vnde
 hac nostra tui euocatio tam incitata & vehemēs nata
 sit: scito Paulum tuum, qui mihi in meis omnibus curis,
 studijs, actionibus, vigilijs, summa cum fidelitate & di-
 ligentia praesto semper fuit: suoq; labore, & in omni ge-
 nere excellenti virtute operaq; effecit, ut te tantisper
 abesse à nobis a quietiore animo ferremus: nouo nunc ma-
 gistratu impeditum, (huius enim Praeuiaciae rector con-
 stitutus est) non ita multum esse iam nobiscum: neq; eā,
 quam solitus est, operam posthac nauare nobis posse.
 Cuius ego et si honore laudeq; virtutis vehementer la-
 tor, & quòd in eo munere tractando, ad quòd est voca-

tus, ita se gerit, vt cū maxima laude omnium summaq;
 & prudentia & equitatis fama, & suam & nostra fa-
 milia dignitatem reddat illustriorem: tamen nō queo
 mearum rerum priuatarum non sentire incommodum
 et pristinam illius consuetudinē vtilitatemq; non desi-
 derare. Quapropter cogor alium quempiam sufficere
 in eius locum: qui et mearum cogitationum particeps,
 & fortunatum socius existat. Eum ego te esse opto, nū-
 Antoni, & prater ceteros expeto. Tu enim solus, aut
 certē optimē omnium, & desiderium nostrum hoc leni-
 re, & sarcire incommodum tua praesentia potes. Nam
 cū de tuo ingenio, doctrina, probitate, singulare iudi-
 cium semper feci: tum te habui proximam, quem aequē
 penē atq; illum ipsum diligerem. Prater ea te mihi ob-
 strictum fide et promisso esse arbitror: Discessisti enim
 à nobis me concedente & permittente, cū Patavium
 es profectus, ea lege & conditione, vt simul atq; inela-
 massem, opusq; esse duxissem, reuolaturū te reciperes.
 Quare cū tui accersendi tempus venerit: egoq; te nō
 vocem solum, verū flagitem etiam, atq; expetam: tua
 rū nunc partium est, tuiq; etiam pudoris, & eius inge-
 nij, quod optimū in te cognitum et perspectū mihi est:
 non solū operam dare, vt restituas te nobis: sed vt con-
 festim & sine vlla mora restituas. In quo ipse volo tibi
 persuadeas, te à me non modò in consuetudinis et fami-
 liaritatis, consortium, sed in omnis fortuna, tum dubia,
 tum secunda, societate vocari. Has ego cū scriberem
 literas, cupiebam vehementer tibi eas cito reddi: vt tu
 primo quoque tempore, quid de hac re statutum habe-
 res, sa-

res, facere me posses certiore. Si enim tua consilia (id quod opto & spero) cum expectatione mea consenserint, ad iter statim te parabis. Sin autē fortē (quod vix fas esse arbitror) aliō fueris a nostra volūtate animo, nosse aueo tamen, idq̄, quam primum, consilium omnium tuum: vt si mihi praecisa spes tui aduētus fuerit, alium alicubi quæram, qui mihi & ad manū & ad curarum communicationem praesto sit: quem tamen neq̄, alium, quā te esse velim: & potissimum omnium te fore confido atq̄, auguror. Vale, & rescribe. Ex Feliciano nostra diocæseos, XVI. Calend. Septemb. M. D. XLI.

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

IAC. SADOLETI EPIST.
AD PAVLVM SADOLETVM LIBER.
IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
PAVLO SADOLETO S. P. D.



LITERAS has ad te scribo literas, prouocatus tuis, quas Viglania proficiscens dedisti. Nam cū primas meas scriptas 11. cal. Octo. ad 8. item Cal. Auenione misissem, vt celerius illinc ad te perferrētur: postridie vesperi redditę mihi sunt tuę: in quib. mihi illud periucundū, q̄ te asperiorē itineris tui partē sine detrimēto vllō emēsū esse cognoui. Et quidem cū hæc scriberē, in illā opinionē cōiectura ducebar, vt te putarē iā venisse Mutinā: erat. n. sextus hic dies & decimus tui discessus: vt etiam si diē vnū Mediolani, alterū Parmę ponere instituissem, cōmodū tibi tamē fuerit cōper-

venire. Ego verò non solùm prosperum & fortunatum tibi iter, sed facile etiam & expeditum imprimis cupio: si rediturus es ad nos, mea etiam causa: sin id minus, v. tique tua, quod tamen ipsum mea maximè interest. Nihil enim est tuum, quod pro paterna mea erga te indulgentia, mihi non meis omnib. aliquãto coniunctius sit. Sed quoniam Mutinensiam mentio facta est, tametsi ego in accuratione diligentiaq; tua magnam spem habeo rectè à te omnia & circumspectè gestū iri: nihilq; te prætermissurum eius officij, quod ad nos pertineat tamen vellem tibi *ἑμφατικώτερον* mandasse, quod ad Ferrariensium ducem attinet. Quem cùm tantùm & colamus & diligamus, quantum illius dignitas, & erga nos benivolentia postulat: tum etiam nõ mediocrem illi profectò debemus gratiam, quòd is amorè suum erga nos, signis & rebus iam multis patefecit. Quem ego ipsum nunc abs te, nec conueniri tuo commodo, nec præteriri saluo officio posse video. Quare etsi hæc in me non iam suo tempore incidit cogitatio, me tamen illa sollicitum vehementer habet. Quòd nisi (vt dixi) in tua prudentia huius quoq; rectè obeundi muneris spem maximam ponerem, penderem animi multò magis: sed me ipse consolor, quòd tibi consueffe hæc venire in mentè certò scio. Negotia Mutinensia quòd tibi cæteris difficiliora ob animum versari scribis, non video causam cur ita esse debeat. Facilis enim est negotiorum gerendorum ratio, ijs qui fideliter illa atq; integrè tractant. Quòd si aliqui sunt aliquando, qui rationi bonæ recusent assentiri, in ipsis culpa resideat: τὸ δὲ καλὸν μετὰ σοῦ cuius tibi potissima semper sit cogitatio. De rebus nostris hic nihil est sanè noui quod cupias scire: res in eodem statu sunt, quod reliquisti. Nos victus totam rationem domi commutauimus: compulsi enim grauib. periculosisq; distillationibus, cæna abstinemus, cui solebamus libentius indulgere: ad prædia sumus conuersi: idq; facimus palam, trichinumque sterni in maiore aula iubemus. Quod senti.

sentimus familię mirę esse gratum: celebratur enim do-
 mus, & simul absentię tuę męror hac ratione etiam
 magis lenitur. Conuiuę assidui Verotus, & Augustinus,
 aliq; præterea quos interdum fors obtulit. Quin habe-
 mus materiem sat bellam hilarius nos habēdi. Medicus
 est quidam subrufus, breuis statura, oculis di sicctis, quę
 tu nosse fortassis potes, haud enim ita diu est quod se
 contulit in hanc urbem: de eo mihi cū esset dictum,
 acutum hominem esse, & Philosophum, iussi ad pran-
 dium vocari. Aderat Stephanus Ruffus, & cum eo cæte-
 ri ordinis illius nostri (vt tute scis) in disputationib. con-
 re ttores: Isnardus nobiscum vnā. Lacesiui hominē,
 cū se excitasset: Ruffus noster suscipit negotium. Di-
 utius ducta contentio est. Ego spectator attentus: quid e-
 nim dicam auditor, cū omnis non audiendi, sed spe-
 ctandi fuerit voluptas: Quanquam ille quidem in disse-
 rendo & argumentando non imperitē se habuit: sed
 corporis vultus, oculorum eiusmodi agitatio, vt nihil
 videatur ridiculosius posse reperiri. Itaq; hominem sæ-
 pius vocaturus sum. Nam quod ad valetudinem atti-
 net, videor iam non nihil hoc nouo more, mihiq; in so-
 lito, esse consecutus. Vrgeor enim minus, & caput non
 tam infestum habeo quā antea. Verū de his dies ipsa
 exploratius iudicatura est. Nunc ades ad parendum. Rē
 cordor enim in mandatis hoc tibi à me vel præcipuum
 fuisse datum, vt magistrum huic Iuuentuti erudiendę
 quæreres. In qua te obtestor Paule, vt laboris & diligen-
 tię reliquum mihi facias, quo nostri optati compotes
 nos efficiamur. Nihil est hæc curatione neque honesti-
 us nobis, nec ciuibus nostris vtilius. Quorum quidem
 causa cū cupiamus omnia, cur nō in hoc potissimum
 officij honestissimo genere, omnibus neruis contenda-
 mus, vt & illis, & nobis ipsis satisfiat? Antea castigare il-
 los solebamus, quod ad suum tantum bonum minus ef-
 sent attentī: nunc vicissim illi me appellant, atque vr-
 gent: neq; dies ferē vllus est, quin ad me accedant corū

aliqui rogatum. Quibus respondeo, tibi susceptam esse hanc provinciam: neq; te quieturum, quoad idoneū repereris: cum hac spe dimitto illos. Et si quæris, maximo eos studio in hac re ferri video. Proinde enitere atque elabora, ut talem aliquem inuenias, qualem nos cupere nosti: hoc mihi gratius facere nil potes. Plana hodie à legato reuersus, multam mihi salutem illius verbis nuntiauit: eaq; mihi de eo retulit, quæ certè mihi iucunda sunt: perbelle illum valere, gratissimumq; habuisse, quod ego illi iussissem nuntiari: si qua in re tua in Vrbe opera uti vellet, te ei & studio omni & beneuolentia præsto futurum. Egit gratias: nil se de nostro animo dubitare dixit: vsurum cum res posceret, affirmauit, & quod intelligere facile queas, habuit certè gratū. Atq; ego hoc egeram: dedita opera, ut suspitionib; nonnullis occurrerem, de quibus ad te scripsi Crucianum mecum locutum fuisse, & tamen simplici animo ac sincero omnia à me geruntur. Quid enim minus homine ingenuo dignū, quam aliud in corde gerere, aliud habere promptum in lingua? Sequamur igitur vera rectaq; consilia, à quibus desistere nullam in partem possumus. De rebus vrbanis (ut antè ad te scripsi) tunc & quærendum mihi abs te, & ibi præcipiendum putabo, cum te Romam peruenisse cognoro. Nūc, ut se res habet, illa cogitatione supersedendum est. Mutinensia acta expectabo interim, quæ in manibus sunt: cætera ut dies afferet, & fortuna dispensabit, sic mihi deinceps literis facias nota. Nos hic fructibus annuis condendis, non parum laboris molestiæq; suscipimus, è quib; decumæ vini vsq; eò fuerent vberes, ut eas nullæ neq; cellæ neque apothecæ capere potuerint. Itaq; necesse est, lacus eos ipsos, in quibus musta ferbuerunt, doliorum instar adhibere: quibus à summo munitis compactis asscribis, & ad omnem introitū externi aeris probè obstructis, confidunt ista qui norunt, vinū incolume nos seruaturos. Ego hæc non tantummodo intelligo, quam quæ peculiaris mea curatio est.

Hortor

Hortos suburbanos ita pulchrè habeo instructos omni huiusmodi copia, vt optimè prospectum in æstatè proximam sit: ad quod tempus te expectabimus: &, nisi erit maior istic manendi causa, etiam accersemus. Vale mi Paule, & si nos diligis, valetudinem tuam cura diligenter. Florebello nostro & ceteris salutem. VI. Calen. Octobris, M.D. XXXV. Carpentoraëti.

ALIA AD EVNDEM.

Atinus Iuuenalis, homo & ingenio & rerū vsu præstans, mihi iam inde ab adolescentia notus, hæc iter faciens Auenionem versus, rerū illarū quæ ad ecclesiam Auenionensem spectant constituendarū gratia legatus à Pontifice: mecum erat pluribus de rebus collocutus, de quibus alijs literis scriptum est à me tibi per diligerentem Verum cum is tum à me discessisset, tanquam alio itinere rediturus ad urbem, neq; me amplius visurus: nihilominus mutata sententia, heri vesperi huc se retulit, amanterq; est à me hospitio acceptus. Sumus enim per diu iam familiares. Cogitabat autem ipse hodie cum prima luce proficisci, (nā hæc ego scribebam ante lucem) & cum eo aderat Raimundus Vitalis noster. Has ei literas daturus sum ad te perferendas, quas cum acceperis, fac vt cōuenias hominem, eumq; tibi in amicitia adiungas: probum enim virum, & integrum, & magni animi, & bonorum amantē, fautoremq; cognosces. Plura ad te scribam cum tuas aliquando accepero, quas auidè expecto: neq; enim ceteriores ijs habebam, quas ad Tarum dedisti. Vale.

ALIA AD EVNDEM.

Literas tuas pridie Nonas Nouembris, vesperi, & ipsis Nonis postridie manè, cum in prædio iam discubulissem, essentq; mecum vnà Casarista, Cusanus, Opeda, Vellarenus, multijuges accepi, & Florentie, & Verbij, & in ipsa vrbe iam bis datas: quarū sum mirifica cura & copia delectatus. Ac primū illud gaudeo, te itinere toto acto ex sententia, incolumem ipsum atq;

cæteros Romam peruenisse: ibiq; fuisse acceptũ vt maximè volebamus. Sed quoniam mihi ad omnia rescribendum est, seruabo ordinem, vt priorib. prius respondeã. Quod ergo ad negotia Mutinensia pertinet, matrem & fratres mihi cõmodè valere, peroptatum mihi est: teq; ab illis amanter fuisse acceptum. De ære alieno matris fratrisq; demortui, habeo iam rationem atq; consilium quo illos expedire ab omni difficultate possim: quare audacter promitto, eam rem vt rectè agatur fore tibi cure. annuo enim ab utroq; nostrum spatio sumpto, quod in tempus facultas soluendi cadere nobis possit, aureos trecetos numerabimus. Puerum q dem ipsum penes me habere cupio, si est talis, vt spes de eo nobis esse possit, in eum virum euasurũ, quem querimus, & q de fratre tuo iam confidere cœpimus, facile nobis ductu futurum, vt fingamus in eo formã illam, q sit maximè ad decus & ad dignitatẽ idonea. Doctorem huic iuuentuti & magistrũ ab te queri non puto fore amplius opus. Narrabo enim tibi, simulq; tu agnosces, quanto plus sepe fortuna polleat, q hominis consilium. Receperã me forte in bibliothecam nudius quartus, cũ esset iam nox: ibiq; attentius libros quosdam volucbam: cũ cubicularius nuntiat, esse qui me conuentum velit. Rogo quis homo? Togatatus inquit. Iubeo intermitti. Accedit. Interrogo quid sibi velit, qui illa hora adeat ad me. (cupiebam enim ab soluere ocyus hominem, & ad studia me referre. Tũ ille repetito altius principio, ita aptè mecum, ita accurate & modestè locutus est, vt mihi curã iniecerit cognoscendi interius, & percunctandi. Itaq; clauso libro, ad eum totus conuersus, sciscitari incipio, cuius sit, q disciplinã profiteatur, quid sibi quærens in has regiones uenerit. Ac ille: Scotus sum, inquit. Ex ultimãne, in quã orbis terrẽ natione? Etiam. Vbi ergo disciplinis liberalibus operã dedisti? (q ideo interrogauit, quia eius sermo & Latinitatem, & ingenium redolebat) In patria primum inquit, complureis annos philosophiã operã dedi: de-

di: deinde Lutetię sum eruditus, ibiq; Eboracęsis Card.
 fratris filium in disciplina mea habui. Põst cùm patru
 mors à puero illo nos distraxisset, ad Bellaium Parisien
 sem Episc. me contuli, eramq; cum illo Romam profe
 cturus, nisi morbus me grauis in itinere ab eo disiunxis
 set. Quid ergo tibi hic expetis? in quã. Cupiditas, inquit
 primum tui visendi, quod maximè optabam, huc me
 compulit. Deinde cùm Auenione esset mihi dictum, te
 alicuius hominis indigere, q̄ iuuentutem tuã hanc eru
 ditet, si fortè ego essem isti negotio aptus, offerendum
 tibi ego me duxi: non tã onus illud appetens quidem, q̄
 tibi gratum facere studens: & simul intelligens, fore mi
 hi laudi quodcunq, munus apud te, & tuo iussu, horta
 tuq; suscepissẽ. Quid quęris: vsq; cõ mihi placuit, vt pri
 mo mane Gloceriũ consulẽ, atq; Heliam accersierim:
 exposui de homine quid sperarem, & quę mihi in eo e
 gregiè complacita essent, omnia narraui. Certè enim e
 iusmodi modestiã, prudentiam, compositionẽ oris at
 que vultus, vix in Italo homine talem expectare potue
 ramus. Neq; hoc contentus, ad prandium inuito, cum
 Florentium ipsum, (hoc enim illi est nomen) tũ medi
 cum nostrum, de quo scripserã ad te antea: itemq; Heli
 am vnã cum consulibus. Post prandium, statim dispu
 tationes me cohortante inductę sunt: argumenta physĩ
 ces assumpta: certatũ à medico nostro acriter, obtorto
 vultu, magnisq; anhelitibus. Ille alter, modestus, placi
 dus, nihil non ad rem, nihil nõ accuratè & sobriè, sanè
 quã peritè omnia, & intelligenter. Quin cũ ego con
 clussissem argumentum quoddam aduersus medicũ tor
 tuosum ac difficile, in quo erat enodãdo magaus illi la
 bor: iste petita venia, solutionem protulit quã maxi
 mè fieri potuit doctè, atque accommodatè. Quid quę
 ris: accensũ omnes desiderio sunt retinendi hominis, cõ
 sulesq; cum seuoauerunt. Res pacta est aureis nummis
 centenis: tanta cum voluptate ciuium, sicuti ego audio,
 vt oēs nouam quandam felicitatem huic vrbĩ esse exor

ſā putent. Quin circumferūtur ſermones, quos cū con-
 ſulibus habuit, ita liberales atque ingenui, vt nil poſſit
 ſupra. Quamobrem ſpero huic negotio & muneri opti-
 mē prouifum fore: & ſpero adhuc, tamen nondū cōper-
 tum habeo. Sed videbimus reliqua. Habet autē iſte, qui
 mihi maximē voluptati eſt, Græcarum etiam literarum q̄
 pueris imbuendis ſit ſatis. Quocirca tu de eo ſine cura
 eſſe potes. Mutinē ſes ciues noſtros rectē habere ſe, tibi q̄;
 officia præſtitiffe quæ in vtrunq; noſtrum beneuolen-
 tiā ſignificarent, maximē lætor. Quæ ad Quirinales hor-
 tos pertinent, à me tibi miſſa, hæc me ſcribente tibi iam
 accepta eſſe cōfido. Erat enim hic vndecimus dies, quo
 tabellarius qui attulit, diſceſſerat. Reſpondi literis Flo-
 rentinis, nunc venio Ad Romanos: in quibus hoc pri-
 mum lætor, binas iam te ibidem meas accepiſſe. De Ca-
 piſucco gratiſſimum mihi eſt, & Romæ cum cōmora-
 ri, & habere locum quem virtus eius meretur, quanquā
 non vt meretur quidem, eſt enim vir ſummis honori-
 bus dignus: qui quod tui amantiſſimum ſe oſtenderit,
 non eſt aliena illius naturæ & humanitati, hæc comita-
 tis exercitatio. Eum ego maiorem in modum diligo, &
 diligam ſemper: ſummasq; eius virtutes, atq; imprimis
 humanitatē illam qua ſingulari eſt præditus, omnibus
 meis officijs complectar. Eum tu meis verbis & ſalutes
 centies, & amplexere etiam velim. Quòd Iudæorū men-
 tionem intuliſti: in cauſa illa omnes nunc laboramus:
 itaq; rogatus ſum à Delectis huius præfecturæ, quorum
 de numero ſunt qui heri mecum in prædio fuerunt, vt
 cum ijs vnā ad legatum accedam: quod libenter annui.
 Dies dictus eſt accedendi ab hoc die tertius, quò etiam
 propero magis, vt ad te antea ſcribam: ne negotio illo
 hæc opera diſtrahatur. Propter quam cauſam etiam ha-
 biturus es literas inaccuratas, atq; illepidè ſcriptas: nō e-
 nim eſt otium deſcribendi. Sed vt de re: cū eſſent con-
 ditiones Iudæis latæ à Delectis, quib. noua illorum iura
 reſtringebantur: easq; illi recuſaſſent: interuenit Lati-
 nus

nus Iuuenalis, ad quē est aditum à nostris, idq; meo con-
 filio: petitumq; vt æquitatē cōcessionum Iudaicarum
 inspiceret, ad Pontificemq; referret. Non recusauit la-
 bore, vocauit Auenionem Iudcos: parteis ambas audi-
 uit. Correxerit ipse non nulla, quæ nos heri proposuimus
 Iudæis, interrogauimusq;, num illis stare animum in-
 ducturi essent. Tēpus postularunt ad respondendum.
 Biduum datum est, vt perendie, qui dies erat futurus
 VI. Idus, mane responderent: decretumq; inter nos, vt
 responso quocunq; habito, ad legatū statim proficisce-
 remur. Atq; hoc à nobis de indulgentia factum est, vt si re-
 pudiaissent illas conditiones, Latinū inimicum sibi red-
 derēt, cuius autoritatem tam parui fecissent: quanquā
 intēpestiuum nunc quidem est de Iudæis scribere. Ami-
 cum illum nostrum nōdum inuenisse exitum reb. suis
 magnopere miror: eiusq; actiones minimè probo, in
 quo tu quoq; potes animaduertere Paule, quam popu-
 laris hæc quæ videtur sapientia, à vera viuendi ratione,
 verisq; prudentiæ consilijs aliena sit. Sed hæc missa.
 Ego verfor in studijs languidius, & de gloria quidem
 aliquantum processi: sed nescio quo pacto piger magis
 etiam sum ad scribendum, quàm solebam: legēdi volu-
 ptate ducor: sumq; reuersus ad Aristotelis scripta, quæ
 quotidie mihi maiora, præclarioraq; videntur. Proce-
 mium de gloria miseram tibi, quod postea mutaui ali-
 quot locis, neq; nunc vellem Saluato lectum. Sed ego
 hoc confecto de gloria libro, optimum illum principē
 omninosum explicaturus, si impedimento nullo fuero
 tardatus: Cū huc à me peruentum esset, sustinui scri-
 pturam, si quid forte mihi in mentem venire posset, q̄
 præterea esset scribendum. Interim conuertam animū
 ad literas Contarenō scribendas, si & tempus & inge-
 nium mihi suppeditaturum sit: quod sanè diffido. Ad
 Contarenum non succedit quod scribo. quare in aliud
 tempus differamus: & sanè sum aliquantū *ueteris*,
 scriptio autem ad talem virum ab animo vacuo & so-
 luto

luto petenda est. Tandem confeci ad Contarenum literas, quas quoniā examinare, vt soleo, non possum, neq; ingeniū ad iudicandū attēdere, tibi Florebelloq; pmitto, vt nisi duxeritis idoneas, ne reddatis. Vale, & salue mi Paule: imprimisq; animaduerte, neq; frequens tua ad primores accessio aliquā indignā nobis ambitionis suspiciōe excitet. Gallicis fanē quidē illa moribus, q̄ Romanis est congruētior. Quocirca tēperato tibi ab ea, & lōgiora spatia intermittito. Iterū vale. 8. & 7. id. Nou.

ALIA AD EVNDEM.

Vm venissem Auenionem ad XV. Calen. Decemb. Cob causam publicam aduersus Iudæos illuc euocatus, prorinus mihi ex equo descendenti, literas tuas Vitalis obtulit, 3. Non. Nouemb. scriptas: quas non mediocri cum voluptate legi. Delectabat autem me in illis cum summi Pontificis de te opinio, tot iam signis iudicijsq; declarata, quam tibi & honori & ornamento fore confido: tum veterem amicorum nostrorum, summorum hominum, erga me voluntas non solum non extincta diuturnitate nostræ disunctionis, vt mihi ex literis tuis cōspexisse videor: verū etiā beneuolentior facta, postquam tu tuis officijs, tuāq; diligentia acriter quodāmodo faces illorū animis adhibuisti. Sed præter omnia maximē mihi iucūditati fuit Contarenus: cuius ex epistola dici non potest quale de eo iudicium fecerim. Et re vera exemplum mihi illa attulit humanitatis eius, probitatis, benignitatis, prudētiae. Primū, quod ad me prior ipse scripsit. Obsecro, hoc quanti? Deinde, quod illo modo, quod tam ingenuē, tam fraternē, tā amanter scripsit: & cū p̄ me omnia summa fecisset, non tacuit etiā in literis: in quo me sibi visum ieiuniorē arbitraretur. Crede mihi, amo hominē, & tanq̄ alterum me esse iudico, quādo ita sumus cōsentientibus, vt simplicitatē illam, q̄ ego tan to opere amplector, & q̄ tibi amplectendā sem p̄ magnopere prædico, ambo eodē quasi inducti spiritu, tenemus. Ac de magistro quidē
lator,

lætor, & cum illum non esse quem fueramus suspicati,
 & de omnib. cōtrouersijs inter nos conuentū esse: quem
 iā diligere incipio, tuo imprimis testimonio adductus.
 Proinde, etsi stigmata adhuc in fronte gerimus eius de-
 decoris, q̄ mihi ab illo vel per illum iniustum est: facile
 tamen & libenter obliuiscimur pristini doloris, atq; ad
 fraternam beneuolentiam animū nostrū conuertimus
 Ad Contarenū rescribo, cui cū reddas meas literas, de
 meo in ipsum animo, deq; maximis obligationib. qui-
 bus illi sum obstrictus, tu quoq; ea loquere, quæ ex mea
 fide & natura esse scis. Bellaio etiā ages meis verbis gra-
 tias: ipsiusq; erga nos voluntatē neq; vnq̄ mihi incogni-
 tā, & sem p optatā atq; gratam ostendes esse. Nā q̄ hor-
 tatur vt in Epist. ad Galat. commentē, satis tibi expone-
 re non possum, quā à scribendo nunc abhorreat ani-
 mus. etsi hoc fortasse breuis desidiæ sit. Verū si scribē-
 dum maximè sit, num tu ad sacrarum rerum commen-
 tationes me hortare, quarum scriptio tot insidijs & ca-
 lumnijis est infesta? Illud me mordet. Pontifici te esse
 pollicitum: quanquam hoc fuerit bonitatis. Te autem
 existimare, breui à me tempore elucubrari quicquam
 posse, quod lectione dignum sit, id fanè in te vehemen-
 ter sum admiratus: qui nosse tarditatem, & cunctatio-
 nem meam maximè omnium debeas: qui crebro me de-
 speratione suscepta opera penè abijcientem videris. Ti-
 bi ne venisse in mentem, menstruo spatio posse aliquid
 à me confici? Ne tu in hanc opinionem de me discesse-
 ris vnquam: neue tibi persuaseris, cum esse me semper,
 quem tu interdum expertus es, hoc est in potestate & ar-
 bitrio: vel (vt nōnulli dicere solent) in numerato sem p
 orationis copiam habentem. Sed quoniam promisso sa-
 tisfaciendum est, tuaq; fides exoluenda, quam Pontifi-
 ci adstrinxisti: magnopere velim te expiscari & indaga-
 re, quo ille argumento potissimum lætaturus sit: atq; v-
 tinam ipsemet mihi prescriberet: fierem enim attētor
 illo mihi admoto velutistimulo. Quid autē quicq; d dū-
 modo

modo ne de cōcilijs: quod in eo genere & permulta scripta sunt: & volo fidei meæ testimonio derogari, si forte in cōcilio quid sentire de his rebus, esset mihi expromendū. Poteris igitur, si cū eo familiariter loquendi tibi potestas fuerit, seiscitari de comit, quid sibi maximè placeat. Ad Farnesū cōposui gratulatorias literas: scrius fortasse, quā expectarit: sed ita accuratè, vt nihil mihi in ea re videatur potuisse scribi grauius. Florebellū sum moperere diligo, & quanquā mihi illius absentia incōmodo est, atque vt prisco vtar verbo, diuidiæ: tamen florere cum in celebritate magis opto, quā mecum in silentio, & quasi in solitudine viuere: idque adeo illius causa, quem ego dignum omni honore statuo. Gratum ergo erit mihi intelligere, esse cum eo loci positum, vbi spem magnam capere suæ liberaliter fortunæ constituende possit. Nos hic sat belle habemus: asperiorē aliquanto sentimus hyemem, quā in his regionibus solita sit: annona & reliquis fructibus abundamus. Frater tuus quotidie magis & moribus honestis, quod videmus: & literis, quod speramus, proficit. Sacratius in officio est, cōmodamque mihi præbet operam. Amici & familiares valent. Reliqua si qua sunt, à domesticis ad te scribi copiosè puto. Carpentoracti, VI. Calen. Decemb. M. D. XXXV.

Nigrum meum saluere plurimum iubeas velim: quod ego amo mediusfidius, & in medullis habeo: eius literis non rescripsi, satis spatij non habens: & tamē nullam ei epistolam arbitror te internuncio futuram gratiorē.

ALIA AD EVDDEM.

Cripfi literas ad te speciosas, quas Pontifici ostende. **S**re posses: in quibus de tua istic mansione, redditū ue ad nos, consilium illud do, quod vnū in huiusmodi re visum mihi est dari tibi oportere. Nūc scribo has familiariores alteras, vt etiam hoc addam, quod mihi maximæ curæ est. Nam cū ego prius quietiore animo essem, in redditum tuū expectans ad eam diem, quæ fuerat dicta: hoc est, circiter mensē Aprilem, postquam tu non semel,

semel, sed bis iam scripsisti ad me, cupere te anticipare illam diem, et primo quoque tempore ad nos reuerti, magna sum in census cupiditate videndi tui. Sed tamen, quod est mei paterni animi erga te proprium, semper commo- dum & utilitatem tuam meę voluntati preuertiri volo: ut si habiturus sis splendidam occasionem istic commoran- di, agas quod animo tuo lubuerit, quemadmodum tamen in alteris literis, quę ad speciem factę sunt, consilium meum tibi de hac tota re explicatum est. Illud tantum te admoneo familiarius & propius, ut ita statuas, idque habeas explo- ratum, si semel in illam nassam te inieceris, liberum tibi posthac inde exitum non futurum. Nos enim ipsi, id quod tu scis, nisi diuino potius quam humano certe consilio, emissi ex illis vinculis, tanquam e custodia fuissetus, adhuc impediti & constricti haeremus. Neque ego te impedio, nec deterrere te volo, quominus istic maneat, si commodum tibi sit. Sed utrumque putavi meum esse, & quod faceres approbare, & quod sentirem id verum expro- mere. Confeci etiam ad Pontificem epistolam, quam om- nino conueniet reddi: est enim scite (opinor) satis & gra- uiter scripta. Quam quidem ut conscriberem, illa me res precipue impulit: quod nosci ab eo, & a ceteris omnibus volo, firmum animi mei propositum, huius qua nunc fruor, retinendę tranquillitatis, & libertatis meę, usque ad extremum spiritum conseruandę. Amicos nostros quidem omnes, sed imprimis, ac precipue Blossium me- um omnia a me salute & charitate complectere. Vale.

ALIA AD EVNDEM.

BInas a te acceperamus literas, datas mense Nouem- bri: nunc accepimus trinas ipso natali Dei & domi- ni nostri die. Respondebo igitur ad omnes. De tua cupi- ditate, ut sis mecum, & mihi audire gratum est, & te video postremis tuis cognouisse iam de eo sententiam meam: nempe te non minus auidem expectari a me, quam desiderari me tibi: quamobrem ages quod quandoque tibi videbitur. Illud tantum te admonitum volo, ut cau-
tè iter

tè iter facias. cum propter anni tēpus, est enim hyems: tū quod cū non maximè comitatus sis, sisq; per ea loca, eosq; homines transiturus, quorū mos & natura mihi valde est suspecta: nō sine animi sollicitudine esse possū: neq; soluto animo de te cogitare. Quare fac vt omnem adhibeas cautionem & diligentiam, quò te nobis saluū atq; incolumē sistas: fidosq; habeas & comites, & viarum duces: in quo neq; operæ, neq; pecuniæ parci à te volo. Et quoniam vno aliquo egemus qui à pedibus sit, Fabritium eram desideraturus. Sed is retinetur à Florebello, cuius commodū facile antepono meo, alium adduces quemlibet, quem tu idoneum & fidelem esse iudicaris. Cæsium Cardinalem & amaui, coluiq; semper, (quemadmodum tute scis) & valde bene de eius ingenio, prudētiaq; iudicauimēq; ab eo diligentiā sentis: quod est caput meæ in eum obseruantia, eximijq; amoris. Qui quod tibi se comiter amiceq; dedat, habeatq; non nunquam de me mentionem: gratissimū mihi est: teq; illi meis verbis & agere gratias, & meā in illum perpetua officia polliceri, planè volo. Lapidem autem illum quin ferat causa nulla est: quare nisi iam fecisti, facias illi primo quoq; tempore eius auferendi, & sibi habendi potestatem. Marium nostrum auco scire quid agat, & quo animo proœmium nostrum acceperit: tu si ab eo aliquid, continuò facies me certiozem, Gambarum conuentum à te, & meis saluere verbis iussum, admodum lætor: illudq; magis, quòd tibi visum scribis fuisse, me ab eo diligi. Quod ego non parui facio: eius enim de ingenio, & de nobilitate animi, summaq; humanitate, semper existimaui bene: quapropter itē meis verbis ages illi de hac eius volūtate erga me gratias. Petrū Lambertū meum, optimū sanctissimumq; virū, eundēq; omni virtute atq; humanitate præditum, sic nō amo solūm, verū etiā colo ac veneror, vt nullius hominis amplitudini & dignitati plus tribuam, quàm eius vniuersi integritati ac virtuti. Qui quòd me, teq; diligit,

suam

suamq; omnibus in rebus ostendit aduersus nos beneuo-
 lentiam, tam gratè accipio, vt nihil supra. Sed quando
 tot eius erga nos meritis referetur à nobis gratia? vtinã
 veniret mihi in mentē, qua re possē me illi exhibere,
 agereq; aliquid, q̄ tali viro accideret optatum, testimo-
 niū meæ ardentis eiga illum voluntatis. Sed, si omnia
 ad gratiam ostendendam nobis reliqua sunt clausa, te-
 stimonium certè tantæ virtutis ac benignitatis p̄ virili
 nostra in posteritatē p̄pagauimus: est. n. mihi ille sem̄ p̄
 in intimis medullis infixus. Tu ei à me millies salutem,
 vel centies millies potius: nemo est cui me magis charū
 & commendatū esse cupiam. Quòd aut̄ ille tibi suadet,
 vt munus consecrationis, vel facultatē potius eius mu-
 neris accipias, idē ego & p̄bo, & te hortor. Moroni ep̄i
 copi Mutinensis nostri virtute & dignitate plurimum
 letor: teq; in ijsse cum eo amicitiam valde laudo. Caluū
 habeo in memoria, fuit. n. sem̄ p̄ mei amicissimus: ipse
 certè (q̄ nosse de illo potui) ingenio animoq; erectior. q̄
 videretur illius fortuna postulare: quem salutes velim
 à me: eiq; dicas, gratum illum mihi facere, quòd memo-
 riam mei non intermittit: petereq; ab eo me, vt hoc assi-
 duè faciat. Capi succum meum, talem tibi beneuolenti-
 am ostendere, tantūq; impartire amoris, quantum scri-
 bis, in credibile est quantopere gaudeam, & certè nihil
 fieri potest illius virtute præstantius, humanitate leni-
 us, familiaritate dulcius. Et tamen hæc in eo antea etiã
 cognoram: nunc verò, quod tantã fidem præstet amici-
 tiæ, q̄ ita memor sit corū à quib. ipse mirificè diligitur,
 quanq̄ longè absentium, hoc prope singulare est & sum-
 mum in hac ætate optimi viri iudiciū: cui ego toto cor-
 de & animo penitus sum addictus. Illud dolco, quod cū
 ipse facultatē amplam habeat crebro nobis amorem
 suum ostendēdi, nos nihil simile aduersus eū agere pos-
 simus. Sed aliquando poterimus: aut ipse eadē virtute,
 animiq; ingenuitate, qua nos officijs omnib. prosequi-
 tur, nostram voluntatem erga se pro relata gratia acci-

pict. Quòd eius omnibus in rebus ope & consilio vteris,
 facis rectissime, idq; vt semper facias tibi potissimū mā
 do. Ad Gonzagam amplissimum virū suades vt scribā.
 Enimuerò quid: presertim cū ascribas oc cupatissimum
 illum esse. Videtur tibi ne rectum, vt obtundamus cum
 inanibus epistolis: Ac delectatur stylo & genere meo di
 cēdi. Primum, nō video cur delectari debeat, quid enim
 est in meis scriptis egregium, quodq; non imprimis hu
 mile & serpens humi sit: Deinde, si maximè delectetur,
 iuuenile est summos viros literis lacessere, quæ nil affe
 rant aliud, præter animi delectationem. Immò verò ha
 beat ille hoc pignus nostræ summæ erga cum obseruan
 tiæ, maximiq; quo illum psequimur honoris, q̄ vacu
 as reb; & negotijs literas ad eum dare erubescimus. Quē
 q̄ scribis omnia summa officia Accolto nostro in illius
 grauissimis incōmodis præstitisse, letor virtute & laude
 amplissimi ac nobilissimi hominis: multumq; ego quo
 que hoc nomine illi debere me intelligo. Gratum & id
 mihi, q̄ de Vbalдино nuntias, esse cum eum Accolto in
 amore & gratia, hominemq; sese in illius aduersis rebus
 præstitisse. Laudo virtutē, officiumq; diligo. Sed de eo
 ipso est q̄ exoptulam. Tand iuue, cū in Vrbe assiduus
 fuerit, nihil ad me literarum, ac ne p alios salutem qui
 dem: at tu illi à me plurimam. Cui indicabis, etiam si ip
 se me minus diligit, summè tamen cum à me & amari
 & semper amatum iri. Hortos nostros Quirinales scripsi
 vt redimeres: nunc si tibi videtur cōmodius sinere eos v
 ti sunt, ea ratione, ne si ab vno auellantur in aliquem
 potentiorē incidant, à quo nō tā faciliè postea possint
 auelli: facies q̄ iudicaris rectum, totum .n. hoc negotiū
 tibi pmitto. Latinum Iuuenalem amo maiorem in mo
 dum, meq; ab eo amari opto: tu me illi & mea omnia, et
 res prouinciæ huius cōmendabis. Ac milius quod à me
 petit, neque facile id factū est, & certè alienissimum no
 stræ integritatis. Nos officia amicitiae illi præstitimus,
 quoad licitum fuit: sinat nos nunc officij nostri habere
 ratio.

rationem. Nam vt nos cogitationibus vrgendis, & ad-
 uersarij persona suscipienda, lites prosequamur, neque
 honestum, neque decorum nobis est: longeq; remotum
 à more & professione nostra. Libellum hic retinebim⁹,
 quoad ipse inueniat qui rem exequendam curet: quem
 ex prouincia ipsa esse oportet: et tamen magnus nume-
 rus eorum hominum solet in Vrbe esse: vt futura sit ei
 alicuius copia, qui id agat sedulo & diligenter: quando
 quidem ad talia genus illud hominum est aptissimum.
 Si qua re honesta **Aemylius** meam beneuolentiam erga
 se expectet, experietur semper me amantissimum sui.
Ain tu Romæ esse **Hieronymū** **Aleandrum**: quem ego
 abesse longè putabam: audieram autem esse eum **Vene-**
tij: gaudeo medijsfidius, datam tibi facultatem, homi-
 nis omnium doctissimi & noscendi, & visendi: quem
 quòd scribis mei esse peramantem, moriar ni eo nuntio
 mirabiliter sum delectatus. Hic de illis **Paule** est, quos
 ego imprimis mirari soleo. Incredibile propè est, quæ
 sit hominis sciëntia, memoria, cognitio rerum plurima-
 rum, de quo sepe equidem tecum locutus sum. Sed nūc
 cum nactus occasionem es, complectere hominem em-
 nibus officijs, & te illi insinua: abibis enim semper ab
 illius latere & colloquio doctior: què salutari à te meis
 verbis studiosissimè volo. Tantum vtrunq; nostrum ab
 amplissimo viro **Contarino** amari, quatum tu scribis,
 sum me mihi voluptati est: vtinam ille modò habeat iu-
 stas causas id agendi. Ipse quidem illi omni obseruãtia
 iure optimo sum adductus: cuius legi adnotationes, &
 tamen est quiddam, in quo leuiter dissentimus: in quo
 tamē meis rationib. allatis illius sententia potissimum
 staturus sum. Sed oporteret nos colloqui: quod aut fa-
 cimus coacti concilio, si modò vnquam cogetur: nam
 ego quoque **Christiano** illi negotio pro mea parte non
 decro. Aut si facultas ea non dabitur, & desperaro posse
 nos congredi, per literas accuratius & sciscitabor sen-
 tentiam eius, & explicabo meam: quam obrem tota ista

res in id tempus differatur. Mēdum illud in libro meo,
quod ipse quoq; corrigi debere dicat: probetq; in eo o-
pinionem meam, quæ tamē eadē semper fuit, neq; quo
pacto in verbis illis fuerit immutata scio, nec miror, &
tantò magis dari à te operam volo, vt in omnib. libris,
quotquot fieri poterit, error ille tollatur. Ad postrema
venio literas: Saluiatum & Campegium, & Symonetā,
quantum colam tu optimus testis es: qua autē illi in reb.
nostris benevolentia vtantur, cognoui ego ex tuis lite-
ris. Agito igitur illis maximas à me gratias, omnemq;
meam obseruantia, officium, amorē, eisdem defero: q̄
cōmodissimè facies, cū comēatum petes ad nos re-
uertendi gratia. Hortensium leior bonis ingenijs proba-
ri. Octauio Pantagatho optimo atq; eruditissimo viro,
cuius officium gratissimum habui, meam item gratiam
esse & memoriam eius officij, & erga ipsum voluntatē
gaudeo. A Steuco accepi literas humanissime scriptas,
quæ me maiorem in modum delectarunt. Quod ad Fre-
gositium scripsisti, laudo. De pensione illa tua petere à re-
ge vt eam autoritate sua comprobet, indignum est. No-
stra erga illum officia eiusmodi sunt, vt si fortunam se-
queremur, maiora ab illo expectare deberemus. Nunc
cū ē fortuna nō pendeamus, infringere in re parua ma-
gnitudinem animi nostri, ne cadere quidem in cogita-
tionem nostrā debet. Si pensio per Pontificē potest ro-
borari, honesta est actio, & petere non indecorū. Si ad
Regē confugiendum est, non est tanti pensio, cur hanc
demititionem animi alienam à morib. & natura nostra
subeamus. Nihil est quod te pigeat reddidisse primò. Far-
nesio literas, & eius opem & gratiam implorasse: non
enim dubito, quin negotiū suscepturus ex animo, idq;
q̄ volumus à Pontifice impetraturus sit. Quod si etiam
fiat serius, semper tamē futurum est his populis gratū.
Non te oblitum arbitror, quod tibi discedēti de Alfonso
fratre in mandatis dederim. Id tamen, quoniam (vt
debet) magna mihi curę est, repetendū his literis duxi,
vt

vt inſtes contendasq; apud Pontificē Maximum, quo
 magiſtratus ei aliquis illius virtute dignus mandetur,
 in quo poſſit & doctrinam ſuam, & integritatem exer-
 tere. Non enim diffido optimum Principem, pro ſua
 clementia & erga nos voluntate, habiturum rationē ro-
 gationis noſtræ: nobisq; ea præbiturum, quæ cōmunia
 ferè ſunt: cū nos, qui nihil magnum neq; inſigne que-
 rimus, ac ne optamus quidē, neq; ob eas res aures Prin-
 cipis noſtri obtundimus, hōc ſimus qui parua & vulga-
 ria impetremus digniores. Ages igitur cum illo noſtris
 verbis, & diligenter, & audacter: vt habere velit fratris
 mei rationem, & docti, & prudentis viri: cuius iam pro-
 bitas, iuſtitia, & integritas, in alijs magiſtratibus, quos
 aliàs perhonorificos geſſit, magna cum ipſius laude ſpe-
 ctata eſt. Cauſas celerioris reditus tui, vel q̄ iuſtę ſunt,
 vel quia ego rei ipſi fauceo, habeo fanè quā probatas. Tā-
 tūm te moneo iterum atq; iterum, vt cautiſſimè iter fa-
 cias. Iulium puerum hoc tempore viæ committi non
 placet: primo verè curabitur vt tutò & commodè ve-
 niat. quod etiā eius deducendi onus Nicolaus Capellus
 ſibi ait impoſitum à mulierib. fuiſſe: qui cū illuc cu-
 piat redire, comitum penuria etiā nunc detinetur. Ite-
 ras meas ad Pontificem maximum, quas poſcebas, cū
 hæc ſcribā ad te, perlatas eſſe arbitrabar, teq; illis iam
 uſum eò quò vtendum putaffes. Accoltum doleo exce-
 dere ex ea vrbe, in qua ego maximè eum morari vellē:
 vt enim nobis eſt amiſſiſſimus, ſic pluribus rebus naua-
 re nobis poſſet beneuolentiam ſuam. Sed ferēda huma-
 na. Quas quidem ad eum ſcripſi literas, nō minore mo-
 tu animi à me ſcriptæ ſunt, quā ab illo fuerint lectę.
 Claudium opto mecum eſſe, tametſi ego in ſcribendo
 & lucubrando factus ſum ſegniſ: itaque ſcito, nihil à
 me hac hyeme compoſitum fuiſſe, quod momenti ali-
 cuius ſit. De gloria inchoaueram, ſed citò intermiſi:
 habeo tamen in animo opus illud perfequi, in quo Sal-
 uato, cui tantum debemus, referatur aliqua ex parte à

me gratia: quod etiam per te illi volo exponi, & declarari. Tu semper de Blossij Palladij nostri humanitate, comitate, benevolentia erga nos aliquid ad me scribis: tibi autem quid ego rescribam? nisi illud, quod solenne & fixum est, cum a me scilicet incredibiliter amari. Quod cum summe faciam, non tamen tantum mihi videor posse facere, quantum illius erga nos officia postulant. Vellem scripsisses ad me, ecquid habeat gratum, quod ego illum in meo Hortensio intexui: & certe habere debet: non tam, quod magnum aliquid propterea sit affectus, quam quod ego illi in conspectu propemodum pono vniuersam imaginem illorum temporum, in quibus nostrae vtriusque iuuentutis desideria illa ardentia ferbuerunt, quorum est recordatio vtriusque nostrum iucunda. Eum tu meo nomine amplectere, & salutem illi plurimam dices. Florentium magistrum huius iuuentutis quotidie magis probo: nisi quod videtur mihi factus taciturnior, & solitudinis amantior: in quo mihi est admonendus, (quod facere cogito) ut caueat, ne hoc sit *μυλαγχολία* vitium non animi iudicium: omninoque modo ad hilaritatem est prouocandus. Et stipendium publice constitutum est satis amplum. Cuius tertia pars illi a nobis soluetur, quae admodum cum tu etiam adesses, eramus ciuibus polliciti. Frater tuus mihi admodum satisfacit, seque exhibet & facilem & cupidum obtemperandi mihi: & certum (ut aetas illa est) nihil, aut admodum raro delinquit. Spero de eo optime. Sacratum in suis studiis est assiduus: caeteri familiares bene habent. Nos hic in suauissimo otio viuimus: copia rerum abundamus (praeterquam pecuniae) penes omnium. Multum mihi tuae ad Bebum placuerunt literae: ut, si homo es, magno animo dedere te debeas ad hoc Latine scribendarum epistolarum genus. Ad postremas tuas literas nihil est rescribam amplius. Satis enim ad omnia arbitror esse responsum. Tantum Iacobaccio humanissimo viro ut gratias agas meis verbis mando, atque, ut eadem omnia nostra commendes: meque confirmes memorem semper & ipsi

us officiorum erga nos, & patruorū eius futurum, quos ego vehementer amaui dum viuerent, neq; desisto diligere etiā mortuos. Adscribam hoc quoq; nisi ex tuis literis fecero cōiecturā, diutius te isthic, q̄ nunc facturum te ostendis, commoraturum esse, nullas amplius literas me ad te scripturum: sed tempus & curam omnem positurum in sacrarum literarum studijs: quę narrare tibi ne queo quanto opere me delectent. Tu vt eo animo ad nos venias, tanq̄ te in eadē studia totum immerfurus sis, omnino facito. Vale etiam atq; etiam. Durando cubiculario summi Pontificis multum intelligo me debere: si is enim in te officijs egregiē promeruit, vt ego quoq; illi deuinctus essem: quam obrem ages meis etiam verbis ei gratias: meq; totum suum vt existimet, admonebis. Iterum vale. V. Cal. Ianuarij, M. D. XXXV. Carpent.

PAVL. SADOI. PETRO BEMBO.

EXeis literis, quas ad Lazarum nostum Papię proficiscens dedi, me in Italiam venisse, Romamq; iter habere, & quę profectiois nostrę causę, quę ue con filia essent, cognouisse te arbitror. Illud quidem certē cognosse te nō dubito, quōd ei nominatim vt te edoceret mandaueram, deferre mecum me patruj mei de laudibus philosophię librum, quem is paulō ante absoluerat: atq; ab illo mandatum habere, vt simul ac constitissem, statim eum describendum, & fideliter ad te perferendum curarē: mirificē enim eum cupere, vt tu illum primo quoq; tempore, atq; omnium princeps haberes: cū eius amicitie, quę inter vos intercedit, causa, (præsertim cū tu illum ab eo librum tanto opere efflagitasses) tum verō vt lucubrationem suam ad iudicium tuū deferret, tuāq; imprimis opera, cura, diligentia, fide, in illa expolienda vteretur. quod ipsum etiam, postquam ad Urbem veni, diligeatius mihi per literas mandare, meq; vt approperearem vrgere nunquam destitit: faciliē vt appareat, quamquam magna quædam in colibro se esse conatū existimet, nō tamen eum illi librum

antè probatum iri, quã is grauiſſimo atq; acutiſſimo iudicio tuo fuerit cõprobatuſ. Quamobrè Mattheo Dãdu lo cuiui tuo, eidemq; tui nominis (vt mihi pſpicere viſuſum) ſtudioſiſſimo, mihi ex Contareni Card. familiaritate cognito, & propter eius virtutẽ atq; humanitatem vehementer pbato: cum in iſthec loca pſciſceretur, ipſum deſcriptum ad te librũ dedi, eiq; q̄ maximè potui cõmendauĩ: quẽ effecturum nõ dubito, vt iſ fideliffimè ad te celerrimeq; pſeratur. Nunc te Bèbe optime ac praſtantiffime, patri mei verbis etiam atq; etiam rogo, ſi demq; à te amicitiaẽ, q̄ nobis omnib. in rebus diligentiffimè præſtare conſueuiſti, in hac re potiſſimum implo-ro, vt ad eum legendũ eo animo accedas, non vt ſi quid laudandum in illo, ſed vt quidquid reprehentione dignũ ſit, tibi id notandum atq; animaduertendum putes: vtq; ita ſtatuas, nos à te non tam voluptatem vllam ex laudatione tua, quàm maximam ex correccionẽ vtilitate expectare. Id porrò optimè fiet, ſi in legendo iudiciũ partes ſuſceperis, amici depoſueris. Subuereor. n. interdũ, ne te nimius amor noſtri in fraudẽ inducat, tibiq; omnia quacũq; à nobis proficiſcantur, arridere faciat. Quare cum tu Bèbe amorẽ in iudiciũ ne adhibueris, ſanctiusq; apud te ſit religionis atq; officij nomen, q̄ vlla amoris ac familiaritatis ratio. Quanquam quod certuſ ac propriuſ magis eſſe cenſenduſ eſt amici munuſ, aut quiſ ex amicitia capi vberior fruuctuſ poteſt? quàm vt quiſq; doctrina, ingenio, magnarum rerum vſu quàm maximè excellit, ita ea illum omnia ad amici voluntatem atq; arbitriuſ ſummo eius tempore, quàm libentiſſimè conferre: iſ præſertim de rebus, quæ & iã in manus hominum venturæ ſint, & ad poſteritatem etiã ipſam forſitan peruenturæ: vt opera ac fides tua à te nobis ita debeat, vt eadem etiam pertineat ad vniuerſoſ. Illud te admonitum volo, poſſe legi librũ, itemq; ab amicis noſtris doctiſſimis viris deſcribi, Polo, Lazaro, Lampridio. quoruſ item quod de eo iudiciuſ ſit, valde

auemus scire, imprimi verò atq; edi nequaquam posse:
 vult enim patruus ampliore temporis spatio facultatē
 sibi esse, mutandi & corrigēdi, si quid ex tuo præsertim
 iudicio, emendatione dignum videbitur. Verū eadem
 hæc patruū per literas tecum egisse confido. is enim ad
 me proximis literis scripsit, se literas à te, Iulio (vt arbi-
 tror) mense datas, tunc demū accepisse, atq; vt ad eas re-
 sponderet, se parare. Tu cū scribere ad nos voles, cen-
 sco huc ad Nigrum, qui vtriusq; nostrum amantissim⁹
 est, ipsas literas mittas, qui eas mihi, quandiu hic ero, e-
 uestigio reddet: postq̄ aut discessero, Carpentoracti eti-
 am nobis eas curabit reddēdas: sic enim optatissimē tuę
 literæ, quanquam paulò longiore erratione, certius ta-
 men, ac plerunq; etiam celerius ad nos puenient. Quod
 aut ad me ipsum attinet, ego cū in Italiā venire con-
 stituissē, ita peregrinationis meæ partes distribuērā,
 vt statuerem, te isthic in reditu meo inuisere, quem ad
 mensem Aprilem conijciebam fore. Te autem iccirco
 videre omnibus votis cupiebam: primū, vt summum
 meum erga te studium, singularemq; obseruantiā qua
 te iam pridem sum complexus, coram tibi declarare co-
 narer: fruereq; exoptata voluptate videndi atq; allo-
 quēdi eius viri, cuius virtute ac monumētis nostra hæc
 ætas illustrior, & ad posteritatem commendatior futu-
 ra est. Deinde, vt etiam ex tua aliquorum dierum con-
 suetudine, aliquid ipse ad vsum meū transferrē, quod
 ad optimum atq; honestissimum vitę cursum mihi con-
 stituendum valeret. Nam cū hæc sola ferè causa sit,
 quamobrem hanc à me urbem, quæ semper domiciliū
 virtutis atq; prudentiæ optimo iure habita est, visendā
 atq; inspiciendam putarim, vt scilicet in meis vitæ rati-
 onibus prudentior ex eo, atq; moderatior fierē: meq; ad
 præstantium virorum, qui in ea sunt, exemplum atque
 imitationem conformarem, quantopere mihi tuus Bē-
 be aspectus exoptandus est, qui mihi vnus totius vr̄bis ef-
 se instar potes? Quare statuebā (vt dico) te videre anteq̄

in Galliam me referrem : maneoq; etiam nunc in sententia: modò stet illud q̄ diximus, de tēpore, ad q̄ cogitabamus reuerti. Nā si expectabim⁹ Aprilem mensem, te omnino videbim⁹. At si quis interuenit casus, quo hycme cogar reuerti, id q̄ potius formido, aliud erit mihi cōmodius atq; expeditius iter suscipiendū: atq; ita, ad molestū sanè itineris, atq; hyemis laborē, illud etiā mihi grauius accedet incōmodum, quòd tuo mihi optatissimo congressu carendum erit. Quicquid autem ceperimus consilij, te de eo certiozem faciemus. Vale.
decimo Calend. Decembris M. D. XXXV. Roma.

PAVLVS SADOLETVS RODVLPHO

Pio S. R. E. Cardinali, S. P. D.

Decimus circiter mensis agitur, cum ego & F. Molsa noster, Io. Fr. Fallopium ciuem nostrum iuuenem honesto loco natum, ac liberaliter institutū, amplitudini tuę diligēter cōmendauimus: à teq; omni studio ac precib. cōtendimus, vt eum mirificè cupidū ac sitientē familiaritatis tuę, velles in fidē ac familiā tuā recipere: multaq; addidimus, quam obrem & ille tantopere id cuperet, & tu nolle non deberes. Atq; hoc à nobis (q̄ te meminisse non dubito) quodā die factum est, cū ad prādiū apud te, certo cōsilio, ego atq; Molsa venissemus: cumq; à te lautè ac peramāter accepti, loquendo (vt fit) ac deambulando, in angustā quandā ac penitissimā bibliothecę tuę partē soli tecum vnā peruenissemus, opportunū sanè locū, vt nō inde tu facillè, nisi ea q̄ à te petebamus, venia nobis data elabi posse viderere. In quo illud mihi sanè gratum atq; imprimis iucundum accidit, q̄ preclarum eo die specimen vidi eximie cuiusdā liberalitatis atq; humanitatis tuę. Nā cū à nobis vehemētī⁹ p̄merere: ac tibi quominus cupiditati nostrę, quę admodum voluisses obsequi statim posses, rei familiaris tuę non pauce; vt tute affirmabas, idq̄ nos etiā agnoscebamus ipsi) difficultates obstarent: vidi te tamen mēte sepius hęsitantē, vtrum maior tibi cōmodi tui ratio haben-

habenda esset, an studij ac voluntatis nostrę: quasi tibi durius esset, nobis quippiã abs te petentib. nõ satisfacere, q̃ contra rei familiaris tuę rationes atq; cõmoda facere. Itaque ea tunc ab amplitudine tua inita est ratio, quę & reb. tuis cõmodior, & equę nobis futura esset grata. Petijsti. n. à nobis, vt certos aliquot, 4. opinor mēses) Fallopium ipsum sustinere se, ac cõmodum tuum expectare iuberemus: quo tēpore domesticas tuas difficultates explicari posse sperabas, auctis p̃ eos dies ex Gallico sacerdotio vectigalibus tuis. Tū enim demum te illi, nobisq; tantopere p̃ eo laborantib. morem esse gesturum. Quod cū Fallopio renuntiauissemus, magnum se quiddam p̃ nos adeptum esse arbitratus est: ac cum magnas nobis, tum amplitudini tuę maximas apud nos gratias egit: Sibi enim facile aiebat fore, quãdiu tu velles expectare: vt q̃ nulla necessitate, nullaue inopia ad tuam exoptandam familiaritatē adduceretur: sed sola ea fama ac hominum prædicatione, quę de tua virtute, & animi magnitudine, summaq; humanitate incredibilis pene est, studio atq; amore tui accēsus & inflāmmat⁹, cuperet ei viro cultum atq; operã suam dicare, cuius ipse ex nomine & familiaritate fieret ornatior. Accidit, vt tu breui interiecto tēpore, à summo Ponti. ad Gallia Regē legatus de pace mitterere. Et paulò post secuta est ipsius Ponti. nostraq; cum ea vnã ab Vrbe profectio: tantãq; deinceps res, te imprimis interprete ac ministro, inter maximos principes actæ tractatęq; fuerunt, vt nihil de eiusmodi priuatis rebus, ne cogitandi quidem daretur loci. Nunc autē cū sedatis illis vrbānarum rerum agitationibus, & publica re bene constituta, vnumquęque ad priuatas suas rationes, atq; ad instituta vitæ consilia reuerti liceat: admonet nos perpetui sui optati Fallopius, sibiq; nunc demū post decimum mensem, patere aditum ad familiaritatem tuam petit: meq; & Molisam sponsores suos appellat. Nos verò, præstantissime Rodulphe, fidem illi nostram præstare non possumus,

nisi

nisi benignitate ac liberalitate tua adiuuemur. Itaque Molfa quidē qui isthic adest, cōmunem hāc causam nostrā apud te aget plurib. Quem etsi sciebā, propter ipsius suauitatem excellentemq; doctrinā, apud te apprimē gratiosum esse, nec verò minus eum valere eloquentia grauitateq; verborum, q̄ gratia: vt vbi ille presens esset, mea vox ac commendatio non magnopere desideranda esse videretur, tamē vt ego quoq; meam fidem ac diligentiam homini amicissimo probarem, has ad amplitudinē tuā dedi literas: te etiam atq; etiam rogans & obsecrans, vt equum te ac facilem postulatis nostris prebere, hominemq; imprimis honestum & probum, nec non singulari quadam industria atq; artificio præditū, quade re tecum aliās sum locutus, benignitate tua amplecti atq; in tuis esse velis: presertim cū ille non casu, vt pleriq; faciunt, ad familiaritatem tuam appetēdā delatus sit: sed vnum te ex vniuerso amplissimorum isthic virorum numero, sibi iudicio certo delegerit, quem patronum totius fortunæ constitueret suæ. Hunc si ad te admiseris, atq; in familiam tuam receperis: equidem tibi audeo polliceri, magnā te ex illius fide ac solertia voluptatem esse capturum. Mihi sanē cū illud gratissimū erit, ppter amici mei cōmodum, cuius ego causa vehementer cupio: tum etiam intelligo, q̄ honorificum apud municipes meos Mutinenses mihi futurum sit ac gratiosum, tanti videri esse apud summos viros cōmendationē meā, vt illorum beneuolentiam ac gratiam ciuibus meis conciliare, eosq; opera ac diligētia mea iuuare possim. Quod si vides mihi amplū esse, ac penē gloriosum: existimare debes, me tibi, cuius bonitate ac beneficētia eam apud meos fuero laudem assecutus, quā maximā ac perpetuam gratiam pro tali tuo beneficio habiturum: & ad multas eas & graues, quas cum Patruo meo communes habeo, tui amandi ac omnibus studijs colendi causas, maximam etiam ex hoc tuo in me priuatum ac propriē collato beneficio cumulum accessurum esse.

sc. Vale. VIII Cal. Nouemb M. D. XXXVIII. Carpent.
IAC. SADOL. PAVLO SADOL. S. D.

Decimo octauo die postquam à te discesseram, Muti
nam veni, Idib⁹ ipsis Maijs: ibi Alfonsum fratrem
offendi valentem, & salua cetera quæ quidẽ dome
sticas ad res ptinent. Sed illi penè inopinatus fuit aduẽ
tus meus. Etsi enim imperiũ nouerat, quo ego accerse
bar, de mea tamen voluntate fuerat dubius: itaq; affui
quasi improuiso. Nostri quidẽ ciues officiosè atq; amã
ter visum ad me & salutatum frequẽtes adierunt. Ego
illo triduo Florebllum Bononiam misi, & ad Farneliũ
litteras, nihil dissimulans de mœstitia mea, & simul ex
ponens q̃ mihi graue extitisset venire in Italiã, & alic
nissimo meo tẽpore iter illud suscipere. Petebam autẽ vt
transacto cum Cæsare colloquio, liceret mihi Carpen
toracte reuerti, quod ia vnum atq; solum à summo Põ
tificie expeterem beneficium. Erat & illa excusatio in li
teris, me non continuò Bononiã profectum esse, q̃ de
via fessus, aliquot dierum quiete, reficendi mei causa
indigerem: me tamen quod ipsi imperassent esse factu
rum. Responderunt, posse me Mutinæ ipsorum volun
tate residere, donec vocandi abesset opportunitas. Quo
ego nuntio accepto, in Corlianum nostrum me cõtuli.
Vbi sextum diem iam ago, nitẽs quoad possum, reficere
animum: cumq; reuocare ab ijs sollicitudinibus, quæ me
præter consuetudinẽ vehementer agitauerunt, quod li
terarum imprimis beneficio bona ex parte cõsecuturũ
me arbitror: tametsi libris careo, neq; habeo præter du
os aut treis. Sed tamen & perfecti librũ illum de peccato
originis, vt is iã exire in manus hominum me cõceden
te possit: & alia commentor, quæ si res mihi facultatem
dederit, in lucẽ editurus sum. Illud quidẽ mihi sentio
vsu venire, vt nunquam ex studijs literarum tantum vo
luptatis ceperim, quantum hoc tempore: vel quòd nul
lam aliam habeo suauitatẽ, in qua acquiescã: vel quòd
maior in morbo medicinæ vis apparet. Hic rumor erat

ortus (vt dicebat) Bononię, mihi legationem illam à Pō
 tifice esse decretā. Sed sine capite hic rumor: nihil enim
 habebat certi nec constituti: tantū modo sermonib. ho-
 minum res iactabatur. Quod quoniā mea neutram in
 partē interest, vtrum magis velim planē nescio. Ego, si
 mihi detur optio quid expetā, domum cupio, & reuer-
 ti ad vos, & agere vitam cum meis amantissimis. Quod
 si procul à meis tāquam in exilio vitam ducere necesse
 est, reliqua est deliberatio, mihi nē expediat habere le-
 gationem: Sed de his satis. Aduentus Caesaris adhuc in
 expectatione est, nihilq; de eo certi ad nos allatum. Di-
 cebatur tempestatib. retentus conficere cursum: non po-
 tuisse: & tamen sunt qui nuntient, peruectū cum ad in-
 sulas quę supra Massiliam sunt. Quod si est ita, citō Ge-
 nuę illum habituri sumus. Nostrum quidem illud inuē-
 tum ad concordiam pertinens, quod tu quoq; tanto pe-
 re probabas, scito nō suppressum modō fuisse, sed sicu-
 bi fuit illius enuntiandi necessitas, alio atq; erat modo
 interpretatum: verū ista viderit Deus. Ego post disces-
 sum isthinc meum, nec literas à te nec nuntium vllum
 accepi, quod mihi molestum est: nihil enim vehemētior
 opto, quā de te audire ea, quę mihi iucundissima sint,
 vt rectē valeas: vt in magistratu te geras: quid ciues
 mei, quid reliqui omnes agant, quorum nobis & salus
 & memoria est iucunda. Tectū Felicianū absolui volo.
 Viaticum huius itineris, p̄ ratione dierum qui in itine-
 re consumpti sunt, nisi ad Carolum nostrū Gualteruc-
 cium vti peteret: res equa & legitima nihil habuit diffi-
 cultatis: trecenti statim numerati sunt, in quo opera Ar-
 dinghelli eximia & amor erga me singularis. Illud ex
 hac mea postulatione mihi accidisse gaudeo, q̄ dese-
 runt mirari ac reprehendere, q̄ ducentos illos reddidif-
 sem, posteaq; viderunt me trecentos poscere. Non enim
 iā illa morositas mea, sed religio iudicatur. Adhuc hæc
 erant q̄ tibi ex me nota esse vellem. Si quid amplius eue-
 nerit, curabo vti scias: & vel ipse ad te mea manu scri-
 bam,

bam, vel delegabo Florebello. Catherinum, Gloceriu,
Verotum, & reliquos familiares nostros saluere iubebis
meis verbis. Curabisq; præ ceteris rebus omnibus, vt mi
hi à te literę crebrò longissimæq; reddantur. Vale mi
Paule, & Deum precare vt redeamus. Iterum & sapius
vale. Ex Corliano, VI. Calend. Iunias, M. D. XLIII.

IAC. SADOL. PAVLO SADOL. S.P.D.

Atis ad te literis illis, quas in Corliano scripseram,
Dhec secuta postea sunt. Ego cùm angerer animo, di
rēptum me ab eis optimarū artium studijs, in qui
bus beata mihi vita erat reposita: & reliquisse tamen cū
illis vnā, cū eos homines, qui mihi essent charissimi,
tum eas regiones in quibus mihi summa cum libertate
animiq; iucunditate, meo arbitratu, viuere erat concess
sum: tentandū & conandū esse duxi, si quo pacto possē
me hinc explicare, & ad vos, quib. cum esse maximè cu
pio, primo quoq; tēpore me referre. Itaq; cepi cōsiliū
opinionē meā solers plenumq; summē rationis, si tamē
ratio omnib. in rebus locum haberet. Scripsi enim lite
ras, quarū exemplum tibi misi: & ad eum scripsi, q. ma
ximè mihi suffragari meā voluntati posse videbatur:
idq; ipse nō nolle, quādo eodē his studio mecum, eodēq;
erga literas animo est coniunctus Qui mihi post triduū
rescripsit, omnia se summa egisse: longum habuisse cū
Pont. sermonem, visumq; sibi illum animo erga me p
pēso & beneuolo: certū tamē responsum meis postulatis
in ppinquum colloquium reseruatum esse. Et simul e
isdem literis me admonuit, vt cū primum commodo
meo possem, Bononiam me conferrem. Erectus eram
in spē, vt non diffiderem aliquid posse fieri eorum quę
cupiebam: nec tamen planè confidebam. Res ipsa & po
stulatorum equitas me vt sperarem hortabatur. Cure
nim difficilis deberet esse Pontifex in ea re mihi conce
denda, quæ sine vllō onere ipsius proprio, & laudem il
li & genus quoddam honestissimę vtilitatis esset allatu
ra: Rursus conditio temporum, & impendentes quoti
dian

diani penè vndiq; metus, ab ea spe me abducebant: nō
 nihil enim in persona mea ad subueniendū tantis præ
 sentibus Reip. fluctibus hominum iudicio videbatur ef
 se positū. Anceps igitur animi, & dubius, quid casurum
 esset, Bononiā perrexi Nonis ipsis Iunij, diuerti ad Pa
 leotos, quorum vetus hospitium nobiscum hac noua
 familiaritate renouatum est. Postridie mane Pontificē
 summū conueni. Acceptus sum ab eo perbenignè: lau
 dauit operas nostras legationis Gallicę, aduentū nostrū
 ad sese sibi imprimis gratum esse affirmavit: ostendit si
 bi curę fore cōmoda nostra, idq; breui nos re ipsa intel
 lecturos pollicitus est. Egi gratias, cōmemoratisq; cau
 sis, quib. ad veniendū effectus fueram difficilior, institi
 repetere eadē q̄ in literis scripseram: nihil me malle in
 hac iā mea præcipitante ætate, q̄ in ocio viuere, & quib.
 me donis Deus ornare (si tamē vllis ornauit) voluisset,
 ea ipsa dona ad illius laudē gloriāq; conuertere: esse
 mihi in animo laboranti fidei Catholicę ferrē opem, si
 quā possem: præsertim q̄ tam multis oppugnantorib. labe
 factata atq; vexata, paucos qui se defenderent, iam ha
 beret. Hoc autē dicebam, quod de duorum doctissimorū
 hominum morte, Alberti Pighij, & Ioan. Ecchij nuntij
 huc peruenerant. Proinde rogauit vt mihi reditum con
 cederet in ea loca, in quibus hoc optimè fieri à me & cō
 modissimè posset. Respōdit in presentia nihil se de hac
 re constituere posse: videre me statū periclitantis Chri
 stianę Reip. in ea regenda egere se ope multorū atq; con
 lio: in eoq; non nihil mihi sublanditus est. Hoc sermo
 ne habito, dabatur enim eo die senatus Episc. Geneuati
 nuper in Card. collegiū allecto, tū primū ad Pontificē
 venienti, sessum oēs cōcessimus. Postridie, qui fuit dies
 6. Id. Iunij, senatus iterū vocatus est: causa conueniendi
 fuit, q̄ cū superiorib. diebus fuisset de cōsilij sentētia de
 cretū, si Cęsar Bononiā venire recusaret (p̄perare enim
 dicebatur, nec spatiū habere tā longē ab itinere declinā
 di) vt ne vltorius p̄cederet Pōtifex, sed vel illū Bononię

exciperet, vel si id non contingeret, inappellatum abi-
 re pateretur: cum tamen si quid in congressu agendum
 esset, id mittendis nuntijs facile posset sarciri. Ratio au-
 tem ita decernēdi fuerat, quod videbatur hoc dignitati
 & grauitati sedis Apostolice maximè cōuenire: simulq;
 ætatem Pontificis pergrandem tot itinerum laboribus
 obijci non placebat. Ergo hæc eadem res iterum addu-
 cta erat in disceptationem: placerētne vltierum obuiam
 procedi necne. Nā Cæsar quidem Parme se ostenderat
 Pontificem libenter conuenturum: hic quinque ante me
 rogati, in sententia pristina manserunt: cū exceptione
 tamen, nisi certa spes aliqua de pace esset oblata, quæ
 iter suaderet: tum enim iri oportere cōsuerunt. Ego ro-
 gatus, contrariam sententiam dixi de valetudine & in-
 columitate corporis ad Pontificis iudicium reieci. Di-
 gnitatem in eo dixi positam, si quæ vtilia & commoda
 Reip. Christianæ essent, agerētur: hanc vnam me agno-
 scere, neq; aliam præterea vllam in ecclesiasticis homi-
 nibus dignitatem. Inquirere certam spem in eis rerum
 euentibus, quos suæ potestati Deus referuasset, non esse
 nostrum: velle & conari bona, quod in nobis esset, ad
 nos id pertinere: me tamen sperare, cū Cæsar & tem-
 pus anni, & Pontificis ætatem laboresq; conspexisset,
 habiturum illum officij rationem, & ad pacis consilia
 si non promptè (quod tamen ipsum à tanto Principe
 expectandum non esset) attamen, inductum pudoris sti-
 mulis, facilius de se daturum. In hac quidem re suaden-
 da plus effecturum esse præsentem Pontificem, quàm
 si absens per nuntios hæc eadem ageret. Postremo vel
 hac vna ratione necessariò dixi proficiscendum, vt ru-
 mores hominum comprimerentur. Erat enim sermo
 latè dissipatus, ortas esse Pontifici cum Cæsare simulta-
 tes: quarū, si fuisset colloquium deuotum, non sine pe-
 riculi alicuius suspicione altius hominum mentib; opi-
 nio infedisset. Hac à me sententia dicta, ab omnib; dein-
 cep; in eandem est discessum. Itaq; Parmā venimus, he-

riq; Pontifex ingressus urbem est: cras verò aut perena-
 die Cæsarem expectamus. Is porro si venerit, poteritq;
 à nobis conueniri, quod dabimus operam vt fiat, & spa-
 tiū cū eo habuerimus colloquendi, non deero officio
 & pietati in Rempubicam meæ: animo equidē sum o-
 ptimo, sed diuinā imprimis benignitate est opus. Illud
 mihi admodū molestū est, quòd non potest persuaderi
 hominibus, ex hoc congressu aliud quippiā quæri, nisi
 priuatū aliquorum cōmodum. Itaq; mira iactantur in
 vulgus, quæ vobis quoq; audita esse arbitror. Ego quo-
 quo animo fuerint alij, integrū me quidem à labe om-
 ni seruabo. Hæc scribebam, 16. Cale. Iulij, cogitans cras
 conuenire Farnesium, agereq; cū eo de ijs rebus, de qui-
 bus tu ad me scripseras, ut commendem illi causas popu-
 lorum suorum, qui non voluntate, sed propè necessariò
 magistratibus imperio minus audientes fuissent. Nec
 diffido iuuenem illum, vt est clementia insigni & boni-
 tate præditus, ad omnia equa descensurum. Iam sum cum
 Farnesio locutus, gratum habuit consilium nostrum: o-
 mnia vt fierent, quæ ego suadebā, præcepit: negotium
 datum Andringhelo est, homini prudenti (vt tute se) &
 erga nos imprimis officioso. Tu rem totā quomodo
 se habeat ex Florebello cognosces. Ego in hac molestia
 & dolore animi, quæ ex publicis reb. capio, hoc tamen
 me consolor, quòd careo ipse omni culpa, & quæ mihi
 aut monenda aut accusanda videntur esse, libera voce
 pronuntio: sumq; hanc libertatē perpetuò seruaturus.
 Omnibus quidem ex locis terra mariq; aduersæ res au-
 diuntur, itaq; mihi impendere videtur iam extremum.
 De Cæsare adhuc incertum, sit ne, necne Parmā ventu-
 rus. Incidūt enim quotidie nodosiora quædā, quæ expli-
 catu perdifficilia sunt. cū enim hodie aut cras expe-
 ctaretur à nobis, in X. Calend. reiecti repentē sumus.
 Vtinam mihi liceat aliquando redire ad vos: cui meo o-
 prato si fortuna, vel Deus ipse potius fauerit, nunquam
 istinc viuus amplius exiturus sum. mea me suauiissima
 studia

studia, & studiorū amœna diuerforia, imprimisq; libertatis trāquillitatisq; cupiditas, & vigilantem & in somnis semper ad vos rapit: vnumq; iam meum est desiderium, cum hominibus istius prouinciæ mei amantissimis, vicissimq; mihi carissimis, & habitandi, & viuēdi, quos tu omnes quidem, præcipueq; Carpentoraçtenses meos, & priuatim & publicè meis salutabis verbis: eximieq; eos quos scis à me valde diligi, quanquam in amore quidem pares habeo cunctos, in familiaritate non ita. Ioanni Francisco & cæteris nostris contubernaliibus salutē dic: ipsumq; imprimis hortare, vt ad me & crebro & copiosè scribat. Si res meas constitutas haberem, statuerem quid agendum mihi esset, quod pertinet ad eū & ad cæteros. Adhuc nihil habeo nisi verba, quibus in Septimum vsq; annum iā sum productus. Sed hæc Deus viderit. Tu mi Paule vale, & nos amānter expecta. Parmæ, XV. Calend. Iulij, M. D. XLIII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD.

Paulo Sadoleto, S. P. D.

A Ccepi nudius quartus tuas, & Ioannis Francisci literas, ex quibus illam lætitiā primo aspectu cepi, quæ de vtriusq; vestrum valetudine quæ maximè optabam, ea mihi attulerunt. Quin etiam cumulus additus est, quod in suis sacris literis Ioan. Frāciscus de tua quadā egregia in se fouendo & subleuando cura si studiose loquitur, vt salutem suam prorsus tibi acceptam videatur referre. Reliqua quæ scribis de Nicolao Peitelio nostro, quæ is mirificè tibi & in concionibus & in vitam moribusq; satisfaciāt, ea mihi iucundissima fuerūt: nec eum tamē tantopere abs te laudari miror: summā enim ego quoq; cum isthic essem, in eo probitatem, summā modestiam, excellentem cū linguarū, tum optimarum artium scientiam eruditionemq; cognoui. Eius verò concionandi genere nihil arbitror fieri posse, nec sententiārum pietate sanctius, nec rerum ordine distinctius, nec oratione elegantius atq; subtilius. Qui quod tam egre-

giam nobis, ac tam fidelem operam apud ciues nostros nauauerit, eis in recta & à maioribus nostris tradita religione ac fide continendis, & dolis infidijsq; hereticorū hominum aperiendis, ac tanq̄ sub aspectum ponendis: dici non potest quantopere illi me in perpetuū hoc nomine obstrictum esse intelligā. Ei te maximas volo meis verbis agere gratias: quas vti etiam referam maxime mihi curæ est: etsi hanc eius remunerandi rationem propter summam hominis abstinentiam, de qua tu sepe ad me scripsisti, difficilem fore video: cū is nullum huiusmodi spectari vnquam à se laborum suorum præmium præferat. Sed quo ille moderatior, hoc omni à nobis honore & remuneratione est dignior. De tuo aduentu ad nos, quòd te paratum adueniendum ostendis, mihi valde gratum. Farnesius mihi certè confirmauit, se tibi successorem hoc Septembri mense omnino missurum esse: quapropter Octobri in viam dare te poteris. Equidem auidè te expecto, cū propter alia multa, tū vt de committenda tibi Ecclesia summum consilium capiamus. Ego enim Paule iam nec honores, nec diuitias, nec vllum statum vitæ in quo splendor sit aut dignitas, sed tantum quietem, & silentium, & otium his meis extremis annis peto. Quod non possum quidem adipisci impræsentia, ob ea impedimenta quæ tu nosti. Veruntamen non absim longè ab hac spe, consultum aliquando fore rationib. meis, quæ ad hoc genus vitæ cunctæ respiciunt: qua de re tota, cū veneris, deliberabimus. Etsi id quoq; mihi est cōcedendum, vt frui aliquādo tuo optato aspectu, & mei animi sensus mihi conferre tecū liceat. Quam cōmunicationem nostram sermonum & voluntatum, tibi quoq; olim solitam videri suauissimā recordor. Quòd quaeris, vtrum malim per Fortiam an per Olgiatum accipere hic ex permutatione pecunias: iam te putò intellexisse ex literis Florebelli nostri, conditionem Olgiati multò esse potiorè, quòd neque intermētum vllum cum eo sit, & nummos anticipa-

cipare aliquantum antè est potestas: cuius nunc commo-
 ditatis non prætermittendè longè opportunissimū tem-
 pus est, cùm annum penū totum simul est congeren-
 dum. Itaq; tenendus quid è est Fortia, sed tamen quoad
 licebit hac liberalitate Olgiati vtemur. Hactenus heri
 scripseram. Hodie ad me fuit Olgiatus, dixit se habere
 literas à socijs suis Pantiaticis Lugduno, V. Calen. Iunij
 datas, quib. illi cum faciunt certiore, se nummum ad
 huc nullū de quadringentis accepisse. Porro biduo post
 Colybum futurum esse Lugduni, hoc est ad tertiū Ca-
 lendas Iunij: ad quē diem si nihil esset solutum, socios
 non parum detrimenti esse facturos. Sanè dolui, nō tā
 rem meam quàm fidem in discrimen vocari. Nā quod
 iacturæ hi facient, si modò quicquam faciēt, æquum id
 quidem est resarciri per nos. Quod verò conductor ve-
 stigalium nostrorum fidem meis literis non habuerit:
 fueritq; veritus, ne fortè ego bis eandem pecuniam acci-
 perem, & hic, & istic, visusq; sit integritati meæ diffide-
 re, id sanè mirum mihi accidit: quòd is me, quem opti-
 mē nosse debeat, non ex proprio quodam meo genere,
 sed ex cōmuni & quotidiana horum hominū, qui ho-
 die sunt, cōditione existimet. At ego tibi dico etiā atq;
 etiam me nō cum Fortia, sed cū Olgiato pecunias sem-
 per permutaturum, quoad scilicet licitum erit. Quam-
 obrem si ad diem dictam pecunia non soluta est, saltem
 curato vt sciamus quid factum sit iacturæ, vt satisfacere
 socijs possimus: quando fides mihi quidem quàm vita,
 nedum quā pecunia longè est carior. De locis sacris vio-
 latis, quod perperam fuerit huc scriptum, gaudeo rem
 vt scribis ita esse: fugiō enim contentiones. Sed eo tamē
 animo sum, vt temeritati eorum, qui adhuc audēda fa-
 cile adducuntur, nihil sim vlllo pacto cōcessurus. Factos
 Cofs. optimos & iustissimos viros, quorum sub tutela
 & custodia florebit ciuitas, summæ mihi & voluptatis
 & amo equidem omneis, sed cum duobus Helia & Pa-
 pio, scis magnum mihi vsum magnamq; familiaritatē

semper fuisse. Iis igitur tu plurimā meis verbis salutem. Nam quod de facto tecto diui Siffredi templo præstando decreuerint, tu continuo ad me scribes. Honorati E. bredunensis hospitis nostri valetudinem magnę tibi curę fuisse, vehementer mihi gratum est, gaudcoq; homini sanitatem esse restitutam. Eum ego bonum semper virum cognoui, & amantē nostri, & dignum cuius causā laborem libenter suscipiamus. Omnino hęc humanitas, qua vtimur erga omnes, cum laudanda per sese est, tum cum in bene meritos de nobis confertur, nō solūm laudem habet, sed mirificam etiam quādam animi voluptatem. Nec verò, cum multa sint mea, quę tu expressa in tuis moribus refers, quicquam mihi accidere in te potest optabilius & gratius, quā ista benefica & liberalis erga nos ignotosq;, quam adhibes, uoluntas. Pro legatum arbitror in hortis nostris abs te bene fuisse acceptum: eius ego nuntium comiter hic excepi, multaq; dixi, quę ad meam in illum declarandam beneuolentiam pertinebāt. De te quidem ipso ita cum eo actum est à me, & antea etiam à Floribello, vt ille in hanc totus opinionem discesserit, se à te non mediocriter diligi, Annibalem quęsisse nouas nuptias non reprehendo, affinitatem probo. Doleo de Nicolao. Eorum vtrunq; saluere meis verbis iubebis. Nunc, vt de me ipso aliquid tibi scribam. Ego inuitus quidem in hac vrbe maneo, longē alieno loco à meis agendę vitę consilijs. Sed tamen firmo animum ad perpetiendum & ferēdum, quoad offeratur mihi occasio honestē hinc discedendi, quam prætermisurus non sum. Neq; eò dico, quòd me quanti fiam ab hoc populo, & ab hac curia pœniteat. Sed nihil mihi iam dulce est, præter solitudinem & silentium. Itaque nec Carpentoracte, nec Felicianum, neque hortos iam quosuis tam mihi propono, quā locū aliquē solūm vbiuis gentiū, in quo mihi deponere omnes harum rerum & temporum curas & sollicitudines liceat. Qua etiam de causa cupidius te requiro, quòd mihi nō
vidcor

videor quicquam agere rectè sine assensu tuo, & sine
 communicatiõe tecum omnium rerum posse. Ego hoc
 ipso tempore, quo hæc scribebam, habitabam in ædi-
 bus quæ adiunctæ sunt templo Diui Petri cognomine
 ad vincula. Ex enim mihi cum titulo vnâ obuenerūt:
 & est earum tamen prospectus, quàm opportunitas,
 commodior: vnum enim tantum ordinem cubiculorū
 habent, in ter se peruium totum, tanquam longam li-
 neam omni latitudine carentem: sed hoc inest commo-
 di, quod in contignationibus quatuor, quibus domus
 in excelsum sublata est, in medio duo sunt ordines cubi-
 culorum, alter alteri superpositus: in finibus locus culinæ
 cellisq; deseruit: summa omnium est ambulatio longè
 lateq; prospiciens: frons ipsa ædium ad Septentriones
 conuersa: itaq; salubris locus existimatur, & matutinis
 deambulationibus accōmodus: habetq; hoc præterea bo-
 ni, q̄ vineæ nostræ Quirinali propinquus est. Quæ quid è
 vinea etsi à me satis accuratè excōlitur, te tamen, longè
 studiosiorem, quàm me, & meliorem sui cultorē expectat
 Hęc scripsi dans operā purgationibus, nō enim satis bel-
 le me habebam, & hoc ipso die mane potionē acceperā.
 Hoc autem scribendi genere vsurus tecum sum sæpius,
 si per calores & valetudinem licuerit. Nostri omnes
 in officio sunt. Camillus noster pudore, modestia, &
 pietate erga me, egregiè mihi satisfacit. Is te eximiè di-
 ligit, ac tuum aduentum auidè expectat. Sperat ado-
 lescentem magnæ nobis voluptati fore. Tu fac vt vale-
 as, omnibusq; amicis salutem nuncies, præcipueq; Ca-
 tharino nostro, quem ego hominem facie quotidie
 pluris, magisq; & magis diligo, quemadmo-
 dum mihi videntur ipsius optimi mores

& virtutes eximiæ mereri. Iterum

vale. Romæ, VI. Idus Iunij,

M. D. XLVI.

FINIS.



